OCVLI ENOCH ET ELIÆ PARS ALTERA SIVE THEO-ASTRONOMIA;

Quâ conſideratione viſibilium & cæleſtium, per nouos & iucundos conceptus prædicabiles ab aſtris deſumptos, mens humana, in inuiſibilia Dei introducitur.

OPVS THEOLOGIS, PHILOSOPHIS, ET VERBI DEI PRÆCONIBVS VTILE ET IVCVNDVM

AVTHORE
R. P. F. ANTONIO MARIA
DE RHEITA CONCIONAT. CAPVCINO
PROVINCIÆ AVSTRIÆ ET BOHEMIÆ
QVONDAM PRÆLECTORE.

Et meditabor in omnibus operibus tuis, Pſal. 76.



ANTVERPIÆ,
Ex Officina Typographica HIERONYMI VERDVSSII.
M. DC. XLV.

Cum Gratia & Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

MAGNÆ MATRI
MARIÆ

CONDITORIS SIDERVM EMINENTISSIMÆ,

SANCTORVMQVE OMNIVM SANCTISSIMÆ,
CREATVRARVM LONGE EXCELLENTISSIMÆ,
VIRGINI VIRGINVM IMMACVLATISSIMÆ,
GENERIS HVMANI ADVOCATÆ PIENTISSIMÆ,
CÆLORVM, TERRÆQVE DOMINÆ ADMIRABILI,
ANGELORVM REGINÆ INEFFABILI,
MATRI DENIQVE PVLCHRÆ DILECTIONIS,
ET TIMORIS, ET COGNITIONIS, ET
SANCTÆ SPEI, &c.

Se totum hoc qualicumque munuſculo æternùm dicat, humillimè conſecrat, & aduſque terræ centrum inclinatâ reuerentiâ dedicat infimus clientulus

FR. ANTONIVS MARIA
DE RHEITA INDIG. CAPVCINVS.

AEquum eſt, Virgo ſemper ſacratiſsima, Mater Dei, cæli terræque Regina glorioſiſsima, æquum eſt inquam, vt Tibi veluc totius generis humani Imperatrici & Patronæ amantiſsimæ, &c. ab omnium infimo clientulo Tuo, quidquid imbecillitas valet; quidquid ingenioli anguſtiæ, ex conſideratione ſtupendorum operum digitorum dilectiſsimi Filij Tui haurire capereq; potuere, conſecretur. Cuius enim magis, quàm

Tuum ſacroſanctum & benedictum Nomen, fronti huius qualiſcunque operis, de cælo, Sole, Luna, & ſtellis myſticis nuper à me concepti prætendam? vtpotè quæ es Stella matutina; duodecim ſtellis coronata, pulchra vt luna, vt Sol electa, ſuper ſidera eleuata: Mater denique amantiſsima, Patrona mea electiſsima, Domina, & Tutrix Seraphicæ noſtræ familiæ Pientiſsima, cui quidquid ſum habeoque, debeo: & quidquid poſſum & debeo, intimè volo.

Suſcipe igitur Magna Mater exile hoc & paupercu-lum munus, & ſiquidem Tuæ ſuprahumanæ Maieſtati infinitis modis ſit indignum, offerentis auſum clementer pieque tolera, vtpotè quem Viduæ illius Euangelicæ, à Filio tuo olim laudatum, acceptatumque munus, & exemplum ad hoc induxit, animauitque. Suppleat igitur ô Maria tua Pietas, quod nequit, at vellet quidem, mea imbecillitas. Partum hunc qualemcumque, eiuſque genitorem ſerenâ fronte pietatis tuæ reſpice, & foue; quæ ſola ante, in, & poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti; mundo ſalutem, Angelis Regem, nobis Dominum, toti denique Vniuerſo Moderatorem & iudicem peperiſti. Quare hiſce ô pulcherrima, & benedicta mulierum æternùm etiam atque etiam ſis benedicta, infinities laudata, ſine numero & ſine denique humillimè ſalutata.

PRO-

PROLOGIVM AD LECTOREM.

HAVD *me fugit, ſtudioſe, & beneuole Anagnoſtes, plurimos, non equidem ſanæ & eruditæ; ſed ignorantiæ tenebris plerumque obnubilatæ mentis hòmines; parui, quin omninò nihili facere, vel ad minùs ſapiculè hãc nobiliſſimam Aſtronomicam ſcientiam, ceu minùs vtilem, ſubſibilare, ridere, & negligere: quod enim quis ignorat, facilè ridet, negligit & ſpernit. Nam ſi Boëthio credimus:*

Neſcire cæci ſuſtinent,
Et quod ſtelliferum tranſabiit polum
Tellure demerſi non petunt.

Itaque talium ignorantia & cæcitas maximè certè deploranda eſt, vt dictus poëta eam benè deplorat.

Eheu quàm miſeros tramite deuio
Abduxit ignorantia!

Et meritò eam defleт; etſi enim non ſemper peccatum ſit, effectum tamen & pœnam peccati, plerique Scholaſtici eam agnoſcunt, &c. Vt itaque cunctis pateat, quantæ vtilitatis, iucunditatis, & ſpiritalis myſticique theſauri arcana in ſuis penetralibus contineat hæc aſtronomica diſciplina: operepretium duxi, ſequentibus digreſſionibus myſticis, anagogicis, & tropologicis demonſtrare: & aliqua eius tantùm myſticæ Theologiæ, aliqualiter illuſtrare: non tam mentem Lectoris per viſibilia aſtronomica ſacta, in ſiderum Conditoris amorem excitandi gratiâ; quàm extinctas quaſi, aſtronomicæ huius diſciplinæ, in mentibus mortalium ſaculas reaccẽdendi cauſâ: quatenùs cuncti videant, quidnam Chriſtianus & Catholicus Aſtronomus (ſuperſtitioſis Aſtrologiis ſemper reiectis & procul à noſtra ſiderea ſcientiâ abactis) beneficio aſtronomiæ fructûs & vtilitatis haurire poſſit: quid hæc diſciplina Theologis, Philòſophis, & Verbi Dei Præconibus prodeſſe queat & valeat. Id quod Plato innuit in Timæo, aſſerendo: Idcircò oculos à naturâ nobis

Cauſa huius tractatus Theoaſtronomiæ.

nobis eſſe conceſſos, vt circuitus ordinatiſſimos cælorum & aſtrorum intuendo, eos ad vitæ diſciplinam traduceremus, ac ad eorum ordinem & ſtabilitatem noſtræ mentis vagos & erraticos componeremus motus, &c.

Nota itaque diligenter, quæ in præcedentibus libris, de cælorum qualitate, quantitate, proprietatibus, definitionibus, & diſtinctionibus circulorum, motuum; centrorum, linearum, epicyclorum, augium; excentricorum, æquantium, deferentium Planetarumq́ natura, magnitudine, diſtantiâ ab inuicem, habitudine, aliiſq́ ſexcentis rebus ad aſtrorum cognitionem ſpectantibus diſſeruimus; cuncta enim ferè mirabili metamorphoſi, iam quidem anagogicè, tum dein tropologicè, myſticè, & moraliter, infinitis rebus ſcilicet Deo, Sanctis, virtutibus, vitiis: bonis, & malis, accommodari, & ex ſuggeſtu haud ineleganter aut inappoſitè populo audienti per modum conceptuum ſubtilium proponi poſſunt; pro auditorij, ipſiuſq́ concionatoris qualitate, captu, & ingenio, vti in progreſſu videbimus. Nullam equidem commodiorem ſcalam ſcientiarum naturalium, aſcenſus mentis in inuiſibilia penetralia Dei; faciliorem que eſſe reperire viam, ſcandendi in ipſum Deum arbitror, quàm hanc ſcientiam, (excipio ſemper SS. Theologiam, maximè myſticam.) Neque ego vnus hoc ſentio, cùm ipſimet SS. Patriarchæ, Prophetæ, & Patres ſæpiſſimè ſuis libris, (maximè Dauid ille Deificus Aſtronomus, & Iob) paſſim hâc ſcalâ vtantur; vti in ſexcentis locis eorum patet: quippè potiſſima argumenta cognitionis, potentiæ, prouidentiæ, bonitatis, maieſtatis, & magnitudinis Dei non ex terrâ, ſed aſtris, cælis, & ſiderum inſpectione deſumentes.

Aſtronomia aptiſſima ſcala menti ſcandendi in Deum, quâ Prophetæ & SS. Patres ipſi fuêre vſi.

Cur Dauid toties cælorum faciat mentionem.

Quid enim ſibi vult illud Dauidicum Pſal. 18. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum? *Item illud Pſal.* 8. Quoniam videbo cælos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti? *Item Pſalm.* 101. Opera manuum tuarum ſunt cæli? &c. *niſi vt inde concludat, arguatque admirabile nomen, potentiam, & magnitudinem Dei, &c. Alia ſexcenta eiuſmodi loca habet Dauid, Rex ille hebræus ſanctiſſimus & potentiſſimus, deſumpta ſcilicet ex aſtris, velut argumenta magnalium Dei, &c.*

Legatur Iob, maximè cap. 38. & aliis, quomodò Deus ipſemet eius

eius ignorantiam quaſi arguendo cum eo de cælo , ſtellis & aſtris diſſerat. Quòd ſi Deus dignatus eſt Aſtronomum agere, tam diſſerendo cum Iob , quàm aſtra creando conſeruandóque : cur non nos quoque eadem ab ipſo noſtri gratiâ facta conſiderando ? tolle enim cælum, ſtellas, & aſtra, & tunc philoſophare, ſi potes, de mundo; idem enim erit ac denudare tecto domum tapetibusq; artificioſiſsimè pictis ; omniq́ue ornatu ſpoliare aulam regiam ; gemmis denique, lumine , auro, & rebus cunctis pretioſis denudare mundum.

Ipſemet Deus Aſtronomũ agit in creandis aſtris, inque iis conſeruandis.

Et ſi Pſalm. 103. Lætabitur ipſemet Dominus in operibus ſuis,&c.*quomodò non & nos ea contemplando collatabimur ei? iuxta illud: Pſ.*91. Delectaſti me Domine in factura tua,&c.*Fieri namq; non poteſt, vt mens noſtra lætitiâ aliquâ dilatetur; niſi ex præcognitione alicuius nobis aut præſentis, aut futuri boni; quomodo ergo Deo in operibus ſuis collatabimur, eumq; collaudabimus* cum aſtris matutinis, *ſi pleraque ab eo facta noſtri gratiâ penitus ignoremus? qualia* opera manuum eius ſunt cæli, *cælorumq; ſidera noſtri causâ & amore ab eo ex nihilo facta.*

Quid regem potentiſsimum tui ſolius amore, immenſæ magnitudinis & pulchritudinis aulam fabricantem , cogitaturum , dicturúmque cenſes de te : ſi illud palatium, tanto affectu, tanto amore, tam regio ornatu, gratiâ tui conſtructum, nec ſemel tamen ſaltem intueri ; & ex eius ſtructurâ, Regis erga te amorem colligere dignareris ? an non meritò te ex ſuâ aulâ pulſurus eſſet velut ingratum, & immenſæ ſuæ gratiæ contemptorem ? Quid igitur de illo futurum putas, raro aut nunquam opera Dei affectuosè inſpiciente, vel conſiderante ? Bene monet nos Dominus, Pſalm. 31. Intellectum tibi dabo (*ô homo vt queas me per creaturas viſibiles, inuiſibilem cognoſcere , laudare, & amare*) & inſtruam te in via hâc quâ gradieris; firmabo ſuper te oculos meos; *quaſi dicat: diligenter attentus ero, num tu videndo mea opera mirabilia, ad me factorem tuum oculos mentis tuæ directurus, aut eleuaturus ſis. Deniq; hortatur nos:* Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, &c. *id eſt, nolite in vanum à me veſtrum accepiſſe intellectum; verùm eleuate illum per viſibilia facta, ad inuiſibilia Dei, &c.*

Verè

Mentis humanæ hebetudo & tarditas quo modo curetur.

Verè enim tanta eſt mentis noſtræ imbecillitas, hebetudo, & tarditas, vt niſi quaſi continuò oculis admiranda Dei opera conſpiciat, menteq́; contempletur & ruminet, ſtupendas eius creaturas, velut ſuæ diuinæ bonitatis, potentiæ, maieſtatis, & ſapientiæ monitrices, immẽſiq́; ſui erga nos diuini amoris inculcatrices, rariùs etiam ſui Conditoris Ter Opt. Maximi recordari ſoleat. Et certè cùm ſtatus huius noſtræ labilis vitæ ſemper opus habeat eiuſmodi viſibilibus & materialibus adminiculis, quibus veluti propinquâ manuductione ad cæleſtium & remotiſſimorum contemplationem mens noſtra erigatur;hinc Verbum caro factum videtur:*ſcilicet vt redimeremur per viſibilem humanitatem aſſumptam, eiuſq; audibilem doctrinam aptiùs nos de inuiſibilibus Dei inſtrueremur erudiremurque. Vnde benè cum D.Gregorio cãtat S.Mater Eccleſia:* Vt dum per Incarnati Verbi myſteriũ viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inuiſibilium amorem rapiamur, &c. *Cùm enim, ſi D.Dionyſio de cæleſti Hierarchia cap.2. credimus, omnis creatura ſit quaſi echo Dei; & ſpiritalis Dei, per eaſdem creaturas viſibiles vtcunque repræſentata pulchritudo ac decor, quodammodò quandam Echonis rationem referat, ſingularis & occulti; à cuius ſono & pulchritudine quædam quaſi reſonantia, & ſimilitudines ipſius Dei ſoni, etſi diſſimiliter, ad ipſas creaturas, vtpotè oculos, ſenſuſq́; noſtros deferuntur: hinc fieri non poteſt, vt intellectus noſter, creaturarum tantos decores, calorumq́; tam admirabiles ornatus, Solis, Lunæ, cæterorumq́; ſiderum tam gratum lumen, varietatem, ordinem & motuum harmoniam, rerumq́; tam miram ſeriem contemplando, non illicò etiam recogitet has apparentes rerum pulchritudines, arcanorum quorundam eſſe effigies, perfectiſſimi cuiuſdam Entis, hæc cuncta patrantis, gubernantiſq́;. Proinde Solem, verbi gratiâ, noſtrum ſenſibilem, ſuâ luce, ſplendore, claritate, calore, & magnitudine eſſe adumbratam effigiem viſibilem, infinitæ ſcilicet pulchritudinis, ſplendoris, luciſque inacceſſibilis, & inuiſibilis Dei, Soliſq́; Iuſtitiæ Chriſti Dei noſtri qualemcumque echonem, &c. Similiter & circa alia ſidera, & creaturas argumentandum eſt, &c.*

Creaturæ nobis ſunt inſtar echonis Dei.

Suſpiciamus ergo cum Iob 35. cap. & Abraham Geneſ. 15. cælum ſurſum, & intueamur, contemplemurque æthera, *conſiderando*

ſiderando hæc cuncta creantem & gubernantem, multò adhuc, quin & infinities eſſe pulchriorem, altiorem, & perfectiorem. Conuerſatio, inquam, noſtra per viſibilia hæc ſtupenda Dei opera, indies nobis eius gratiâ magis ac magis innoteſcentia potiùs in cælis ſit, & ad inuiſibilia rapiatur; & multa mala è tellure, & mente noſtra eliminabuntur.

Igitur à ſummo cælo (primum mobile dicto) ordiamur, & quidnam illud cum reliquis orbibus & aſtris nobis mutâ loquela inculcet, ſtudioſè & iucundè conſideremus, inde enim facilè patebit quantæ vtilitatis, & iucunditatis hæc Aſtronomica ſcientia ei eſſe queat; qui eam penitiùs noueritrit,è vſus fuerit, & ſine præiudicio ad regulas veras prudentiæ, & ſapientiæ reduxerit. Vale beneuole Lector; & quod tuo commodo & ad Dei honorem gloriamq́; factum vides, benigno fauore lege & foue.

INDEX
ET SYNOPSIS
CAPITVM HVIVS LIBRI
ATQVE
ANAGOGVM MEMBRORVMQVE
CVILIBET CAPITI SVBIECTORVM.

CAPVT I.

De cælo primo mobili myſtico, Deo Trino & vni, eiuſq; attributis comparato.

ANAGOGE I.

Primum mobile typum gloriæ & magnitudinis Dei referre: Item de immenſa & veriſimili vaſtitate cæli Empyrei. *paginâ* 3.4.5.6.

DIGRESSIO MORALIS.

De ſtupenda magnitudine Dei, ex conſideratione amplitudinis & diſtantiæ Empyrei. *pag.*6.7.8.9.10.

ANAGOGE II.

Diuinæ iuſtitiæ ſeueritas Deuſque caſtigans primo mobili repræſentatus. *pag.* 10.11.12.13.14.15.

ANAGOGE III.

De miſericordia & bonitate Dei, iuſtos & peccatores ad ſe rapientis, primo mobili repræſentatis. *pag.* 15.16. 17.18.19.20.

ANAGOGE IV.

Ex inſpectione cælorum & ſiderum, primum aliquem rerum omniū motorem & moderatorem argui, cont. Atheos. *pag.* 20.21.22.23.24.25.26.27.

ANAGOGE V.

Deum vnicum tantùm, neque plures eſſe poſſe in rerum natura, tum motu curſúque cælorum atque aſtrorum, cùm etiam aliis rationibus oſtenditur. *pag.* 27. 28. 29.30.

ANAGOGE VI.

Deum vnum in eſſentia & trinum in perſonis primo mobili referri. *pag.* 30.31.32.33.34.35.

TRO-

TROPOLOGIA I.

De myſtica expoſitione & mira proprietate literæ hebrææ ו.
Deque beatorum gloria: & damnatorum pœnarum æterna duratione. pag. 35. 36. 37.

TROPOLOGIA II.

De terribili ſono illius clangoris tubæ, voce Christi in die iudicij inſonando in auribus peccatorum. 37. 38. 39.

CAPVT II.

Primum mobile in ſpecie aſsimilatur Patri æterno, Filióque Chriſto.

ANAGOGE I.

MEMBRVM I.

Pater æternus primo mobili comparatur ratione principij. pag. 40. 41.

MEMBRVM II.

Pater æternus primo mobili aſsimilatur ratione motus. pag. 41. 42. 43.

ANAGOGE II.

MEMBRVM I.

Primum mobile ſuo motu & amplitudine Chriſtum Filium Dei exhibere. pag. 43. 44.

DIGRESSIO

contra Græcos.

Spiritum ſanctum ex Patre Filioq; procedere oſtenditur. pag. 44. 45. 46. 47. 48. 49.

MEMBRVM II.

Diuinitatem, Animam, & humanitatem Chriſti duobus polis & centro primi mobilis adumbrari. pag. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55.

TROPOLOGIA

Contra Acatholicos: Sacerdotium verum 1. Regum 2. inſinuatum apud ſolos Catholicos inueniri. pag. 55. 56.

MEMBRVM II.

Cur tantùm vnus Lutherus, vnus Caluinus fuerit; & cur Deus econtra tot voluerit eſſe Pontifices Romanos. pag. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62.

MEMBRVM III.

Quomodo Acatholicis ſit in conſcientia ratiocinandum de Pontifice Romano, & fide. pag. 62. 63. 64. 65.

CAPVT III.

De Spiritu ſancto & 7. eius donis in genere. Item de dono ſapientiæ in particulari.

ANAGOGE I.

MEMBRVM I.

Primum mobile ratione ſui motûs, principij, & amplitudinis Spiritus ſancti ſymbolum gerere. pag. 65. 66. 67. 68.

MEMBRVM II.

Spiritus ſanctus comparatur primo mobili, ratione ſuæ immenſæ amplitudinis cuncta in ſe complectenti. pag. 67. 68.

TROPOLOGIA

Ad peccatores tam facilè mentientes: deque mendacio & eius effectibus in mundo. pag. 68. 69. 70. 71. 72.

ANAGOGE II.

MEMBRVM I.

De 7. donis Spiritus ſancti 6. Circulis maioribus cæli denotatis. Item de dono ſapientiæ Zodiaco comparato. pag. 72. 73. 74 75. 76.

MEMBRVM II.

De Zodiaco myſtico ſapientiæ, mundi & diaboli. pag. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83.

CAPVT IV.

De ſex reliquis donis Spiritus ſancti tractat.

ANAGOGE I.

MEMBRVM I.

Timor Domini Coluro æquinoctiorum comparatur. pag. 83. 84. 85. 86.

MEMBRVM II.

Fortitudinis donum centro primi mobilis aſſimilatur. pag. 87. 88.

MEMBRVM III.

Intellectus donum, æquinoctiali comparatur. pag. 88. 89. 90.

MEMBRVM IV.

Conſilij donum æquiparatur Horizonti. pag. 91. 92. 93. 34.

MEMBRVM V.

Scientiæ donum circulo meridiano aſſimilatur. pag. 94. 95. 96.

MEMBRVM VI.

Pietatis donum Coluro ſolſtitiorum comparatur. pag. 96. 97. 98.

ANAGOGE II.

MEMBRVM I.

Duodecim peculiares fructus 7. donorum Spiritus ſancti, aſſimilantur duodecim ſignis Zodiaci. pag. 99. 100.

MEMBRVM II.

Charitas myſticè locatur in ſigno Leonis, & cur. pag. 100. 101. 102. 103.

TRO-

TROPOLOGIA

Ad charitate carentes, & quàm paucis in locis vera charitas reperiatur. pag. 103.104.105.

MEMBRVM III.

Gaudium myſticè in ſigno Arietis locatur. pag. 105.106.107.108.

TROPOLOGIA

Contra vanum gaudium & ſuperbiam ſæculi, & maximè mulierum. pag. 109.110.111.112.

ANAGOGE II.

MEMBRVM I.

Pax vera in ſigno myſtico Geminorum ponitur. pag. 112.113.114.115.

TROPOLOGIA.

Sringuntur, reprehendunturque pacis hoſtes. pag. 116.117.118.

ANAGOGE IV.

MEMBRVM I.

Patientia in ſigno Tauri myſtico collocata, hebraicè perbellè expenditur. pag. 118.119.120.121.122.123. 124.

MEMBRVM II.

TROPOLOGIA.

Agitur contra impatientes hoc membro. pag. 124.125.126.127.

Pars II.

ANAGOGE V.

MEMBRVM I.

De Benignitate, Bonitate, Longanimitate, Manſuetudine & Modeſtia. pag. 127.128.

MEMBRVM II.

De Longanimitate in ſigno Sagittarij myſtico poſitâ. pag. 129.

MEMBRVM III.

Manſuetudo myſticè in ſigno Piſcium collocatur. pag. 129.130.131.

MEMBRVM IV.

Modeſtia in ſigno Capricorni ponitur. pag. 131.132.

MEMBRVM V.

Continentia in ſigno Libræ myſticè locatur. pag. 132.133.

MEMBRVM VI.

Caſtitas in ſigno Virginis collocatur. pag. 134.

MEMBRVM VII.

Exponitur myſticè vocabulum caſtitatis hebræum. pag. 134.135.136. 137.138.

MEMBRVM VIII.

Fides in ſigno Scorpij locatur myſticè. pag.

p. 138.139.140.141.142.143.144.145.146.

MEMBRVM IX.

Exponitur myſticè vocabulum hebraicum Fidei. *p.*147.148.149.150.151.152.153.154.

CAPVT V.

BB.Virgo Maria, Eccleſia, & Anima deuota cælo myſticè comparantur.

ANAGOGE I.

MEMBRVM I.

BB.Virgo Maria cur, & in quibus cælo ſimilis. *p.* 155.156.157.158.159.

MEMBRVM II.

Quid 12. *ſtellæ & ſigna, duóque poli cæleſtes in BB. Virgine myſticè innuant.* *p.* 159.160.161.162.

ANAGOGE II.

MEMBRVM I.

Eccleſia Romana, anima & Angeli comparantur firmamento; primò Eccleſia. *p.* 162.163.164.165.

MEMBRVM II.

Angelorum multitudinem & pulchritudinem ſtupendam repræſentari vtcumque multitudine & pulchritudine ſtellarum. *p.* 165.166.167.168.169.170.171.172. *Item immenſa amplitudo, ineffabiliſque vaſtitas cæli Empyrei iucundè, & nouis fundamentis, ex proportione harmonica Orbium cæleſtium, & Planetarum, probabiliter traditur. Vbi & de proportionabili loco cuilibet Beato in cælo aſſignando.p.*172.173. *Item quanto tempore quis indies* 6285. *leucas Belgicas, ſiue horas (hoc eſt, quantum totus telluris ambitus continet) conficiens in Empyreo, eundem peragraturus eſſet.* *pag.* 173.

TROPOLOGIA

Ad huius ſæculi amatores. *p.* 173.174.

MEMBRVM III.

Anima deuota comparatur cælo firmamento. *pag.* 175.176.177.178.179.180.181.182.

TROPOLOGIA.

Quid animæ deuotæ maximè conſiderandum: & de præſentia Dei ſententia Senecæ. *pag.* 183.184.

CAPVT VI.

Tractatur hoc capite de 7. Planetis myſticis.

ANAGOGE I.

MEMBRVM I.

De 7. Planetis myſticis in genere. *pag.* 185.186.187.

MEM-

MEMBRVM II.

Solem mole ſuâ omnium Planetarum moles excedentem magnitudinis & dignitatis Chriſti gerere typum. pag. 187.188.

ANAGOGE II.

MEMBRVM I.

Chriſtum Solem iuſtitiæ in multis habere analogiam cum noſtro Sole. pag. 189.190.191.192.

MEMBRVM II.

Adducuntur aliæ analogiæ Chriſti Solis iuſtitiæ cum Sole noſtro. pag. 192.193.194.195.

MEMBRVM III.

Solem viſibilem, Deum trinũ & vnum, Diuinitatem, Animam, & Corpus Chriſti exhibere: & cur dicatur Chriſtus Sol iuſtitiæ. pag. 196. 197.

MEMBRVM IV.

Tractat de SS.nomine Dei Tetragrammaton, & Ieſus, deque litera (S.) Chriſto ſacrâ. Item de myſtica quadratura circuli. pag. 197.198.199.

MEMBRVM V.

Deus iterùm Soli cõparatur, quia ignis conſumens *dicitur; deinde etiam BB.Virgini, Sanctis, & virtutibus aſſimilatur. Item de variis eclipſibus myſticis. pag.* 202.203.204.205.206.

MEMBRVM VI.

De maculis, ſeu ſtellis Solaribus, Sanctis comparatis. pag. 206.207.208.209.

ANAGOGE III.

De Luna, varióque fluxu & refluxu maris myſticis. pag. 209.

MEMBRVM I.

BB.Virgo Maria qualiter Lunæ comparari queat. pag. 209.210.211.

MEMBRVM II.

De vario fluxu & refluxu Oceani myſtico. pag. 212. 213.214.215.216.

ANAGOGE IV.

De Lucifero ſeu ſtella Veneris myſtica. pag. 217.

MEMBRVM I.

Chriſtus Dominus comparatur Luciferæ ſtellæ. pag. 217.218.219.220.

MEMBRVM II.

BB.Virgo comparatur Luciferæ ſtellæ. pag. 221.222.223.224.225.226.227.228.

MEM-

MEMBRVM III.

Eccleſia Romana comparatur ſtellæ Veneris. pag. 228. 229. 230.

MEMBRVM IV.

Anima Deo deuota aſſimilatur ſtellæ Luciferæ. pag. 230. 231. 232. 233. 234. 235.

CAPVT VII.

Tractat de tribus Planetis ſuperioribus myſticis. Item de Teleſcopio myſtico. pag. 237.

ANAGOGE I.

MEMBRVM I.

Diabolus Marti comparatur. pag. 237. 238. 239. 240.

MEMBRVM II.

Tyrannus & peccatum Marti myſticè aſſimilantur. pag. 241. 242.

MEMBRVM III.

Tractat de Ioue & Saturno myſtico. pag. 243. 244. 245. 246.

ANAGOGE II.

MEMBRVM VNICVM.

De Teleſcopio myſtico agit. pag. 247. 248. 249. 250.

Digitized by Google

OCVLI
ENOCH ET ELIAE
PARTIS ALTERIVS
SIVE
THEO-ASTRONOMIÆ ANAGOGE-TROPOLOGICÆ
LIBER VNICVS

Cælorum eorumque circulorum myſticas explicationes & applicationes Morales tradens.

CAPVT PRIMVM.

De Cæli primi mobilis naturâ, magnitudini, Iuſtitiæ & Miſericordiæ Dei comparatâ.

PRÆPARATIO.

Primi mobilis natura, & prærogatiua.

PRimò occaſione motus neceſſario, aliquid de primo mobili, cui principiũ phyſicũ omnis motus circularis, orbium cæleſtium Philoſophi & Aſtronomi tribuunt, (aſſerendo primum mobile, ab ortu in occaſum, omnes inferiores ſphæras cæleſtes, ſuâ rapidiſsimâ, & concitatiſsimâ vi motrice abripere) præmittendum erit.

Secundò notandum: Primum mobile omnium cæleſtium orbium infrà Empyreum (immobile cælum) eſſe ſupremum, immenſæ amplitudinis & altitudinis, tantæque à nobis diſtantiæ, quantam vix humana mens capere, & lingua difficulter exprimere poteſt.

Tertiò: Primum mobile eſſe in ſe, & ſuâ ſubſtantiâ, immutabile; perfectiſsimæ rotunditatis; ingenerabile, & incorruptibile iuxtâ philoſophorum, & maximè Principis Peripateticorum, Ariſtotelis placitum.

Quartò: Primum mobile, omnes

Digitized by Google

nes inferiores Planetarum orbes; & ipſummet expanſum Firmamentum, infinitâ ſerie & multitudine ſtellarum ornatum, gremio ſuo immenſo concludere;& quidquid noſter hic terraqueus globus, & ipſa eius viſcera complectuntur; cunctis, & ſi diſtantiſsimum, ſuâ operatione & motione actiuâ, præſens exiſtere.

Quintò, cælum primum mobile cauſam eſſe omnium aliorum motuum; non compoſitum de 4. Elementis, ſed multò ſubtiliori & quaſi quintâ eſſentiâ, perpetuò omnis alterationis experte conſtans.

Sextò: Primum mobile, primariam quaſi cauſam eſſe lucis in mundo, quippè ſtatis temporibus, ſolem & lunam ſuo raptu & gyratione diurnâ ſuprâ horizontem nobis adducens.

Septimò: tria in ſe continere primum mobile, primò ſubſtantiam ſubtiliſsimam, incorruptibilem ſuâ naturâ; ſecundò, figuram perfectiſsimam; tertiò, diaphaneitatem ſiue claritatem immenſam: quę tria ita ei ſunt congenita & iuncta, vt impoſsibile ſit vnum eorum ab eo diſiungi; manendo tamen nihilominus vnum & ſimpliciſsimum; ſolum mouens omnes orbes inferiores, à nullo autem ſuperiori motum, cuius motus non eſt in potentia, ſed ſemper in actu; non paſsiuus, ſed merè actiuus; non gratiâ ſui; ſed causâ corporum & orbium inferiorum ſuo gremio contentorum.

Octauò: cælum primò mouens; nunquam tranſgreditur ſuum centrum; vndique tamen ſuâ operatione, & influentiâ præſens eſt; idem in Oriente, idem in Occidente; in Aquilone, ſiue Septentrione; in Auſtro, & Meridie; quinimò in toto vniuerſo vt patet philoſophis, & Aſtrorum peritis.

Vltimò, primum mobile cælum, duo ſuper puncta indiuiſibilia, perpetuò firma, & immobilia vertitur: idq; circa centrum vniuerſi immobile, adeoque tres continet in ſe punctos (quorum duo à peritis vocantur poli mundi, arcticus vnus, antarcticus alter) ſub quibus reſpectu noſtri, (vel ſaltem propè illos) diuerſi habitant incolæ: iis quidem, qui ſub polo arctico degunt tempore æſtatis, ſol nunquam occumbit, ſed tota æſtate & vere, ab Arietis ſolis ingreſſu vſque ad libram, continuis 6. menſibus perpetuis ſolis radiis, luce, calore, & æſtatis deliciis perfruuntur: è contrà alij per totum tempus iam dictum videlicet ab Arietis ſolis introitu, ad vſque libræ ingreſſum, ſolis luce; æſtatiſque iucunditate priuantur; & intenciſsimis hyemis algoribus, niuibus, glaciebus, & ventis frigidiſsimis affliguntur: ingrediente autem ſole, tenenteque primũ punctum, & gradum libræ, tùm primum

ſolis

ſolis gratiſsimâ luce, & radiis illuſtrantur; & æſtatiś deliciis, ſoliſque aſpectu perpetuis, 6. menſibus recreātur, poli antarctiſi ſubcolæ: quo tempore alij ſub polo arctico habitantes, tot menſibus, luce, & ſole perpetuò priuantur, vſque ad nouum ſolis ingreſſum in ſignum Arietis.

ANAGOGE I.

Primum mobile typum gloriæ, magnitudinis, & infinitudinis Dei referre: item immenſam vaſtitatem Empyrei cæli, proportione geometrica, ex Planetarum orbium à terrâ diſtantiâ, deſumptâ, veriſimiliter metiri poſſe.

DEum Ter. Opt. Max. in omnibus ſuis creaturis ſuo modo, relucere; ſacræ teſtantur paginæ; Hinc Apoſtolus Rom. 1. Græcos, Barbaros, Sapientes huius ſæculi, & eos homines *inexcuſabiles, ab ira Dei eſſe*, ait: *qui veritatem Dei, in iniuſtitia detinent, cùm Deus quod notum eſt eius, illis manifeſtauerit*: ſeſeque, omnibus gentibus ſufficiēter in creaturis adumbrarit: *dum inuiſibilia ipſius, (hoc eſt ſempiterna eius virtus & diuinitas, à creatura mundi,* (homine nempè) *per ea quæ facta ſunt, intellecta, optimè conſpiciantur:*

Deus ex ſuis creaturis relucet.

Ad quid enim Deus nobis conceſsit oculos, niſi vt conſideratione per viſibilia facta, eos ſemper ad ipſius inuiſibilis Maieſtatis, Potentiæ, & Magnitudinis arcana ſubleuemus? quod optimè ad praxim redegit, ſuoque nos exemplo, Rex ille potentiſsimus ſimul & ſapientiſsimus Hebræus Pſal. 12. edocuit: *ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis*: & Pſal. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominū &c*, probè ſciens econtrà *Oculos Domini defigi ſuper timentes ſe; & iuſtos: vultum autem Domini ſuper facientes mala*, hoc eſt non Deum, ſed ſeipſos in creaturis quærentes: *non cælum ſurſum*, cum Iob: ſed cœnum voluptatis, & carnis deorſum, intuentes.

Præterea Deum in creaturis quærit Dauid Pſal. 8. maximè *in cælis enarrantibus gloriam Dei, & in operibus manuum eius, quæ annunciat firmamentum.*

Paſsim enim docent Theologi, Dei veſtigia, qualiacunque inueniri cunctis impreſſa creaturis. Audi D. Auguſt. Confeſſ. libr. *Et audiui (inquit:) ſicut auditur in corde, & non erat prorſus vndè dubitarem; faciliuſque dubitarem viuere me, quàm non eſſe veritatem, quæ per ea quæ facta ſunt intellecta conſpicitur.* Impoſsibile enim eſt, ea quæ à Deo eſſe, viuere & mouere acceperunt, Deum ſuo modo non etiam debere referre, conſiderantiſque animo ſiſtere; nullibi abſentem, ſed vbique præſentem; nullo loco concluſum, etſi vndique & vndique diffuſum; *cælum namque & terram ipſe implet; qui tamen non eum capiunt.* Hinc benè Pytha-

Veſtigia Dei eſſe impreſſa creaturis.

Pythagoras quid de Deo ſenſerit.

Pythagoras; Deum eſſe animum qui vniuerſas mundi partes, omnemque naturam cõmmeans atque diffuſus, ex quo, & in quo, omnia quæ naſcuntur vitam capiant, aiebat. Et apud Parmenidem, Cicero, & ſimplicius; *Deum continentem lucis ardorem, & orbem qui cingat cælum appellat.* Optimè ergo Deus orbi primo mobili aſsimilatur.

Quid Cicero de Deo.

Primò quidem, quòd includat, omnes inferiores creaturas & orbes in ſe, vt principium, ſua principiata; ſicuti cauſa, cauſata, velut Primus Motor, omnia mota & mouenda, cunctis eſſe, vitam & motum ſolus tribuens: *in ipſo enim viuimus & mouemur*: Act. 17.

Cur Deus primo mobili benè comparetur.

Secundò primum mobile, eſt immenſum, & vnicũ: ſenſim omnes orbes & ſtellas, ab ortu in occaſum rapiens. Deus; eſt immenſus, & vnicus: immenſus, quia *Excelſior cælo*: Iob. 11. *profundior inferno: Longior terrâ mẽſura eius, & latior mari.* & Pſal. 12. *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: & ſuper cælos gloria eius.* Vnicus. Iſa. 44. *quia ipſe primus & nouiſsimus: & abſque ipſo non eſt Deus*: & Iſa. 45. *Ego Dominus & non eſt alius. O ergo altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei?* vt bene Apoſtolus ad Ro. 11. exclamat, *quam inueſtigabiles viæ & iudicia eius.* Sanè inueſtigabiles, ſi excelſiores cælo. Et vt aliqualiter in immenſitatis Dei abyſſum cõſideratione te introducam; operepretiũ duxi cœli altitudinem, & immenſam à Tellure diſtantiam, tibi denuò refricare in memoriam.

Probabiliſsimum namq́; eſt, & ordinatiſsimè agentis, omnia in pondere, numero, proportione & menſurâ operantis, Dei inquam, dignitati (*cuius perfecta ſunt opera*) valdè condignum, & conſentaneum, vt in machina vniuerſitatis, rerumq́ue hac mole, omnia ſint debitæ proportionis ad inuicẽ habitudine ordinata: ſic in ſphæricis, diametri ad ſui circuli periphæriam; & in triangulis, duorum ad vnum, & tertij lateris ad duo, mirabilem, quin, & neceſſariam proportionem diſpicimus.

Cur ergo non & cæli diſtãtiæ, ad terram? probabile quidam putant eandem eſſe proportionem diſtantiæ, firmamenti, ad Empyreum, quæ eſt firmamenti, ad regionem Planetarum primorum mobilium, ſeu ſuperiorum; & horum ad ſolem. Sicuti enim doctiſſimi quique noſtri temporis Aſtronomi aſſerũt, diametrum Regionis mobilium (ſeu Planetarum ad vſque Saturnum) eſſe medium proportionale, inter ſemidiametrum corporis ſolis, & ſemidiametrum ſphæræ fixarum; ita vt ſicuti ſe habet, diameter globi ſolaris, ad ſphæram Planetarum omnium: ſic ſeſe habeat hæc, ad ſphæram firmamenti.

Proportiones orbium cæleſtium ad ſe, & ad Empyreum cælum.

Ita ego puto, ſemidiametrum firmamenti, eſſe quoque medium proportionale, inter ſemidiametrum, ſphæræ Planetarum, & diſtantiæ

Digitized by Google

ſtantiæ firmamenti a cęlo Empyreo, vt ſe habet ſemidimetiens firmamenti, ad regionis ſemidiametrum Planetarum, quod quidem ineffabilem altitudinem & diſtantiam cæli Empyrei, quaſi infinitam arguit.

Orbita lunæ ſecũdùm quoſdam eſt medium proportionale, ſolem inter & tellurem; item Planetarum regio inter ſolare corpus & extimam ſuperficiem firmamenti.

Et verò (quod in idẽ ferè recidit) cum valdè conſentaneum ſit, vt ſicuti lunæ orbita; etſi eam ſolaris corporis moli æqualẽ velint aliqui obſeruatores noſtri ſæculi, mediũ quaſi proportionale quibuſdam eſſe videtur inter orbem ſolis, & corpus telluris: ſic Planetarum collectiuè ſumpta regio, (quam extimo Saturni ambitu claudi intelligimus) ſit medium quoque proportionale inter corpus ſolare, & extimã ſuperficiem firmamẽti, nam Dei perfecta ſunt opera, mirâ harmoniâ fabrefacta,

Vti ergo ſemidiameter ſphæræ Saturni, in hac ſentẽtia cenſetur in ſeſe continere 2,000. ſemidiametros corporis ſolaris, ſic etiam ſemidiameter firmamẽti intelligatur probabiliſsimè, & ad minus 2,000. ſemidiametros, ſphæræ Saturni continere: ergo fixarũ ſphæra, ad ſphærã Saturni; hæc autem ad ſphæram corporis ſolaris, eſſet vt 1. ad 2,000. Talis igitur etiã veriſimiliter foret proportio, ſphæræ firmamenti, & cæli Empyrei, id eſt, vt 1. ad 2,000.

Iam inſtituamus hoc modo operationẽ. Terra ſecundùm Kepplerum ſeſe habet ad ſolem vt 1. ad 15. ſecundùm eximium verò VVendelinum, vt 1. ad 64. at in noſtra ſententia vt 1. ad 10. ſiue vt 10. ad 100. cùm ergo ſemidiameter terræ nobis conſtet 1,000. leucis horariis, ſiue Paraſangis, erit diameter ſolis leucarum ſecũdùm Kepplerum 30,000. ſecundùm VVendelinum verò 128,000. in noſtra ſentẽtia 20,000. At ſphæræ Saturni ſemidiameter, continet in ſe aliis, diametros ſolares 2,000. nobis verò 993. ferè, & totidem ſphærę fixarum probabiliter continet diametros ſphæræ Saturni: erit ergo tota ſemidiameter orbitæ Saturni leucarum, ſecundùm priorem: 60,000,000. id eſt 60. millionum: ſecũdum poſteriorem verò 256,000,000, ſiue 256. millionum: nobis & verius 1,986,000. hoc eſt ferè duorum millionum.

Immenſa diſtantia firmamẽti.

Tandem pro fixarum ſemidiametro eruẽdo; multiplicatis duobus prioribus numeris per 2,000. (cum ea ſit probabilis proportio fixarum ad Saturni ſphærã) prodibit ſemidiameter firmamenti, ſecũdùm Kepplerum 4000,000. diametrorum ſolarium ſeu quadragies cẽtena millium: leucarum verò 120,000,000,000. centum & viginti millia millionum: ſecundùm poſteriorem ſententiam autem 512,000,000,000. quingenta millia, duodecim millia millionum leucarum. Nobis 3,972,000,000. ſiue millionum 3,972.

Multiplicetur tandem hic numerus, cum 2,000. & proueniet ſemidiater cæli Empyrei veriſimiliter:

Semidiameter cæli Empyrei quanta veriſimiliter.

ter: ſecundùm priorem quidem leucarum 240,000,000,000,000, ſecũdùm poſteriorem 1,024,000, 000,000,000: quis obſecro capiet tantum numerum, vel quæ lingua humana eum ritè enũtiet?

Tycho effert orbem Saturni, à telluris centro. 12,300. ſemid.terræ; leucis verò.12,300,000. Ergo firmamentum, ex huiuſce fundamentis, & ſupra dictâ, ſeu potius aſſumptâ proportione, diſtabit à cẽtro terrę leucis horariis 24,600, 000,000. At cælum Empyreum. 49,200,000,000,000.hoc eſt quadraginta nouem mille millia, & ducenta millia millionum.

Quod ſi iam fiant ex terminis firmamẽti 1.& ex Empyrei 2,000, cubi (talem enim diximus eſſe proportionem,huius ad illud) erit illius cubus 1. huius verò 8,000, 000,000. vicibus ergo, octies mille millionibus cælum Empyreum continebit in ſeſe, totum firmamentum.

Armiranda magnitudo & diſtantia cæli Empyrei.

Tandem cùm diameter, quælibet ad ſuã peripheriam, ſe habeat vt.7.ad 22.ſi multiplicetur diameter cæli Empyrei per 22. & productum diuidatur per 7. prodibit cæli Empyrei circumferentia.

Secundum fundaméta	1. Veterum	3,548,571,428,571.	leucarum ſeu horarũ
	2. Tychonis	39,257,142,857,142.	
	3. Keppleri	754,285,714,285,714.	
	4. D. Wẽdel.	23,078,000,000,000,000,000.	
	5. Noſtra	49,933,714,285,714.	

DIGRESSIO MORALIS.

Hæc forſan legendo de immenſitate Empyrei rides?

QVid? rideas (ſi audes) ſacras paginas, *Baruch. 3. cap.* infinities adhuc magis cæli huius machinam ampliantes. Vnde præ nimia admiratione, & ſtupore magnitudinis, illius admirabilis ædificij, in hæc verba prorumpit, dictus Propheta. *O Iſraël quam magna eſt domus Dei! & ingens locus poſſeſſionis eius, magnus eſt & non habet finem!*

Via ad Deũ conſideratione pertingendi.

Ex his dictis conſiderã opera Dei,& expaueſce;hic tibi iam ſtrata eſt via, per creaturas viſibiles factas, ad inuiſibilis Conditoris conſiderationem ſcãdendi. Cogita millionum millionibus altiores Empyreos, & nil adhuc de Dei Magnitudinis immẽſitate inperſcrutabili, ineffabili, inimaginabili, prendidiſti: ſemper enim ad eundem terminum peruenies. vti bene Iob 11. *Excelſior cælo: profundior Abyſſo, longior terra, latior mari, &c.* Heu nos miſeros, & cæcutientes mortales! qui nun-

nunquam nobis benefacere deſinentem, Altiſsimum Deum, nunquam etiam offendere ceſſamus! Qui tantæ Maieſtatis, Potentiæ, & Magnitudinis Dominum Iſa. 40. *ſuper gyrum terræ noſtræ ſedentem, noſque eius habitatores quaſi locuſtas conſiderantem*: nunquam aut rarò tam præsẽtem nobis veneramur: *cui tamẽ flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, &c.* Sed eius potius Sacroſanctum nomen blaſphemamur, offẽdimus, dictis & factis ad iram prouocamus: ô audaciam infinities deteſtandam! Eum qui te genuit, creauit, manibus plaſmauit, offendis? non reſpicis? iniquè blaſphemas? illum inquam terribilem Dominum; *qui aufert ſpiritum etiam principum: reſpicit terram facitq́ eam tremere*, ex cuius ſolo tactu, montes fumigant: Putáſne ob tot tantæ Maieſtatis læſæ crimina, impunè te victurum, aut moriturum? minimè gentium. Neſcis *Deum Vltionum eſſe Dominum?* Pſalmo 93. Et quid facies, ſi contrà te *acuerit ipſe vt fulgur gladium ſuum, & arripuerit manus eius iudicium? redditurus hoſtibus ſuis Vltionem; & retributionem ſuperbis? Quando altiſsimus inebriabit ſagittas ſuas ſanguine, & gladius eius deuorabit carnes* (*tuas*) &c. Deut. 32. ſcias itaque certò *Dominum in die Vltionis, viſitaturum peccata tua*, Exod. 32.

Magna amentia offendere Deum qui impunè nunquam offendi poteſt.

Ergo filij hominum, *vſquequò graui corde*, Pſal. 4. hæc de cæli Deique Conditoris veſtri immenſâ Magnitudine, Potentiâ & Maieſtate percipientes? vſquequò adhuc diligetis vanitatem potius, quam locum (cælũ Empyreum,) veſtrâ causâ conditum? omnis vanitatis expertem, & infinitis bonis refertum. *Vſquequò claudicatis in vtramque partem?* 3. Reg. cap. 18. nempè vtrumq; ſimul, & regnum cælorum ſperando, & terrena interim toto pectore concupiſcendo; conatu omni quærendo; toto corpore poſsidendo: quæ tamen non niſi ſumma difficultate obtinentur, infinito labore, & ſolicitudine conſeruantur; & tandem ingenti triſtitiâ amittuntur.

Hinc benè D. Aurelius Aug. in Verbis Domini. *Aurum eſt materia laborum, periculum poſsidentium, eneruatio virtutum, malus Dominus, & tandem proditor ſeruus.* Et eodem loco: *Aurum amplius cruciat apud quem largius fuerit: amanti ſe nihil de ſuâ poſſeſsione permittit; refundens ei reatum ſuum, cui viſum negat.* Sanè mirum meritò videtur, pleroſque vitæ ſuæ filum, temporalibus diuitiis aquirendis intexere; breui tamen tempore, mortis falce præſcindendum. Cùmque infallibilis ſententiæ illius Hebr. 11. lex, eos nequaquam latere queat: *quod non habeamus hic manentem ciuitatem*: ita tamen hic viuant, vt de futura illa vita & cęleſti manſione inquirendâ parum aut nihil cogitent: licet, ſi D. Gregorio in hom. credamus: *Terrena ſubſtantia, æternæ felicitati comparata, pondus ſit, non ſubſidium; & tem-*

Quam periculoſa, & laborioſa poſſeſsio auri.

& temporalis vitæ, cum æternâ collata, mors potius ſit dicenda quam vita.

Heu igitur vanitatem huius vitæ vanitatum! ſi (*inquit D.Chryſoſt.ſup.Matth.homil.30.*) *hunc verſiculum ſaperent qui in potentiâ, diuitiis, & ſæcularibus diliciis verſantur; in parietibus omnibus, & veſtibus ſuis ſcriberent, in foro, in domo, in ianuis, & ingreſſibus; & antè omnia, in conſcientiis ſuis, vt ſemper eum oculis cernerent, & corde ſentirent.* Itaque vt cum D. *Adhortatio.* Bernardo loquar. *Feſtinemus ad locum tutiorem* (cæleſtem Ieruſalem) *ad agrum vberiorem, ad paſtum ſaniorem: vt habitemus ſine metu, abundemus ſine defectu, epulemur ſine faſtidio. O igitur* (idem D.Bernardus exclamat) *Beata regio Paradiſi! ô Beata regio deliciarum, ad quam ſuſpiremus de valle hac lachrymarum, vbi ſapientia ſine ignorantia; memoria ſine obliuione, intellectus ſine errore; ratio ſine obſcuritate fulgebit.*

Iſaiæ 40. *Leuate igitur* (ſæcularibus puluiſculis obcæcati mortales) *in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc*: Et *nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus*: Cæli namque, magnitudinis, potentiæ, ſapientiæ & gloriæ Dei, præcones, & enarratores; ab extrà facilè monſtrant illud latere ab intrà, *quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*: Quod, vt optimè S. Auguſt. libr. 22. de Ciuit.Dei, *neque fide capitur: neque ſpe attingitur, neque charitate apprehēditur: deſideria & vota tranſgreditur; aquiri poteſt, æſtimari non poteſt.*

Stultorum ergo infinitus eſt numerus, vt dixit Salomon, dùm infiniti, huius mundi cultores igni & *Stultorum cur infinitus numerus.* gladio, enſe & ferro, contentione & pugna, verbis & verberibus, ſudore & labore in telluris tàm exiguo puncto diuidendo ad vſque vltimum vitæ punctum occupantur: pro ſolis æternâ luce, vmbram & tenebras tēporales, muſcam pro Elephante commuttantes, interea parum de immenſitate cæleſtis Ieruſalem cogitantes.

Attendeſis igitur ô homo, *Conceptus inſignis.* & proſpice rebus tuis, ecce enim vti primum mobile omnes inferiores orbes, ſtellas, & Planetas, fortiſsimè, ſed ſenſim, & inperceptibiliter quaſi, ab ortu in occaſum, continuo rapit, ſine eorum reſiſtentia, ſic Deus Ter.Opt. Max. Primus motor, Vniuerſæ molis creatæ; te quoque iam à natiuitatis tuæ ortu, velis nolis, ad occaſum mortiſq; occiduū punctum inperceptibiliter & continuò rapit. Nam iacta iam eſt alea: *omnes enim morimur, & quaſi aqua, (ſenſim) dilabimur.* 2. Reg. 14. properas, pergiſque iam ad occaſum, *ſtatutum namque eſt homini ſemel mori*: Hebr.9. Et crede Iob 14. quod natus ex muliere, breui victurus ſis adhuc tempore; *& quaſi flos in ortu ſuo egreſſus, velut vmbra continuò te fugere.* Quis ſcit, quantum iam *Conceptus.* diſtes ab occaſu mortis? an forſan hodie, cras, vel poſt horam, tibi occumbendum? Ita ergo te in huius vitæ curriculo geras, vt ad occaſum

caſum, curſu inſenſibili raptus,& ad mortis occiduum horizontem delatus, ita ibidem occidas, vt virtute Primi Motoris, Chriſti Dei, tu alteri hemiſphærio, (alterius vitę) oriaris; tibi autem *Lucifer oriatur*; *ille inquam Lucifer qui neſcit occaſum.* quod fiet quidem, ſi ille continuò in huius vitæ hemiſphærio, virtutum ſtudio, cordi tuo oriatur, Lucifer nempe Chriſtus, omnis occaſus expers: ſi minus, ſcito tibi æterno occaſu, ita occumbendum, vt nulla amplius oriendi ſpes ſit reliqua futura. Non credis? audi ſapientiam Patris, idem tibi cominantem & inculcantem. Ioan. 15. *Manete in me & ego in vobis: nam, ſicuti palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſinè me nihil poteſtis facere. ſi quis in me non manſerit,* (*& ego in illo*), *mittetur foras.* (occumbet & orietur in hemiſphærio æternæ mortis) *ſicuti palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet*: vnde optimè D. Bernardus in ſerm. *Dignus planè eſt morte, qui tibi Chriſto recuſat viuere.* (ſed potius mundo & ſibi.) *& qui tibi non ſapit* (ſed ſibi mundo,& ipſi mundus) *deſipit: Et qui curat eſſe, niſi propter te, pro nihilo eſt; & nihil eſt. Propter teipſum Deus, feciſti omnia, & qui eſſe vult ſibi,* (mundo,& vanitati) *& non tibi, nihil eſſe incipit inter omnia.* Et tandē idem D. Doctor, ibidem noſtrum ſuprà dictū confirmat his verbis. *Ne mundi gloria, ſeu carnis voluptatibus abducaris, dulceſcat tibi pro his ſapientia Chriſtus: & ne ſeducaris* (& æterno caſu occumbas) *Spiritu mendacij & erroris; luceſcat tibi veritas Chriſtus.*

Conceptus memoriæ mortis.

Romanis in more poſitum fuiſſe tradunt; vt de hoſtibus pompoſiſſimè & ſuperbè, in vrbe triumphantibus, (ne indè immortales ſeſe crederent, aut Dijs ſimiles) ab aliquo ex induſtria ad id muneris delegato monitore, continuò inter populi congratulantis, & acclamantis voces, hoc quoque acclamaretur. *Memento te mortalem eſſe, moriendum tibi ſcias*: è numero immortalium Deorum non es. & ſimilia.

Applicatio.

Sic & tu agito; ſi forſan inter mundanos, ad quos te volubilis extulit fortunæ rota, honores, delicias, & proſperitates; illud tibi in mentem venerit Lucæ 12. *Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce ergò modò, comede, bibe & epulare &c.* illudque epicuriſticum & athaiſticum, tibi malus Genius ſuggeſſerit; *ede, bibe, lude, poſt hanc vitam nulla voluptas. &c.* illicò conſtituas, inquā, tibi monitores tui occaſus, iam iam inſtantis; quos? Cælum ipſum ſolem, ſtellas; Lunam & aſtra, continuò ab ortu in Occaſum tendentia, & tacitè ſaltē id acclamantia, *vt diſponas domui tuæ, quia tibi quoque occumbendum, moriendū & ad*

horizontem occiduum mortis properandum ſit. vti enim cõtinuò orbes inferiores & aſtra ab ortu in occaſũ, vi primi mobilis rapiuntur; ſic & noſtræ vitæ labilis rota, continuò occaſum verſùs, decreto, iuſſu, & irreuocabili vi Primi Motoris vertitur, voluiturque.

Conceptus

ANAGOGE II.

Primum mobile repreſentare diuinæ Iuſtitiæ ſeueritatem, Deumque caſtigantem exhibere.

Conceptus de caſu Angelorum.

ALio modo quoque terribilique raptu, Primus Motor Deus, rapere ſolet ſpernentes & præuaricantes, mandata, & volũtates eius: ſic raptus ſtatim vno momento ab ortu creationis ſuæ, ad vſque occaſum æterni ſupplicij fuit, primus proditor angelus, cum apoſtaticis ſociis; teſte Iſaiæ 14. *Quomodò cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram,* &c. Et Ezechielis 8. *Et eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam in decore tuo, in terram proieci te, in multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ; polluiſti ſanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te: & dabo te in cinerem ſuper terram, in conſpectu omnium videntium te. Omnes qui viderint te in gentibus, obſtupeſcent ſuper te: nihili factus es, & non eris in perpetuum.* O terribilem raptum tam nobilis orbis! ô tremendum occaſum? nullo vnquam ortu redimendum! nullo Iuſtitiæ amplius ſole illuſtrandum!

Conceptus.

At petes, cur Lucifer nequeat amplius à ſuo caſu reſurgere? hîc Theologis reſponſum relinquam vnum; & ego addam alterum. Quippe certiſsimum eſſe, ponderoſiſsima, fortiſsima; & maximæ molis grauia, ab altiſsimis cadentia tãtò grauiori caſu ruere quantò ab altiori ſpatio cadunt, ita vt ſi vitâ ſint prædita, propriâ ſuâ mole ſic, & adeò deprimantur lædãturque, quod reſurgere amplius nequaquam valeant; ſed in loco caſus immobilia, & emortua remaneant. Ita, cùm ab altiſsimo culmine Empyrei cæli, grauiſſimo caſu, inſuper propriæ malitiæ; & ſuperbię pondere grauatus Lucifer potentiſsimus, ceciderit: mirum non eſt, eum hoc caſu ita grauiter læſum, & oppreſſum eſſe, quod reſurgere amplius non queat. Nam ſi Dauidem peccata ſua, ex fragilitate carnis ſolummodò contracta, ita grauarunt; vt Pſalm. 37. exclamarit: *Quoniam iniquitates meæ, ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me,* &c: quomodò non maximè apoſtaticos illos angelos, peccata ſua grauabũt? non alterius ſuggeſtione, non ex fragilitate, aut labilitate naturali; ſed propriè ex malitiâ erigẽdo ſe contra Deum, ſuperbiẽdo ab eis comiſſa.

Cur Lucifer nequeat amplius reſurgere à ſuo caſu.

Conceptus de peccati grauitate Angelorum.

comiſſa. Et hanc etiam rationem eſſe multi Theologorum putant; quod Angeli non ſint digni amplius Redemptore, ſecùs autem res habet in Adam & Eua, totius in ſeſe generis humani collectionem, ſeminaliter tantùm concludentibus. Etenim verè fuit ſeducta Eua à dæmoniaco illo ſerpente, putans credenſque, ſe nequaquam morituram ſi comederet ex arbore vetitâ à Deo. Qui error, (ſi Theologis credimus, maximè P. Arriagæ in 1. *parte D. Thomæ tom.2. diſt.24. lect.11.*) valdè diminuit voluntarium; adeoque Dei miſericordiam magis prouocauit, &c. At verò Angeli apoſtatæ, non fuerunt ſeducti, aut ad peccādum ab altero inducti; nam etſi Lucifer eis motiua quædam ad peccandum, & erigendum ſe contrà Deum propoſuerit; ſemper tamen plenè cognouerunt ſibi ineſſe vim; & fortitudinem multò maiorem ad reſiſtendum quàm Adam & Euæ, noſtris Parentibus, ideoque magis voluntariè peccauerunt, quàm Parentes noſtri protoplaſti.

Cur Ada & Eua à Deo conceſſus fuerit Redemptor, & Lucifero denegatus.

Accedit, quòd noſtri primi Parentes duplâ tētatione quaſi, fuerint ad peccandum inducti: primâ, ob creditum internum bonum ſibi eſu pomi, ex ſuaſu ſerpentis proueniendū; ſcilicet quòd eſſent futuri ſicut Dij, ſi manducarent; ſecundâ, ob externum bonum ab ipſius pomi pulchritudine aliciente profectâ, quàm reſpectu labilis naturę humanę, & maximè fœminæ fragilioris ſexus, procul dubiò magnam fuiſſe exiſtimandum eſt: at ſecùs in Angelis, & naturâ, & fortitudine, ad reſiſtendum ſuperioribus, magiſque armatis.

Alia etiam ratio aſsignari poſſet, cur Angelus non obtinuerit Redemptorem; nempè ex parte conſiderationis diuinæ Iuſtitiæ: cùm enim omnes ſimul realiter iam in eſſe perſonali exiſtentes, actualiter peccauerint, adeoque cuiuſlibet Angeli peccatum ſingulare & perſonale, ſeu indiuiduale à ſeſe, contra diuinam clementiam commiſſum, cęteris paribus; toti peccato Adæ, cōmenſurabile, imò intenſiuè multò, fortè grauius fuerit; conſequens videtur, diuinam Iuſtitiam noluiſſe vnius perſonalis Redemptoris oblatione & ſatisfactione, ſibi pro tanta actualiter peccātium multitudine Angelorum ſatisfieri: maximè ſi Angeli ſpecie inter ſeſe diſtinguantur, vti arbitratur D. Thomas, & forſan magis Lucifer, ab infimo dæmone differat, quā hic à quoq; homine; aut homo à Bucephalo, &c. Adam verò, cùm ſolus actualiter præceptum diuinum circa eſum pomi ſibi factum, tranſgreſſus fuerit, cæteri verò homines, in eo tantummodò originaliter, hoc eſt veluti membra in capite, ſemina, in ſeminante deliquerint; adeoque vnicum tantūmodò actuale peccatum

Alia cauſa cur Angeli non obtinuerint Redemptorem.

peccatum fuerit, & non multiplex, à multis ſingularibus (prout in Angelis) commiſſum, facilius etiam cenſetur vnum adinueniſſe Redemptorem: videtur enim conſentaneum diuinæ Iuſtitiæ; vt vnus pro vno, (intellige pro Adam Chriſtus tunc ſcilicet quando peccauit ſolus actualiter, & quidem inductione ſolummodò & non malitiâ.) tantùm ſatisfaciat: vnius ſatisfactionem autem pro pluribus, actualiter & propriâ malitiâ delinquentibus (quales ſunt Angeli.) Diuinâ Iuſtitiâ, ex æquo iure videtur renuiſſe.

Notatu digna. Deinde, ſi Angeli inter ſeſe ſpecie differant ſecūdùm D. Thomam: valdè probabile videtur, peccatum vnius, alterius etiam fuiſſe grauius. Cùm itaque vnum quodq; ſingulare peccatum Angeli, etiam infimi, ſuâ malitiâ & grauitate, peccatū primorum Parentum noſtrorum, videatur forſan excedere, aut ſaltem adæquare, horum autem trāſgreſsio tantæ grauitatis æſtimata fuerit; vt etiam à diuinâ Iuſtitiâ nullius, niſi diuinæ interponentis ſeſe Perſonæ, eiuſdem ſatisfactio voluerit acceptari; hinc quomodo ſaluâ diuinâ Iuſtitiâ, Deo ab vnâ earum, pro tot perſonaliter, & grauius quàm Adam, delinquentibus Angelis potuerit ſatisfieri haud videtur.

Non dubium, quin ſatisfactio vnius Perſonę, è tribus diuinis; infinitè fuiſſet digna & ſufficiens ſatisfacere pro peccato omnium Angelorum; at non videbatur forſan diuinæ Iuſtitiæ conſentaneum, niſi vnius Perſonæ ſatisfactionem, pro vno delinquente tantùm (homine ſcilicet) acceptare; & non vnius pro pluribus, ex malitiâ propriâ & actualiter peccantibus Angelis. Grauiſsima ergo peccata Angelorū fuiſſe hinc elicitur; imò tàm grauia & enormia; quod nullum potuerint obtinere Redemptorem. En igitur primum huius rapidiſsimi, Primi Motoris, diuinæ Iuſtitiæ, ſeueritatis argumentum; quo lucidiſsimus etiam Lucifer, cùm tantâ ſtellarum multitudine, è cælo fuit deturbatus, & excuſſus. Secundum argumentum, rapidiſsimæ conuerſionis diuinæ Iuſtitiæ, vel ex noſtrorum primorum Parentum, è Paradiſo, tàm ſeriosâ eiectione, facilè deſumitur, *Gen. 3. Et emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de quâ ſumptus eſt: eiecitque Adam; & collocauit antè Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium; atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* *Secundum argumentum diuinæ Iuſtitiæ ſeueritatis.*

Heu ſeueritatem diuinæ Iuſtitię! non parcentis Protoplaſto etſi diuinis manibus paulò antè fabrefacto, & ſpiraculo vitæ ipſo ore Dei impregnato. Cuius rei conſideratio meritò ſanæ mentis viris haud exiguum poteſt, debetque incutere timorem; nam *piarum mentium timere eſt*, ſi enim Deus

neque

neque Adæ velut Regi, & generis totius humani capiti nullatenus pepercit, ſed tantâ ſeueritate, ob vnius pomi eſum caſtigauit, & è proprio habitationis loco eiecit; quomodò (cùm etiã modò idem ſit Immutabilis & Iuſtus Deus, qui fuit tempore Adæ, & eiectionis Angelorũ è ſummitate cælorum.) quomodo inquam tibi, ô peccator (niſi emẽdato) tot tranſgreſsionibus diuinæ legis fædato; parcet? hîc qui habet aures audiendi audiat & reſipiſcat.

Tertio Iuſtitiæ Dei (ceu primi mobilis rapidiſsimi) argumento nobis eſſe poterit; vniuerſæ per diluuij inundationem ſubmerſa terra Gen. 7. adeò, quod etiam 15. *cubitis altior fuerit aqua ſuper montes quos operuerat, conſumptaque fuerit omnis caro, quæ mouebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium; quæ reptabant ſuper terram; vniuerſique homines, & cuncta in quibus ſpiraclum vitæ fuit in terra; mortua ſint*: adeoque *deleta omnis ſubſtantia quæ erat ſuper terram, ab homine vſque ad pecus, tàm reptile, quàm volucres cæli, &c.*

Tertium argumentum diuinæ iuſtitiæ ſeueritatis.

Quæ diluuij inundatio, maximè ſanè diuinæ Iuſtitiæ rapidiſsimam ſeueritatem vim, & iram declarat: at quæ cauſa huius tantæ ſeueritatis, inquies? non iuſtitiâ, non ira Dei, ſed malitia hominum ſuper terram: *quandoquidem tunc temporis* (vtinam, ô vtinam non & nunc) *cuncta cogitatio cordis, intenta e[illegible] ad malum*: & hoc non

[illegible]s II.

ſemel, bis, ter, aut quater tantùm, ſed *omni tempore* vt ſacer habet textus: Gen. 7. Cùm itaque hoc diuinæ Iuſtitiæ primum mobile, tantâ hominum malitiâ fuerit refertum, & diuinæ clementiæ vterus è terrâ, ad cælos euaporãtium peccatorum vaporibus; adeò fuerit repletus, ita vt amplius intrà ſeſe continere non potuerit; quid mirum, ſi rapidiſsimâ primi Motoris, ſcilicet diuinæ Iuſtitiæ; vi & impetu, iàm in aquas reſoluti dicti illi peccatorum vapores; terram tantâ malitiæ labe defædatam, repurgandi, & abluendi gratiâ; diuinæ clementiæ vtero diſrupto, ceù perfracto patientiæ; & longanimitatis eius carcere, ingenti illo diluuij impetu proflati, ad ſuum ſordidiſsimum principium, tellurem nempè, vnde aſcenderant, relapſi, proprioſque ſuos miſeros genitores homines, nimietate ſuâ ſuffocarint.

Conceptus elegans.

Et quid mirum, cùm indies malitiæ humanæ, tot impuri amoris, calidæ exhalationes; tot vanitatum, ſuperbiæ, & iniuſtitiæ vapores, fœdi, & fœdiſsimi è telluris globo ad æthera, diuinæ Clementiæ aſcendant, ſi hi in aquas tribulationum noſtrarum reſoluti; illæ verò igne diuinæ iræ incenſæ, ceu laquei igniti; in terram ſuper nos relabantur? iuxtà illud Dauidicum: *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis.* Pſalm. 10.

Conceptus inſignis.

Quartum rapidiſsimæ diuinæ Iuſtitiæ, & iræ argumentum, de-

Quartum ſeueritatis diuinæ Iu-

ſtitiæ argumentum. ſumi poterit ex cõflagratione Sodomæ, & Gomorrhæ Gen. 19. Ex cõuerſione vxoris Lot in ſtatuam ſalis ibidem. Iterum ex horribili caſu Dathan, Core, & Abiron; quos num. 16. *terra viuos cum omnibus ſuis deglutiuit.* Quodq́ue ducentos illos & quinquaginta viros, qui incenſum offerebant, flamma, vltrix ſubitò conſumpſerit. Heu! ſi tantam diuinæ vindictæ ſeueritatem Sodomitæ illi; Gomorrhæi, vxor Lot, Dathan, & Abiron experti sũt; hi quidem, ob murmurationis cõtrà Aaron, & inobedientiæ contrà Moyſen vnicum vitium; illa verò, ob ſolam fæmininæ labilitatis curioſitatem; quid de illis futurum putas, qui omnibus vitiis dediti, & vniuerſo peccatorum cœno immerſi, Deum Ter. Opt. Max. indies ad indignationem maximè prouocant? quippè *theſaurizabunt ſibi iram in die iræ & reuelationis, iuſti iudicij Dei.* Rom. 2.

Murmurationis vitiũ grauiter à Deo caſtigatur.

Vnde mirum, tot indies diuinæ vindictæ argumentis tùm in nobis, cùm etiam in aliis viſis, nihilo tamen meliores euadamus, quod deplorat maximè D. Chryſoſt. hom. 14. in Matth. *Nobis cùm indignetur omnium Dominus, oſcitamus, recubamus, delitiamur; inebriamur?* Hoc agamus ergo, vt aliorum punitio, fiat noſtra emendatio. *Et metu ex iis* (inquit D. Chryſoſt. hom. 39. operis imperfecti) *quæ aliis acciderunt concepto, reddamur probiores: dominu enim, vno ſæpè famulo flagellato, multos metu reddunt emendatiores.* Sic & Deus, vno caſtigato peccatore, vult nos alieno malo, à malo nobis impendente auertere. Itaq́ue cùm S. Auguſtino: *Dominum hic vrentem, hic ſecantem, ſuſtineamus; vt in alterâ vita, æternæ indignationis eius rapiditatem, & furorem declinemus.*

Tandem ſicut impoſsibile eſt humanę menti, primi mobilis velociſsimam rapidiſsimamq́ue gyrationem, imaginatione, nedum ſenſu capere; ſic impoſsibile eſt, diuinorum iudiciorum abyſſum penetrare: quippè hunc *modò humiliantem, alterum exaltantem; hunc ad inferos deducentem, alterum inde reducentem, &c.* Reg. 2. vnde optimè D. Greg. in Moral. lib. 5. cap. 1. *licet occultum ſit, cum bonis malè euenit, & malis benè: occultius tamen eſt; cum bonis benè, & cum malis malè:* & cap. 14. ibid. *Tenebris homo circumdatur qui quamuis cæleſti deſiderio ferueat, tamen quid de ſe diſpoſitum ſit ignorat.* Quippè hoc magna diſpenſatione Dei agitur, vt in hac vitâ omnia ſint incerta. *Simile.*

Sanè Abyſſum iudiciorũ Dei; multa S. Scripturæ exempla declarant. Primò, illa ruina regis Saul; cuius tamen duo prima peccata venia digna videbantur: primum quidem, quòd magnâ oppreſſus anguſtiâ, Dominum antè Samuëlis aduentum placare voluerit: ſecũdum verò, quòd Agag Regi miſerrimo, fortunis omnibus deſtituto & euerſo, pepercerit, pin- *Exempla diuinæ iuſtitiæ.*

Digitized by Google

pinguiora & pecora reſeruauerit, &c. Quantò verò, cæteris paribus, grauiora peccata videtur commiſiſſe Dauid, tot à Domino beneficiis cumulatus, dum vxorem Vriæ violauit; & Vriæ mortem intulit; & Dominus tamen huius miſeretur, illum à facie ſuâ proſcribit.

Caſus Salomonis.

Mirabilis quoque Salomonis caſus & ruina, nullis ſat verbis explicanda. Terribile & illud, Prophetam à Domino, contra Hieroboam miſſum, & per alterum deceptum, à Leone interremptum eſſe, deceptore verò, & ſeductore illæſo permanente.

Regis Ioſiæ mors.

Mira etiam Ioſiæ, tàm S.Regis eſt mors tàm immatura, & toties à Hieremiâ deploratus interitus, &c. Hinc optimè S.Gregor. ſuper illud Pſalmi 27. Poſuit tenebras latibulum ſuum: *quia* (inquit) *videt Deus omnia, & ipſe in conſiliis ſuis non videtur. Reuelat profunda de tenebris; cum apertâ ſententiâ, indicat, quid de vnoquoque ſentiat. Itaque, quid aliud reſtat, niſi quòd iudicia Dei quantâ obſcuritate nequeant conſpici, tanta humilitate debeant revereri.* S. Gregor. 27. Moral. cap. 2. Tandem Diuus Paulus Rom. 11. exclamat meritò, *ô Altitudo diuitiarum! Sapientia, & ſcientia Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.* Et benè Dauid Pſalm. 35. *Iudicia Dei, abyſſus multa.* Quis enim cognouit ſenſum Domini? niſi qui omnia nouit, Benedictus in ſæcula. Itaque *intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum: ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.* Pſalmo 49.

ANAGOGE III.

Cælum primum mobile, eſſe typum Miſericordiæ, & Bonitatis Dei, iuſtos & peccatores ad ſe rapientis.

CÆlum primum mobile, pleraque intrà gremium ſuum contenta, ab ortu in occaſum, & denuò ab occaſu in ortum rapere, vnanimis Aſtronomorũ eſt ſententia. Quod ſi Dei Ter. Opti. Maxim. naturam conſideramus, (quæ non eſt niſi ipſa Bonitas.) mirabili eam metamorphoſi, primi mobilis raptu, adumbrari deprehendemus: tot enim à natiuitatis ſuæ ortu viros Religioſos, quis non videt in occaſum (vitæ, ſpinis & tribulis plenam, & reſpectu huius mundi verè occiduæ) à Deo rapi trahique, & tandem denuò ab occaſu huius vitæ, ad ortum vitæ æternæ reduci? prout ipſa veritas Chriſtus teſtatur Ioan. 6. *Nemo venit ad me niſi Pater traxerit illum.* Ergo quiſquis, per anguſtiarum tribulationum, & perſecutionum anfractus ad occaſum, hoc eſt ad valedicendum huic ſæculo nequam, traheris, ab eo te trahi; rapique credas, qui Ioan. 12. *ſe omnia ad ſeſe tracturum aſſeruit, poſtquam aſſumendus eſſet ad dexteram Patris.* Sic traxit vocauitq; Deus, Ioan.

Conceptus de vocatione Religioſorum ad vitam ſpiritualem.

Ioan. Baptiſtam, dum mox à teneris vnguiculis duxit eum in occaſum deſerti, atque contemptus ſæculi, & iterum ab occaſu Martyrij, ad ortum vitæ æternæ.

Sanè vocationem & talem raptum, tot virorum Religioſorum, per viam tribulationis, & mortificationis, ad occiduum horizõtem, contemptus ſæculi huius, olim Deus per Oſeam prædixiſſe videtur cap. 11. *In funiculis Adam traham eos.* Quid aliud autem funiculi Adam ſunt, quàm tribulationes, & tribuli, ſpinoſaque vita, quibus Adam ad pœnitentiam fuit illaqueatus & vocatus à Deo?

Quid Adæ funiculi.

Sic & traxit Paulum, rapuitque à Iudaiſmo ad Apoſtolatũ, nempè viâ tribulationis: *Ego enim oſtendam ei, (inquit Chriſtus) quanta eum oporteat pro nomine meo pati.* Act. 9. D. Paulum verò viâ tribulationis fuiſſe raptum à Deo ad Apoſtolatum; teſtatur eius in campo Damaſceno, ceu fulmine celitus facta, ex equo deiectio; horror, & oculorum obcæcatio. Item Corinthiorum 2. cap. 1. ſufficiens ſuæ tribulationis teſtimonium affert, dùm præ mera animi anguſtiâ, & amaritudine fratribus mare ſuæ afflictionis hoc modo exponit: *Non enim volumus vos ignorare fratres de tribulatione noſtra: quoniam ſuprà modum grauati ſumus, ſuprà virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere: ſed ipſi in nobis-metipſis reſponſũ mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit.*

Ecce mirabilem raptum Iuſtorum, ab ortu conſolationum ad occaſum tribulationum, & contrà, ab occaſu tribulationum, ad ortum ſolatij ſpiritalis; aut in hac vitâ, aut in alterâ æternùm deguſtandi. Quippè cùm hoc Deo Ter. Opt. Max. familiare ſit, Electos ſuos trahere in huius vitæ vſurâ, per mare anguſtiarum; vt eò ſecurius in alterius luce, *collocet eos cum principibus populi ſui*, &c. Non tibi graue videatur & moleſtum, ſi Altiſsimus Primus Motor, *hic te deducat, rapiatque per afflictionis ignem & aquam*, Pſalm. 65. certiſsimo enim hoc tibi ſigno ſit, Deum te non ibi relicturum, ſed *recepturum, & in refrigerium educturum.* Pſalm. eodem.

Mirè iuſti à Deo rapiuntur.

Sic Paulum Apoſtolum pientiſsimus Dominus, fortè non ad tertium cælum rapuiſſet, neque ei ibidem arcana ea reuelaſcet, & aperuiſſet, *quæ non licet homini loqui.* 2. Cor. 12. niſi priùs per torrentem afflictionis raptum probaſſet.

Solatia debent nobis eſſe tribulationes.

Itaq; Beati qui propter Deum perſecutionem patiuntur in hac vitâ; *quoniam Deus eripiet eos, & glorificabit eos in cælis.* Pſalm. 90.

Quis ergo non cum S. Auguſtino exclamet. *Domine hîc vre, hîc ſeca, & ibi in æternum parce!* Cum 2. Corinth. 4. certiſsimi ſimus, quòd *in præſenti, momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitate, æternum Gloriæ pondus operetur in nobis.* Et quòd *ſeminantes in lachry-*

Lachrymis, in exultatione metēt. Pſ. 125.

Optimè D. Chryſ. homil. 4. ad populum Antioch. *Non ſic ſemina delatus imber germinare & creſcere facit, vt pietatis ſemen excitat, & vernare facit, ex lachrymis imber: hic animam detergit, irrigat mentem: doctrinæ germen breui progredi, facit &c. Non præſentem ergo ſpectemus tribulationem aut dolorem; ſed orientem ex ipſâ vtilitatem, & naſcentem fructum. ſcilicet æternum gloriæ pondus.* 2. Cor. 4.

, Tandem appoſitè pro nobis de
, cælo loquentibus D. Chryſ. hom.
, 16. ad Heb. concludens ait. Quid
, mihi curæ, eſſe cælũ, cùm videam
, Deum cæli; cùm ego efficiar cæ-
, lum? veniemus inquit, ego & Pa-
, ter, & manſionem apud eum fa-
, ciemus. Ioan. 14. faciamus igitur
, animam noſtram cęlum; vt rapia-
, mur in cælum à Deo cæli. Cęlum
, autem ſolem habet; habemus &
, nos ſolem Iuſtitiæ. Imò & melio-
, res cælo fieri licet; quonam mo-
, dò? quando Dominum ſolis, &
, cæli habemus. Cælum vbique
, mundum eſt, ſine maculâ, non in
, hyeme, non in nocte mutatur:
, proinde & nos, neque in tribula-
, tionibus, neque verſutiis diaboli
, hoc patiamur; ſed maneamus im-
, maculati & mũdi. Cęlum altũ eſt,
, & multum diſtans à terrâ; hoc &
, nos faciamus, ſeparemus nos à
, terrâ, & in excelſum leuemur, &c.
, Ita vt conuerſatio noſtra in cælis
ſemper inueniatur; & tandem feliciter *rapiamur obuiam Chriſto in aëra; vt ſemper cùm Deo* cæli eſſe, viuere, & regnare poſſimus.

Iam primum mobile gerere etiam typum Bonitatis Dei, vel inde patet; quòd, ſicut cælum quotidie ſpatio, 24. horarum, *ſuper bonos & malos expanſum oritur*; ſineque vllâ ceſſatione, non ſui, ſed rerum in ſeſe concluſarum conſeruandi causâ vertitur mundoque continuâ, & mirabili viciſsitudine, iam noctem quibuſdam quidem pro quiete, aliis pro latibulo & ſolatio affert: tùm diem, & gratiſsimam lucem pro labore & negotiatione reſtituit. *Primum mobile gerit typum bonitatis Dei.*

Ita Dei Bonitas & miſericordia, *ſuper omnia opera eius* teſte Dauide Pſal. 149. & 32. *Miſericordiâ Domini plena eſt terrâ.* Ipſe enim cùm nõ ſit acceptator perſonarũ; bonitatem, & ſolem ſuum ſuper omnes, tàm bonos quàm malos, quotidie oriri facit: hos quidem à malo auertendo, & patienter tollerando; illos verò in bono conſeruando, & de virtute, in virtutem dirigendo. *Conceptus de bonitate Dei.*

Vnde obſecro, magis bonitas, prouidentia & miſericordia Dei relucet, niſi ex illo: Deut. 1. *Portauit te Dominus Deus tuus, vt ſolet homo paruulum geſtare filium in omni viâ per quam ambulaſtis.* Iterum Deut. 32. *Sicuti Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas; & aſſumpſit eum, atq; portauit in humeris ſuis.* Annè Deus maius bonitatis & prouidentiæ ſuæ, potuiſſet dare nobis argumẽtum, quàm filios Iſraël ita geſtando in brachiis ſuis? Quod autem Deus

tunc temporis fecit, filiis Iſraël, hoc & modò facit, agitq́ue cum Eccleſiâ & filiis eius. *Ecce enim maneo vobiſcum vſque ad conſūmationem ſæculi.* Matth. 28. & Ioan. 14. *Non relinquam vos orphanos; In illo die cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis, &c.* Sicuti ergo primum mobile continuò vertitur ſuprà nos, tegit, fouet & omnia quaſi in mundo mouere cenſetur: ita & prouidentia Dei, bonitas & miſericordia Domini, *ſuper omnia opera eius*: ea conſeruando, fouendo in eſſe, & tuendo ab interitu. Hinc optimè Clem. Alexand. lib. 7. Strom. *quomodo ſol* (inquit) *non ſolum cælum, & totum mundum illuminat; ſuper terram, & mare ſplendens, ſed etiam per feneſtram & paruum foramē; vel in intima penetralia domorum lucem emittit: ita Verbum* (Chriſtus) *vndequaque effuſum, vel minima reſpicit*, &c. Ad hoc optimè Dauid Pſal. 112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat & humilia reſpicit in cælo & in terra; ſuſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus; cum principibus populi ſui:* hoc eſt, cum Angelicis poteſtatibus in cælis, &c.

Legatur Pſal. 103. totus in prouidentiæ, & bonitatis Dei, commēdationem & laudem exaratus. *Quam enim magnificata ſunt opera tua Domine; omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua: omnia à te expectant; vt des illis eſcā in tēpore; dante te illis colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate, &c.*

Itaque qui tantâ Dei bonitate abutuntur, fruuntur eâ quotidie, & tamen non agnoſcunt, ſed ingratiſsimos ſeſe, erga Cōditorem ſuum, ècontrà exhibent: illos Dauid meritò dicto Pſal. 103. optat cum *peccatoribus; & iniquis, de terrâ deficere ita vt nō ſint,* ceu indignos huius luminis vſurâ, & vſurpatores operum & beneficiorum Dei.

Tādem optimè Damaſc. in hiſt. Barlaam, & Ioſaphat. c. 17. Si enim (inquit) nauis ſine gubernatore nō poteſt ſubſiſtere; ſed mox ſubmergitur: & domus modica ſine prouiſore: mūdus quomodo conſtat tanto tempore, creatura ſic magna, ſic bona & mirabilis; ſine glorioſâ quadam, & magnificâ, atque mirabili gubernatione, & ſapientiſsimâ prouidētiâ? ecce enim cælum quātum tempus habet, & non denigratum eſt? terræ virtus, non eſt laſſata tāto tempore, fontes non deſierūt fluere, ex quo facti ſunt: mare tot & tanta ſuſcipiēs flumina, non ſupergreditur menſuram, & terminos ſuos; curſus ſolis & lunæ non mutantur: ordines dici, & noctis, non peruertuntur, &c. hactenus Damaſcenus; cui ego addo. Sed ſolus homo & peccator, indies in peius mutantur: hic in nouos & nouos cœnos peccatorū ſeſe immergēdo; ille nunquam *in eodem ſtatu permanēdo* teſte Iob. Notent autem ſupradictam auream eloquentiā D. Damaſc. & ex enumeratione tot partiū, creaturarū, inquam,

Solus homo & peccator maximè mutabiles.

inquâ impoſsibiliter ſine Deo gubernatore, in tali ordine ita perſiſtētium, Deum eſſe dubitare deſinant, notent, inquam, omnes illi, quibus cor impiè obmurmurat, illud atheiſticum: *non eſt Deus*; & quem oculis corporeis non cernunt; neque ob cordis duritiam etiam eſſe, & exiſtere credunt; ex rerum continuâ ſerie, prouidentiâ, & gubernatione, palpent manibus ſaltem, ſi non corde & ratione, niſi palpabiles & exteriores tenebras olim cernere, & palpare velint æternas.

Notanda pro Atheiſtis.

Erubeſcant flocci illi homines, aut atheiſmum corde impiè fouentes; aut ſaltem nefariis factis, execrandiſque ſuis operibus profitentes: erubeſcant, inquam in corde obmurmurantes, & continuò illud ruminantes. *Non eſt Deus.* Et vel Gentiles audiant, omni fidei tamen lumine deſtitutos; quid hac in parte ſentiant.

Ciceronis ſententia aurea de Deo.

, Nota ſunt, aurea Ciceronis verba
, 2. de leg. Sit hoc (inquit) à princi-
, pio perſuaſum hominibus, Do-
, minos eſſe, ac moderatores Deos:
, eaque quæ gerantur, eorum geri
, ditione atque numine, eoſque op-
, timè de genere hominum mereri:
, & qualis quiſque ſit, quid agat
, quid in ſe admittat; quâ mente,
, quâ pietate colat Religionem; in-
, tueri, piorumque & impiorum,
, habere rationem, &c. Et iterum
, de diuinat.
, Deorum (inquit) prouidentiâ
, mundus adminiſtratur; iidemque
conſulunt rebus humanis: nec '
ſolùm vniuerſis, verum etiam '
ſingulis, &c. Et 3. de nat. Deor. '
Idem ait. Vt nec domus, nec res '
publica, ratione quadam, & diſ- '
ciplinâ deſignatâ videtur, ſi in '
ea, nec rectè factis præmiâ extent '
vllâ; nec ſupplicia peccatis: ſic di- '
uina in homines moderatio, pro- '
fectò nulla eſt, ſi in ea diſcrimen '
nullum eſt bonorum & malo- '
rum. '

Denique idem Cicero libr. 1. '
de inuent. Nihil autem melius '
omnium rerum, quàm mundus '
adminiſtratur: nam & ſignorum '
ortus, & obitus, definitum quen- '
dam ordinem ſeruant, & annuæ '
commutationes, non modò qua- '
dam ex neceſsitate, ſemper eodem '
modo fiunt; verùm ad vtilitates '
quoque rerum omnium ſunt ac- '
commodatæ; & diurnæ, noc- '
turnæque viciſsitudines, nulla in '
ſe vnquam mutatæ quidquam '
nocuerunt. Quæ ſigno ſunt om- '
nia, non mediocri quodam con- '
ſilio naturam mundi adminiſtra- '
ri. Quod ſi melius geruntur ea '
quæ conſilio, quàm quæ ſine con- '
ſilio adminiſtrantur, nihil autem '
omnium rerum melius, quàm '
mundus adminiſtratur; conſilio '
igitur mundus adminiſtratur, &c. '
Et ego ſubnecto, quo ergo conſi- '
lio? non profectò meo, non tuo (atheiſta) non eorum denique qui aut Deum factis ſuis negant, aut ſupremum aliquod numen & Principium rerum omnium eſſe, &

& exiſtere corde non credunt; ſed altiori conſilio neceſſe eſt mundi hanc molem moderari, &c. nullis profectò argumentis, fortius impij eiuſmodi ſtringi, & efficacius Deum eſſe conuinci confundique queunt, niſi ex ſtupendâ cælorum mole, ornatu, pulchritudine, ordine, & rerum; orbiumque cæleſtium moderatione, motu, admirandaque conuerſione; & habitudine, ſiderum deſumptis. Itaque ex cælis, machinaque vniuerſi, ſequenti Anagoge contrà atheos, demonſtraturi ſumus; nō ſolùm eſſe Deum, & ſupremum rerum aliquē moderatorem, in mundo; verùm & eundem vnicum eſſe in ſubſtantiâ; & Trinum in perſonis reuerâ exiſtere, neque plures vno Deo, vno modo eſſe poſſe.

Quibus potiſſimum argumentis athei ſtringantur.

ANAGOGE IV.

Primum mobile cæteroſq; cælos, & Sidera, Primum aliquem Motorem rerumq; omnium moderatorem arguere.

CÆlum primum mobile eſſe in ſeſe vnicū, & ſimpliciſſimum; ingenerabile & incorruptibile, ſubſtantiæ immutabilis, ſubtiliſſimæ, nec à nobis viſibile; rotundum, tria in ſeſe continens puncta, nempè centrum medium; & duos polos, arcticum vnum, antarcticum alterum, &c. vnanimi cōſenſu, docent, tàm Aſtronomi, quā Philoſophi, vti videre eſt paſsim apud Ariſtotelem in libr. de cælo & mundo; & alios, &c.

Ergo cælum primum mobile, à Primo rerum Motore factum, ſuâ vnitate, ſimplicitate, ingenerabili, & incorruptibili ſubſtantiâ, ſui factoris Dei vnitatem eſſentiæ, & ſimplicitatem: rotunditate, eius æternitatem, & perpetuam exiſtentiam optimè, ſuo modo exhibet. Tribus verò ſupradictis punctis in ſeſe contentis, Trinitatem Perſonarum, in vnitate Eſſentiæ eius, denotat. vti ſuo loco poſteà latiùs demonſtrabimus.

Primum mobile inſignis typus Dei.

Eſſe autem iam vnum aliquod Primum, & ſummum Ens, omnium entium cæterorū in mundo exiſtētium primam & originalem cauſam, & totius vniuerſitatis fontem Opt. Maximum: omnes clamant creaturæ, tùm in aure cordis, & rationis humanæ; cùm etiam apud Pſalmiſtam Pſal. 99. *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Et iterum Pſal. 148. *Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mādauit & creata ſunt: ſtatuit ea in æternum; & in ſæculum ſæculi, &c.* Iterum Pſal. 101. *initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum, ſunt cæli.* Et Iſaiæ 42. *Hæc dicit Dominus creans cælos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam.* Et iterum Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.*

terrã. Et infinita eiuſmodi loca in S.literis; Deo, ceu rerum omnium Primo Motori; fonti, & moderatori totius vniuerſæ naturæ, primum omnium principium tribuentia, inuenire eſt. Cùm ergo nemo det, quod non & ipſe prius habet; quomodo poſsibile eſt, Deum potuiſſe rebus omnibus eſſe, viuere, & exiſtentiam dediſſe; niſi ipſe prius infinitè perfectius hæc omnia in ſeſe, ſuaque naturâ & eſſentiâ habuiſſet? ſanè lumine fidei, cæteroquin priuus, homoque gentilis & Ethnicus, Seneca inquam; hoc idem axioma æternæ veritatis eſſe; vnumque rerum omnium Principium, cauſam & moderatorem, ex cęlorum immensâ machinâ, curſu ſiderum; & rerum naturalium ordine, tàm mirabili agnouit; concluſit, & inuenit: ſic enim inquit.

Quibus viis Seneca ad agnitionem Dei peruenit.

„ Superfluum eſt, velle demonſtrare opus hoc immenſum, quale eſt mundus hic, Gubernatore deſtitutum eſſe: curſus enim, & recurſus ſtellarum, à caſu eſſe non poteſt. Imò tacendũ omninò non eſt, velocitatem iſtam ab æternæ legis imperio procedere. Hæc etiam tanta abundantia rerum, quæ in terra & mari naſcuntur, tantus clariſsimarum ſtellarum ſplẽdor, quæ ordinariè lucent, & ordo iſte tàm certus, non fiunt caſu, ſed maximo conſilio. Videmus etiam grauiſsimum terræ pondus, in infimo loco ſtare immobile: videmus quomodò cæli tantâ velocitate, circum illam voluantur: mare quomodo in eius vallibus ſe colligit, terrã fœcundans, & quod tot fluminibus, quæ ſe in illud exonerant, autem non redundat. Neque minùs mirandum eſt; videre ex tàm paruo ſemine, tàm magnam naſci arborem: videre etiam fluxum & refluxum maris, tàm latè ſe extendentis, & mox ſeſe recolligentis; idque cùm minori aut maiori impetu, ſecundùm incrementum, & aſcenſum Lunæ, cuius arbitrio oceanus mouetur, & regitur. hæc Seneca. „

Ex quibus omnibus tandem vnum harum omnium rerum Gubernatorem & Principium, adeoque Deum eſſe concludit, omnibus ſupradictis creaturis & rebus, eſſe, motum & exiſtentiam tribuentem. Vide ergo quid profuerit Senecæ, cælorum ſiderum; & aliarum naturalium creaturarum cognitio, & conſideratio? Seneca igitur optimè opera Domini intellexit, quidque rationis, humano dictamini, continuò acclamarent probè nouit: nempe illud Dauidicum, & Deificum; *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*, &c.

Quid Senecæ profuerit aſtrorum cognitio.

Qui autem nolunt cum Senecâ, opera Domini intelligere à ſummo rerum opifice deſtruẽtur; eo ipſo, quod non intellexerint opera Domini, audi Pſalm. 27. *Secundùm opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem ſuperbis; quoniam non intellexerunt opera Domini, &c.*

Superbos eſſe illos, qui nolunt ſummo rerum Conditori deferre gloriam; eum agnoſcere renuunt, ſed cuncta caſui & fato attribuũt dubium non eſt: tales autem à Seneca, Ariſtotele, & Cicerone, aliiſque ſexcẽtis ethnicis ſapientibus, Deum ex creaturis, & curſu aſtrorum agnoſcentibus, fore ſuo tempore accuſandos, confundẽdos; & tandem etiam condẽnandos, extra controuerſiam eſt. Audiant eiuſmodi atheiſtæ, quid Dominus comminetur Sap. 5. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contrà inſenſatos.* Sanè inſenſati meritò illi cenſendi ſunt, qui veluti bruta animalia ex nullâ creaturâ Deum diſpiciunt. Hinc rectè terrarum orbis in die iudicij, contrà tales impios aduocabitur, inque teſtem aſſumetur à Deo, eò quòd iis ſolus telluris globus ſufficienter inculcauerit, per tot variarum creaturarum ſpecierumq; in ſeſe contẽtarum exhibitionem; eſſe nempè harum omnium vnum aliquem Conditorem & moderatorem rerum.

Cicero quid ex inſpectione mundi concludat. Dixi Senecam & Ciceronem contrà generationem hanc atheiſticam in die iudicij conſurrecturos, eamque condemnaturos, eò quòd hi Deum eſſe, & exiſtere, è creaturarum cœlorumque inſpectione ſufficienter concluſerint, & cognouerint: illi verò minimè cognoſcere eum per viſibilia facta voluerint: audiant & obſtupeſcant Ciceronem lib. de Nat. Deorum ratiocinantem, quid ex inſpectione mundi concludat.

Fortè fortuna, inquit, iter agẽs « quiſpiam in montibus & nemori- « bus denſis, offendit in ſolitudine « domum egregiam, aut arcem « munitiſsimam. Ingreſſus, mirâ « induſtriâ conſtructam cernit, co- « lumnas marmoreas, arcus ſoli- « diſsimos, teſtudines excelſas, va- « riis refertas figuris. Laquearea, & « tigna auro fulgentia. Neminem « ibi conſpicit: illuſionemque ibi « ſuſpicatur. Attamen, audit ſtre- « pitum deambulantium ſurſum, « & colloquẽtium. Si ſuperiora do- « mus petens quæreret: obſecro, « quis has ampliſsimas, magnificaſ- « que ædes in hoc deſerto conſtru- « xit? reſponderetur que ei, nullius « opera extructa eſt hæc vaſtiſsima « moles, ſed ex ingentis ſilicis, ad « ima deuoluti parte mediâ, admi- « randa hæc quam cernis fabrica, « exſurrexit: nónne riſum, & ſom- « nia iudicaret iſta? At ſi diceretur « huius ampliſsimi palatij auctor « Rex Potentiſsimus eſt, modò in « ſuperiori ſuo conclaui agens, at- « que aliorum declinans conſpe- « ctum, donec tempus adueniat « oportunum. Hæc certè vero ſimi- « liora, & rationi magis confor- « mia diceret. Itaque ingreditur ho- « *Simile.* mo mundi huius deſertum; videt « vniuerſi fabricam ſcitè, & firmi- « ter conſtructam, quatuor colum- « nis, quæ ſunt quatuor elementa, «

, quibus ſuſtentatur, innixam: cæli , admiratur fornices, & teſtudines, , auro fulgentes luminibus, quę sũt , ſidera micantia: Audit in ſupernis , tumultũ, fulgura, tonitrua, alioſ- , que ſtrepitus. Haud dubiè apud ſe , ita ratiocinabitur: Iſta non fiũt ca- , ſu, vt volebat Anaxagoras, ſed , horum Auctor in ſuperioribus ; degit, ſapientiâ ſuâ vniuerſi ma- , chinam rotans, & gubernans, &c.

Hæc Cicero, in confuſionem multorum, etiam Chriſtiano nomine inſignitorum, etſi intus atheiſmo tinctorũ; indelebili, mortalium mentibus memoriâ, æternitate planè dignâ, repoſuit. Tollat ergo vel Cicero & eradicet hic ethnicus & gentilis homo, è multorum Chriſtianorum hominum cordibus, impiiſsimam illam atheiſticam radicem, *Non eſt Deus.*

Ariſtoteles atheos confundit.

At pro maiori corroboratione, ſcilicet è rerum naturalium inſpectione, & cõſideratione maximè cælorũ, illicò etiam ſtatim poſſe, & debere cognoſci, eſſe aliquem ſummum moderatorem, & rerum Motorem Primum; peripateticorum princeps, Ariſtoteles accedat, ſuamque ſententiam proferat. *Nam ſi quis* (ait) *ex tenebris prodiret in hãc lucem cœli, & mundi, quem nunquam anteà conſpexiſſet, nec de illo audiuiſſet: conſideraret autem curſus aſtrorum; rerumque actiones: nullo penitus modo dubitaturum hunc, quin hæc omnia cura, conſilioque tenerentur, principis ſapientiſſimi, & potentiſſimi, &c.* Hæc Ariſtoteles. Ex quibus atheiſtarum, & gẽtilium, iuſtiſsima condemnatio, in die illâ tremendâ futura, haud obſcurè concluditur.

Faciliſimum eſſe Deum cognoſcere ex creaturarum inſpectione.

Enimuerò ſi ſummũ aliquod ens entium, ex entibus creatis, & viſibilibus aliquem neceſſariò, immenſum & inuiſibilem moderatorem, facillimum (vti iam ex Seneca, Cicerone, & Ariſtotele viſum & probatum) fuerit elicere, & concludere; haud magis difficile erit, eundem etiam quem cæli immenſâ ſuâ amplitudine, & pulchritudine infinitum, ſapientiſsimum; & omniualentem arguũt; omnes creatæ, rerumque ſpecies Optimum Maximum proclamãt; aſtra tùm matutina, cùm veſpertina, tacitè lucem inacceſsibilem prædicant: ipſa denique mentis humanæ ratio, velut omnibus & vbique neceſſariò ita & ſibi intimè præſentem, naturali quodam inſtinctu edocta palpat: eundem inquam, haud difficilius erit, tàm ex pulchritudine quàm bonitate, & ordine rerum, Optimum & Maximum iam ita cognitum; pro tali etiam reuereri, amare, & colere.

Impoſsibile namque videtur, mentem noſtram non ſtatim etiam naturali quadam inclinatione, toto impetu ferri debere in bonum à ſe iam cognitum. Voluntas namque ſuaptè quaſi naturâ, in bonum ab intellectu ſibi propoſitum, & iam præcognitum fertur. Nullus ergo nec atheo-

rum,

rum,nec gentilium,nec atheizantium, in die illa vniuerſali, factorum noſtrorum diſcriminatore, excuſatus eſſe poterit, ſe nempè Deum Optimum Maximum, etiam ſine Euangelizante ſibi, ſi voluiſſet, non optimè cognoſcere, cognitum amare, amatum reuereri; veneratumque, iuxta præſcriptas,ab ipsâmet naturâ,ſibi leges, vitâ compoſitâ colere potuiſſe: id quòd ex ſacris literis demonſtratur; Deum nempè, nulli ſuâ gratiâ, qualicumque, deeſſe. Iſaiæ 40.

Numquid neſcis, aut non audiſti? Deus ſempiternus Dominus qui creauit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit; nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. Qui dat laſſo virtutem: & his qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat, &c.

Vides quâ ratione Altiſsimus, etiam eos qui quaſi non eſſe cenſentur (quales profectò cenſendi ſunt atheiſtæ, & gentiles) ad ſeſe cognoſcendum,& amandum corroboret?

Argumentum contra atheos. Sed tale formes contrà atheos, ex ſuper allatis,Cicerone,& Senecâ, argumentum, ad conuinciendum neceſſariò debere eſſe, ens aliquod ſapientiſsimum, totam hanc ſpectabilem rerum machinam, moderans, & gubernans.

Quæcumque melius reguntur (inquit Cicero) Conſilio reguntur,
At mundus pulcberrimè, & melius omnibus regitur;
Ergo Conſilio regitur: & conſequenter non caſu, aut fortuito,ergo Summum quoddam eſt ens, ſummo conſilio omnia ſapientiſſimè gubernans.

Aliud argumentum ex Ariſtotele deſumptum quoque placeat audire, quo vnum primum, rerum cunctarum Motorem optimè probat: nam

Quæcumque mouentur, ab alio mouentur,
At cælum, & aſtra &c. mouentur: ergo ab alio.

Ne autem detur proceſſus in infinitum (qui nullo modo eſt dabilis, aut in rerum naturâ imaginandus) neceſſariò; ad aliquem Primum Motorem deueniēdum erit, à quo omnia quæ mouentur, motus ſui incrementa accipiant. Ex hoc ergo optimè & philoſophicè concluditur, eſſe nempè in mundi huius vniuerſitate, & machinâ admirandâ; aliquem admirabilem, primum, & ſupremum motorem, cauſamque independentem; à qua cuncta quæ cælorum terminis & ingenti vaſtitate claudūtur pullulent, dependeantque, ſuumque principium, viuere, & eſſe hauriant. Hæc Apoſtolus Hebr. 11. velut prima fidei noſtræ elementa & fundamenta his verbis nobis inculcat: *credere oportet accedentem ad Deum quia eſt* (id eſt in hoc mundo) *& inquirentibus ſe remunerator ſit*, id eſt in altero ſæculo, æternus præmiator.

Iam ſi aliquis ſit, qui primò omnia mouet, vel erit ab alio dependens, *Argumentum ſtringens atheos.*

pendens, & ſe ſuperiore motore, vel independens à nullo: ſi primum; non erit ipſe ergo primus motor (ſicque in infinitum procedendo nullus primus motor eſſet reperiendus) ſi ſecundum (id eſt, quod à nullo ſuâ eſſentiâ, & virtute motrice, quâ cuncta mouet immotus, dependeat) erit is primus motor & neceſſariò Deus, primaque cauſa, fons & origo omnium rerum, cauſarumque inferiorum.

Optimè Lactantius libr. 1. ſuperiora omnia, ex rerũ effectibus deſumptis argumentis, confirmat & corroborat. Nemo (inquit) *eſt tam rudis, tam feris moribus, quin oculos ſuos in cælum tollẽs: tametſi neſciat cuius Dei prouidentiâ regatur hoc omne quod cernitur, aliquem tamen intelligat, ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, vtilitate, pulchritudine, temporatione: nec poſſe fieri, quin id, quod mirabili ratione conſtat, conſilio maiori aliquo ſit inſtructum.*

Ætiopis quidam gentilis, cæli tamen inſpectione, Deum eſſe concludit.

Quod veriſsimum quidem eſſe, exemplo cuiuſdam Æthiopis (ſicut plerique ſunt) rudiſsimi, conuincitur, qui (vti à fide dignis accepi) dum in Hiſpaniâ, quondam ſudâ nocte, cælum tot luminibus, faculis, ſtellis, & lunâ, tam mirè ornatum, fortè intuitus eſſet; præ merâ admiratione in hæc formalia prorupiſſe dicitur, *He que gran Señor deue de ſer eſſe, quien ha hecho tan lindo pauellon, &c.* hoc eſt, heu, quantus Dominus debet is eſſe, qui fabricauit tam ornatum & mirabilem papilionem & tentorium!

Vides ergo quidnam poſsit cæli inſpectio, eiuſque conſideratio, etiam apud gentes quibus nedum notus eſt Deus. Et ergo veriſsimum eſſe, illud Dauidicum: *Cælos enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius enuntiare firmamentum* patet. Tandemque indubitatum, etiam per viſibilia facta, inuiſibilia Dei conſpici: hacque ſcalâ & gentiles, ad agnitionis Dei Ter Optimi Maximi culmen ſcandere facile poſſe, ſi velint; imò velint nolint, debere: cùm rationis dictamen, rerum naturalium intuitu, non poſsit non indigitare eis, aliquam horum omnium viſibilium cauſam inuiſibilem, primam, Opt. Max. à nullâ aliâ ſuperiori causâ dependentem. Audi Ciceronem, &c. de leg. *De hominibus* (inquit) *nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat, non tamen habendum eſſe ſciat.* Et hæc eſt ratio, cur inter tot innumeras nationes quantumcumque barbaras, nulla tamen ſit, quæ non aliquam vim diuinam, enſque ſibi, & cunctis rebus ſuperius agnoſcat (etſi quod, aut quale illud ſit, non plenè cognoſcat) idque aliquo cultus genere reuereatur, honoret, & colat. Cauſa eſt, quòd Deus amantiſsimus, menti humanæ, neſcio qualem inclinationem, reuerentiam, & obſeruantiam ſui, naturalem impreſſerit,

Rerum naturalium inſpectio potentiſsima hominem inducendi ad agnitionem Dei.

rit, ceu erga Patrem rerum, & bonorum omnium fontem, & datorem; quem mala perpetrando, etiam gentes vltorem iuſtum pertimeſcant, formident, horreant, ſicque à malis auertantur: precibus, cùm iratum ſibi ſentiãt, placare, & in afflictione, ęrumniſque ſuis, ab eo opẽ implorare valeant; ſicque ad bonum alliciãtur.

Hoc veriſsimum eſſe, ſuo nos exemplo edocuêre tum diuerſæ gentilium nationes, cùm verò maximè Romani; infinitos ſibi Deos fingentes, quos non tam formidarent in malè agẽdis, quàm in proſperis colerent, in aduerſis aut conſulerent, aut placarent.

Ita quoque Athenienſes: quòd tempore Paſsionis Domini Seruatoris noſtri, præter rerum ordinem, (inſtante quidem Plenilunio) formidabili illa eclypſi vniuerſali, ſolare lumen toti terrarum orbi abreptum cernerent, lucemque meridianam tãto prodigio, tamque ſubitò in denſiſsimas, ceu acheronticas tenebras commutatam, horrerent (quapropter & S. Dionyſium Areopagitam hæc cernendo, exclamaſſe ferunt: *Aut Deus naturæ patitur; aut mundi machina diſſoluetur*) Aram erexerunt, hac inſcriptione in fronte depictam. *Ignoto Deo.*

Cùm enim, tam formidoloſum prodigium, non tam dicti defectus luminarium cernerent, quàm tantâ concuſsione, totam telluris machinam nutare, tremere, & præter rerum ordinem ita agitari viderent, quaſi loci ſui naturalis iam pertęſa & impatiẽs, aliunde, ingenti fragore, boatu, & tonitruorum mugitu, ſeſe librare, & agitare vellet; impoſsibile eſſe rati ſunt, hæc caſu, & fortuito euentu euenire; ſed neceſſario impulſu alicuius ſuperioris Agentis, totius rerum molem moderantis voluntate, eiuſque ad id prouocata indignatione, orbi contingere debere.

Hinc & Apoſtolus Gentium Doctor, poſtmodum Areopagum, Euangelium diſſeminandi gratiâ veniens, dictæque Aræ inſcriptionem legens, magnoperè miratus, inde quidem ſuæ prædicationis exordium ſumpſit; eiſque (quod quidẽ contra philoſophica principia) ex ignoto, notũ Deum deduxit & demonſtrauit; dum ſic eos affatur: *Viri Athenienſes, &c. præteriens videns ſimulacra veſtra, inueni & aram, in qua ſcriptum erat. Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus qui fecit mundum & omnia, quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ, cùm ſit Dominus, non in manu factis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cùm ipſe det omnibus vitam & inſpirationem, & omnia, &c.*

En quo argumento Apoſtolus cœperit Athenienſes adoriri, eoſque ad credendum vnum Deum, &c perſuadere? nempè, ex creatione cæli & terræ; probè ſciẽs, argumenta è rerum naturaliũ ordine, diſpoſi-

diſpoſitione, & mirabili conſenſu, adminiſtratione, moderatione que mundanæ machinæ petita, ſuaptè naturâ, eſſe prægnantiſsima,& omnium ponderoſiſsima, ad conuincendum gentes; ea quæ in rerum vniuerſitate fiunt, non caſu, fortuitóve, ſed ſupremi alicuius primi moderatoris nutu, conſilio, potentiâ, & adminiſtratione fieri.

Legatur Clemens Romanus, quomodo Princeps Apoſtolorũ Petrus, quáve ratione, & quibus argumentis Simonem Magum conuicerit,quibuſque rationibus, Clementis Pater gentilis, ad fidem perſuaſus & perductus fuerit;tùm à Clemente ſuo filio,cùm à Petro ipſo, &c. & illico apparebit, quidnam aſtrorum curſus conſideratio, eiuſque cognitio nobis prodeſſe queat, in conuertendis gentibus.

ANAGOGE V.

Deum vnicum tantùm, neque plures eſſe poſſe in rerum natura, tum cæli curſu, motuq́; aſtrorum, cùm etiam alüs naturalibus rationibus conuincitur.

DEum Ter Opt.Max. rebus patratis coëxiſtere, quin & præxiſtere, ac neceſſariò velut ſummum moderatorem præeſſe, ſuperiori parte ſatis demonſtratum habemus: Præſtat ergo iam eum etiam vnicum tantùm eſſe probare.

Quod vt fiat, notandum eſt: cæli aſtrorumque curſum iam ab origine rerum, ſemel à Primo Motore conceptum ſuum motum, & impreſſum impetũ, nunquam vel minimùm cohibuiſſe, aut interrupiſſe: ſed potius admirando ordine, iucundiſsimâ harmoniâ, ſtupendaque concitatione, hactenus perpetuò continuaſſe, legeſque motus ſui, ſibi à naturæ Auctore ſemel latas, ſtatutaſque, neque hilo violaſſe: id quod profectò in tam vaſtiſsimâ mole, & machinâ, non tam admiratione, quàm conſideratione digniſsimum; vel ideò, quòd indè potiſſimæ diuinæ potentiæ, bonitatis, prouidentiæ; & erga miſellos nos terricolas, immenſi illius amoris, & curæ, argumenta vltro ſeſe offerant, mentique humanæ velit nolit ingerant.

Quis enim videndo cælos, & aſtra tanto ordine, perpetuò conuerti; tantâ promptitudine, nunc quietẽ, & tenebras Phœbo abrepto, nobis afferre; nunc gratiſsimum diem, lucemque mundo, ſolis ortu lętiſsimè reſtituere: annorum, temporumque tractum, in ęquas portiones diſcriminare; iam rigẽtem, & gelu ceu ſtupentẽ mundum, gratiſsimo calore reficere; iam nimis calentem, ſuauiſſimis pluuiis, ventis, & imbribus refrigerare: nunc cum homine

Calorum motus, ordo curſus & ortus aſtrorum muta voce prædicant Deum.

ne hominem, cum leone leonem procreare, &c. & ſexcentas denique rerum ſpecies producere: quis inquam hæc à cælis aſtriſque indies fieri cernens, non ſecum concludat, non tam ab aliquâ vnicâ, ſuperioriq; cauſa motrice, & moderatrice fieri, quàm alicuius gratiâ fieri? At cuius? profectò non alterius quã hominis. *Omnia enim ſubieciſti pedibus eius*, inquit Dauid, &c. Si omnia ſubiecit nobis, ergo & cælorum curſum noſtri, non gratiâ ipſius Dei, ordinatum; aut Angelorum, qui nullo motu aſtrorum per ſe indigent; neque brutorum, neque alterius ignobilioris creaturæ, ſed ſolius hominis causâ factum. Vide ergo, quid etiam gentilis homo ex ſolo intuitu, & conſideratione curſus cælorum, atque aſtrorum, naturali quadam ratione aduertere, & colligere poſsit; nempè, talem motum primò, non niſi à ſummo aliquo primo moderari motore, nec non debere etiam à cauſsâ ſupremâ aliquâ, in ſuo eſſe conſeruari. Secundò, reuera non etiam niſi ſolius hominis gratiâ fieri. Adeoque tandem concludet; ergo & Deum, & cælos, & aſtra, hominis gratiâ, continuò occupari; hinc optimè Cicero de reſponſis Auriſp. *Quis*, inquit, *eſt tam vecors, qui cùm reſpexerit in cælum, Deos eſſe non ſentiat? & ea quæ tanta fiunt, vt vix quiſquam arte vllâ, ordinem rerum ac viciſsitudinem perſequi poſsit, caſu fieri putet?*

Quid ergo homo in reciprocationem tantæ gratiæ, tantæ curæ, tantique Dei erga ſeſe amoris, & ſolicitudinis, reponere debeat, cæcus eſt qui non videt: nempè, totum quod eſt & quod habet, ſe Deo debere, &c. Vide ergo nullum eſſe qui ſolius naturæ intuitu, ſuam erga Deum Ter Optim. Max. obligationem, rationis ſaltem dictamine colligere non poſſit. Sed vt ad inſtitutum noſtrum redeamus:

Deum nempè vnicum eſſe, teſtatur vnicum primum mobile, vnicum firmamentũ, vnus mundus, & rerum machina, vnicus ſol, vna luna, vnus Rex in Regno, vna mens in homine; & aliæ ſexcentæ creaturæ nobis tacitè vnum tantùm Deum acclamantes & inculcantes. *Deum vnicum eſſe quid arguat.*

Et primò vnum tantùm eſſe Deum; ſacræ literæ docent Deut. 32. *Videte quod ego ſim ſolus, & non eſt alius Deus extra me*, &c. Cor. 8. *Scimus, quod nullus eſt Deus niſi vnus, qui ſolus potens Rex Regum, & Dominus Dominantium*. At probatur etiam ratione naturali.

Si plures eſſent dij quàm vnus, neceſſariò per aliquid deberent differre; & conſequenter vnus vnum quid haberet, quo alter careret (alioquin non differrent) iam illud quod vnus habet, & alter caret, vel erit perfectio aliqua, vel imperfectio, vtpote vel maior potentia, ſapientia, bonitas & pulchritudo, &c. vel minor: ſi primum,

mum, iam is Deus qui deſtituitur illâ perfectione, eo ipſo non erit Deus; quòd habeat ſuperiorem & perfectiorem ſe, & ipſe illâ perfectione deſtituatur (cùm oporteat Deum ſummè perfectum eſſe, quo melius, maius, & perfectius nil poſsit cogitari.) Si ſecundum, cùm in Deum nulla cadere poſsit aut debeat imperfectio, iam eo ipſo non erit Deus, quòd imperfectionis aliquâ notâ ſit fœdatus.

Quod ſi verò dicas nullũ differre ab altero: erit ergo vterque omnipotens, æquè ſanctus, æquè bonus, &c. ergo duo omnipotentes, quod ſi hoc: quæro (cùm omnipotentiæ vocabulum nil à poſſe prorſus excludat) num vnus alterum Regno ſuo poſsit pellere, & priuare nec ne? ſi poſsit, ergo Regno pulſus non erat omnipotens, alioquin alteri non ceſsiſſet: (par enim in par ſibi non obtinet imperium.) ergo neque Deus in alterum Deum, &c.

Iterum, ſi plures vel duo eſſent Dij, vterque eſſet ergo, vel non eſſet in agendo liber, & ab altero independens: ſi eſſet; ergo vnus aliquid poſſet velle fieri, quod alter fieri nollet, & contra nolle, quod alter fieri vellet: cumque vterque ſit ab altero independẽs, & omnipotens, ergo aliqua res ab vno fieret, & ab altero æquali potentia reſiſtente, fieri impediretur; vnum ergo aliquid ſimul & ſemel fieret, & non fieret: at hoc cùm implicet contradictionem, ſitque in ſeſe (vt ita dicam) *infieibile* & impoſsibile: impoſsibile ergo etiam erit, eſſe poſſe duos aut plures Deos.

Obiectio. Dices, ergo in SS. Trinitatis myſterio, non erit omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotẽs Spiritus ſanctus. Non Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, &c. Reſpondeo negando conſequentiam: *Solutio.* nam cùm in diuinis vna omnibus tribus Perſonis, & communis ſit natura atque eſſentia diuina, erit ergo etiam neutraliter omnibus tribus Perſonis eadem, & communis Deitas ac omnipotentia, idem velle & nolle: hoc eſt, non ideo alia erit potentia Patris quàm Filij, & huius quàm Spiritus ſancti: non alia, inquam, neutraliter; ſed eſſentialiter eadem, licet perſonaliter & formaliter ſuo modo diſtincta: enimuerò, voluntas, verbi gratiâ, Patris mittẽtis filium, & filij miſſionem acceptantis: Iterum Patris, crucifixores filij caſtigare volentis, & filij pro iis deprecantis, formaliter non eſt eadem, licet eſſentialiter indiſtincta, vt benè docent Scotiſtæ, in primum Sententiarum, &c.

Manet ergo vnum eſſe omnium Supremun caput, vnum Dominum, vnum moderatorem totius molis vniuerſi.

ANAGOGE VI.

Cælum primum mobile Deum in vnitate Eſſentiæ, Trinum in Perſonis exhibere.

PRæcedentibus diximus, primum mobile cælum tria in ſeſe continere puncta; nempè centrum medium, duoſque polos: arcticum vnum, antarcticum alterum; ſubque illis polis diuerſos degere incolas; arcticos quidem, ſole in Arietis principio vſque ad Librã demorante, perpetuâ lucis dieique iucũditate recreari; è contra verò antarcticos nocte & tenebris premi, omnique penitus luce deſtitui, donec ſol Virginis ſignum egrediatur.

Primi mobilis tria puncta, hoc eſt centrũ. & duo poli SS. Triadis typum gerunt.

His poſitis, cùm in cunctis creaturis, ſuo modo SS. Triadis, veſtigia, ſuapte quaſi naturâ ſint impreſſa, vt docet Theologi; ideo bene inſpicienti primum mobile cælum, etſi vnicum & ſimpliciſſimum, tria tamen inter ſeſe diſtincta puncta concludens, haud ſubtypum obſcurè SS. Triadis repræſentabit.

Quis enim dubitat, in cælo illo Deitatis immenſo, ſimpliciſſimo, vnico, ingenerabili, & incorruptibili; tres eſſe punctos indiuiſibiles, inperſcrutabiles, inuiſibiles, nullius prorſus compoſitionis capaces, ſed ſimpliciſſimos, quibus cuncta tamen in rerum natura ſubiiciuntur: arcticum quidem repræſentare Patrem ęternum, ingenitum; antarcticum, filium Genitum; tandem medium inter vtrumque, ceu centrum totius diuini huius cæli, Spiritum S. verè cẽtrum medium inter vtrumque, Patrem nempè & Filium, eò quòd nexus ſit vtriuſque & Amor.

Spiritus S. Patrem inter & Filium quaſi centrum medium.

Sicuti enim nullum poteſt dici centrum, ſeu punctum medium, niſi inter duos terminos medium obtineat, & ad vtrumque relatiuè ſeſe habeat; ſic Spiritus ſanctus procedens à Patre & Filio, eo ipſo eorum dicitur nexus, quòd ad vtrumque relatione quadam æternâ, & proceſsiuâ ſeſe habeat. Ita docent Theologi, & fides noſtra; aſſeritque ſanctus Athanaſius ſuo Symbolo. *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens: Filius à Patre ſolo eſt, non factus nec creatus, ſed genitus: Spiritus ſanctus, à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.*

Simile.

Itaque vti tres iſti puncti, in vnico & indiſtincto, vel indiuiſo cælo primi mobilis, reuerà tamen inter ſeſe diſtinguũtur, ita vt vnus non ſit alter, ſed in ſuo, & cum ſuo cælo vnum quid conſtituant: ita Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, reuerà etiam vnus non eſt alter, ſed inter ſeſe realiter diſtinguuntur; etſi in Eſſentia vnâ, ſint vnum quid neutraliter, ſeu ſubſtantialiter.

Inſuper, vti ſuper duobus polis arctico, & antarctico, cẽtroque vniuerſi medio, tota cæli machi-

na

na vertitur perpetuò, illiq; poli,& centrum ſunt puncti inuiſibiles & indiuiſibiles:ſic tota creata machina, ſuprà centrũ vniuerſi (bonitatem ſcilicet Spiritus ſãcti) & duos polos mundi, (nempè potentiam Patris, & ſapientiam Filij) perpetuò voluitur. Quia potentiâ Patris, ſapientiâ Filij,& bonitate Spiritus ſancti, tota rerum moles coaleſcit, conſeruatur, gubernaturque: haud aliter,ac totum cælum, circa centrum, ſuper polos mundi perpetuò conuertitur, ac conuoluitur: ſicque res cunctæ, ſuo in eſſe, virtute dictæ conuerſionis perſiſtunt, & conſeruantur.

Conceptus inſignis. Aliter duo poli mundi cælique applicari poſſunt Iuſtitiæ & Miſericordiæ Dei. Et verò ſub polo Iuſtitiæ ſeueriſsimæ Dei, habitarunt olim populi illi ante, & poſt diluuium, nec non & Synagoga Iudæorum; quouſque? dico ſex integris ſignis, ſeu menſibus: hoc eſt 6. mundi ætatibus, quo tẽpore perpetuò luce, ſole Iuſtitiæ (nondum enim Verbum incarnatum fuerat, nec Chriſtus venerat illuminare omnem hominem in hoc mundo) fuere illi populi priuati; nec quidquã aliud, quàm tenebras & vmbras (hoc eſt non niſi nudas figuras, iam iam exorientis ſolis Iuſtitiæ) viderunt: tantiſque ſub illo polo rigoribus diuinæ Iuſtitiæ fuere ſubiecti, vt multi eorum interierint.

Exempla diuini rigoris erga mortales ante legem gratia. Cuius rei exemplo eſſe poterit, vniuerſale illud diluuium totum mundum inundans, omneque genus humanum, paucisſimis exceptis, fluctibus ſuffocans. Gen. 7.

Iterum terribilis illa Sodomæ & Gomorrhæ ſubuerſio, atque conflagratio. Gen. 19. Item Num. 21. dum Dominus ob murmur populi, contra ſe & Moyſen factum, ignitos in eos immiſit ſerpentes.

Denique etiam experti ſunt diuini furoris rigorem, tot millia hominum, in deſerto miſerè extincti, 40. annis in eo aberrantes donec omnes eſſent ſublati, adeo vt ex tanta multitudine, duo ſolummodò introducti fuerint in terram promiſsionis, videlicet Caleb, & Ioſue, vti videre eſt Numer. 32.

At quamdiu tanti rigoris, noctiſque tam ſeueræ & horribiles tenebræ diuinæ Iuſtitię durarunt? *Conceptus.* ſanè eouſque, donec ſol Iuſtitiæ, Chriſtus Dominus noſter, ſuperatis ſex iam mundi ætatis ſignis, tandem ſignum Virginis, *Incarnatione* ingreſſus, denuò Natiuitate ſuâ illud egrederetur; Illudque vndique ab Angelis in cælis, & ab hominibus in terris, ad laudem illius Deiferi ſigni (B.B. Virginis) inſonaret. *Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima; quia ex te ortus eſt ſol Iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter, &c.*

Quo facto tandem Lucifer ſuâ gratiſsimâ luce, toti terrarum orbi lætiſsimè illuxit; Ille inquam Lucifer, *qui amictus lumine, ſicuti Veſti-*

veſtimento Pſal. 103. *neſcit occaſum*, vt bene cantat Eccleſia; videlicet Chriſtus, vtpote lux vera, *illuminatura omnem hominem venturum in hunc mundum*, Ioan. primo. Ille Lucifer, inquam, qui 1. Tim. 6. habitat *lucem inaceſſibilem; & in quo tenebræ non ſunt vllæ, &c.*

En quàm inſigniter tunc orto ſole Iuſtitiæ, adimpletum eſt illud quod in mediæ noctis tenebris (legis illius antiquæ.). Pſalmiſta ad exhilarandum, & ſolandum omnes mœſtos decantabat. Pſalm. 111. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis*: Et Pſal. 4. *ſignatum eſt ſuper nos lumen, vultus tui Domine.* Item Pſalm. 88. *Domine in lumine tuo ambulabimus.* Et Iſaiæ 9. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Et habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt.* Itaque Iſaiæ 60. *Surge & illuminare, & Letare Ieruſalem, ô Eccleſia, quia venit lumen tuum, &c.* Ambulemus ergo iam *dùm lucem habemus*. Ioan. 12. *ne nos tenebræ comprehendant, quia qui ambulat in tenebris neſcit quò vadat*, etenim breuî forſan luce hac gratiæ, mundus erit priuandus, quando? tunc nempè quando Chriſtus ſol Iuſtitiæ Libræ ſignum ingreſſus; *vnicuique redditurus eſt iuxta opera ſua, ſiue bonum ſiue malum*, teſte Apoſtolo, eo ſcilicet tempore, dum in Libræ exiſtens tremendo illo ſigno (Iudicij) *in iuſtitia apparebit in conſpectu noſtro*: Pſalm. 16. Tùm iis qui ſub polo arctico, id eſt, in pompis & delitiis huius ſæculi,

Chriſtus ſol iuſtitiæ quomodo ſignum Libræ ingreſſurus.

maximè fuere exaltati, diebuſque & luce vitæ ſuæ, ſine fine peccando abuſi, ſuperueniet interitus, noxque nunquam finienda: priuabûtur ſole Iuſtitiæ ſine ſpe eum recuperandi, perpetuò ad antarcticũ infernalem polum relegãdi. quod haud obſcurè inſinuat Dauid Pſalm. 57. *Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens: intendit arcum ſuum & infirmentur. Sicut cera quæ fluit auferentur: ſupercecidit ignis & non viderunt ſolem.* Vbi ſolis & gratiſſimæ lucis loco, *ignem inextinguibilem* ſine luce, tenebras ſine ſolatio, perpetuaſque confuſiones experientur.

Cur tantus in inferno ignis flagret.

At cur tantus, inquies, ignis in inferno flagrat? in promptu cauſa eſt: enimuerò, vti populis ſub antarctico conſtitutis (cùm ſex menſium ſpatio ſolari luce priuentur) loco ſolis, ignis ſubſtituitur, quo rigidi frigore calefiant: ſic etiam, cùm damnati, ſolis Iuſtitiæ, (Libram eo ingrediente) vti diximus, lumine ſint priuandi, & ad antarcticum, infernum, relegandi; congruum eſſe videtur, vt quibus ſol Iuſtitiæ perpetuò eſt abreptus, iis quoq; perpetuus è contrà ignis ſubſtituatur, iuxta illud Iſaiæ 66. *Ignis eorum non extinguetur, &c.* Iterum, *ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* Deut. 32. Qui ignis damnatis, officio ſolis fungetur: heu! non lumine, non claritate, non iucunditate; ſed calore nimio, infinito.

Quod

Sol Iuſtitiæ quando ingreſſurus ſigna hyberna.

Quod verò omnem miſeriam illorum populorum̃, ad polum infernalem relegatorũ auget, eſt; quod ſol Iuſtitię, & iræ Dei furor, mox ex Librâ, Iudicio peracto, ingreſſurus ſit Scorpionem, Sagittarium, Capricornum, & Aquarium.

onceptus ecundum.

Scorpionem quidem & Sagittarium, quia *Dominus*, Deut. 32. *Congregabit ſuper eos mala, & ſagittas ſuas completurus eſt in eis*: tunc quando *conſumendi ſunt fame, deuorandique ab auibus, & ſerpentibus* (infernalibus beſtiis, quales ſunt Scorpiones) *morſu amariſſimo*, teſte S. Scripturâ eodem loco.

Denique Pſ.7. Deus dudũ peccatoribus minatus fuerat, ſe in Sagittarij ſigno (furoris ſui) niſi conuertantur, cùm illis cõgreſſurum: (Heu congreſſum tremendum, & nunquam finiendum!) ſic enim ait Dauid: *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetẽdit* (en iam iã Sagittarium, à ſole Iuſtitiæ, contrà peccatores pugnaturo ingrediendum) *& parauit illum; & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.*

Tãdem Eccleſiaſtici 39. apertè ingreſſus ſolis Iuſtitiæ in Scorpionem, contrà impios oſtenditur. *Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt: beſtiarum dentes, & Scorpij & ſerpentes, romphæa vindicans in exterminium impios*, &c.

Chriſtus ſol Iuſtitiæ quando impiis in Capricorno.

Denique populis illis antarcticis infernalibus, ſol Iuſtitiæ erit in Capricorni ſigno, dum Matt. 28. collocaturus eſt eos ad ſiniſtram cùm hædis & hircis infernalibus: quod haud obſcurè Zach. 10. innuitur. *Super Hircos viſitabo*, &c. Cumque Capricornus ſit animal ſemper alta petens, & aſcendens; & ſol in Capricorno exiſtens, etiam ſemper aſcendere dicatur; hinc damnatis loco ſolis, ignis ſubrogatus etiam *aſcendet ſemper*, impellente eum vento & Spiritu furoris Domini, teſte Dauide Pſal. 17. *Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Atque Ioël. 2. *Et aſcendet fœtor eius, & aſcendet putredo eius, quia ſuperbè egit.*

Denique Ierem. 48. *Contrita eſt Moab* (hoc eſt gẽs infernalis) *Moab* enim idem eſt dicere, ac ex Patre; ſcilicet ex Patre diabolo: vt benè dicit Chriſtus, *vos ex Patre diabolo eſtis, per aſcenſum enim Luith, plorans aſcendet in fletu*, &c.

Tadem & Iſa. 34. *Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe, & de ſanguine agnorum, & hircorum, &c. quia dies vltionis Domini, annus retributionum Iudicij Sion.*

Quomodo Chriſtus damnatis ingrediatur aquarium.

Quomodo verò iã ſol Iuſtitiæ; reſpectu damnatorum, ingrediendus ſit Aquarium (id eſt omnia eorum deliciarum refrigeria, & flumina conſolationum ibi ſub polo diuinæ Iuſtitiæ, antarctico, ſint conuertendæ in mœrorem, ſulphureos fluuios, & aquas, ignẽ & picem ſtagnantes.) Idem Iſaias, eodem 34. capite perpulchrè his verbis innuit & declarat: *Et conuer-*

tentur torrentes eius (populi infernalis) *in picem, & fumus eius in ſulphur, & erit terra eius in picem ardentem, nocte & die non extinguetur, in ſempiternum aſcendet fumus eius*, &c.

Simile. Sicuti namque ſole exiſtente in Aquario, flumina ſolent intumeſcere, & ſeſe erigere; continuæ pluuiæ, niues, pruinæ, & frigora terram infeſtare: ſic ſole Iuſtitiæ ingrediente Aquarium immenſum flumen ſui diuini furoris & iræ regio illa poli antarctici infernalis, perpetuis & ignitis pluuiis, gelu, & frigore cruciabitur: vnde optimè Dauid Pſal. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis & ſulphur; grando, nix, glacies, Spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Si hęc tantùm

Conceptus. erunt pars tormentorum eorum; quid obſecro, ergo erit totum ſimul? nónne cenſendus eſſet illis ſol in ſigno Aquarij; qui totaliter mergeretur in ſtagnum & lacum? Quomodò ergo infelicißimis illis populis infernalibus, ſub polo tàm rigido Iuſtitiæ diuinæ degentibus, ſol Iuſtitiæ, non etiam cenſebitur eſſe in Aquario; dum teſte Ioan. Apocal. 19. *Ob characterem beſtiæ*) diaboli & peccati) *frontibus* eorum impreſſum, cùm eâ *demergendi ſunt in ſtagnum ignis & ſulphuris?* idque in omnem æternitatem.

Iterum Apocalypſ. 20. *Et infernus, & mors miſsi ſunt in ſtagnum ignis.* Si ergo totus infernus continens omnes damnatos, *& mors depaſcens eos*, mittendi ſunt in ſtagnum ignis; neceſſariò & contenti in illis damnati.

Sed tandem clariſsimè loquitur Scriptura Sacra Apocal. 20. *Et qui non inuentus eſt in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* *Qui mittendi ſint in ſtagnum ignis.* Qui ergo, inquies, erunt illi populi tàm horrendis fluctibus hauriendi? tamque terrifico ſtagno immergendi? S. Ioan. Apocal. 21. tuæ petitioni ſatisfacturus, ſic reſpondet: *Timidis autem, & incredulis, & execratis, homicidiis, & fornicatoribus, & veneficis, idololatris, & omnibus mẽdacibus, pars illorum erit in ſtagno ardente, igne & ſulphure.* Nam quemadmodum eo tempore quo ſol moratur in Scorpio, Sagittario, Capricorno & Aquario, ob nimiam tunc cæli inclementiam plurimi terriculæ moriuntur. Sic & damnati, ſole Iuſtitię in iiſdem ſignis demorante, omnes morientur; non morte prima & temporali corporea, *ſed morte ſecundâ ſpiritali, æterna.* Et ideò rectè dicitur, *mors peccatorum peſſima.*

Denique Ezechiel. 26. iterùm probatur; *Hæc dicit Dominus; cùm dedero te in vrbem deſolatam, ſicut Ciuitates quæ non habitantur; & adduxero ſuper te abyſſum, & operient te aquæ multæ. Et detraxero te, cum his qui deſcendunt in lacum* (infernum) *ad populum ſempiternum, & collocauero te in terra nouiſsimâ, ſicut ſolitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum, vt non habiteris. Porrò cùm dedero gloriam in terra viuentium, in nihilum redigam te, & non eris, & requiſita*

non

non inuenieris vltrà in ſempiternum, dicit Dominus. Heu terribilem comminationem!

Tandem Ezech. 31. *à ſonitu ruinæ eius commonui gentes, cùm deducerem eum ad infernum, cum his qui deſcendebant in lacum.*

TROPOLOGIA I.

Quid agendum ne ſole Iuſtitiæ priuemur.

NI ergo velimus & nos æternùm apud antarcticos populos illos inferos, ſole Iuſtitiæ priuari, luceque æternæ Beatitudinis orbari; conformari nos, aſſociarique oportet conuerſatione ſanctâ, vitaque immaculatâ iam in hoc ſæculo, ſoli Iuſtitiæ; noſque vitæ, amoris, & virtutum meritis, ita contegere & veſtire, vt tandem ſub polo illius miſericordiæ & gratiæ conſtituti, & ceu *veſte nuptiali ita induti*, ad infinibilis regni illius arctici (cæleſtis gloriæ epulas) intromittamur.

Simile.

Sicuti namque ſubcolis poli arctici, integris 6. menſibus; ſol exiſtens in ſex ſignis borealibus, non occidit vnquam, ſed perpetuam æſtatem ipſis affert, infinitos fructus, flores, & rerum ſpecies producit; ſuoque radio totam illam arcticam partem fouet, recreatque: ſic Chriſtus ſol Iuſtitiæ, populo illi arctico, & cæleſti, nunquam occidet; ſed ſex integris menſibus (hoc eſt in perpetuas æternitates) lumine gloriæ, & æternæ beatitudinis luce recreabit illos, teſte Iſa. c. 60. *Non occidet vltrà ſol tuus; & luna tua non minuetur* (ô Ieruſalem cęleſtis) *quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.*

Admirabilis proprietas literæ hebrææ ו.

Quòd verò numerus ſexenarius, ſiue ſex menſium, æternitatem denotet, ex linguæ hebrææ fundamentis, vt ſpero haud ineptè tibi deducam. Pro cuius rei intelligentia nota; hebræos nō aliis numeris, quam literis ſuis vti, ita vt א ſiue Alpha, denotet vnum, ב ſiue B litera 2. ג hoc eſt G, tria ד ſiue D, quatuor ה H, quinque ו ſeu litera V conſonans, tandem ſex: ſicque deinceps; quâ etiam ratione in Threnis Ieremiæ & Pſalmis hebraicis, literæ hebrææ, velut numerorum, capitumque notæ ſingulis præfiguntur capitibus & paragraphis.

Conceptus inſignis de vita Beatorum æternæ duratione.

Ita litera hæbræa ו ſexenarium nobis denotans, vti ex linguæ ſanctæ fundamentis colligitur, & benè notat S. Pagninus ſola, inter omnes reliquas, miram quādam obtinet facultatem, & vim conuerſiuam, ſcilicet *tranſmutandi tempus præteritum in futurum, &c.*

Quæ res vti mira in ſeſe, ſic etiam reuerà myſterioſa in noſtro propoſito; vtpotè feliciſſimam illam beatorū æternitatem, nunquam prætereundam, ſed ſemper præſentem, & futuram denotans. Ita vt populis illis (beatis) ſub polo arctico (beatitudinis, gratiæ, & miſericordiæ ſolis Iuſtitiæ conſtitutis) ſpatium illud 6. menſium continuæ æſtatis (beatitudi-

nis & felicitatis) quo ſol Iuſtitiæ ſuprà eorum horizontem cæleſtem eleuatus cernitur; (*nam eleuata eſt magnificentia ſua ſupra cælos.*) nunquam in præteritū tranſeundum; ſed in perpetuò præſens, & in ſemper futurum, mirabili modo ſit conuertendum: ſcilicet, vt elapſum ſex menſiū (dicamus ſex millionum milliū annorum) ſpatium quaſi nunquam elapſum, ſed ſemper denuò, & denuò futurum cenſeatur, ſub illo feliciſsimo polo cæleſtis Ieruſalem.

Æterna duratio pœnarum infernalium pulchrè comparatur. Econtrà etiam, idem 6. menſium ſpatium antarcticis infernalibuſque illis policolis, etſi millies, & millionum millies elapſum, perpetuò tamen ita denuò in futurum tranſmutandum erit, vt quaſi nunquam præteritum, ſed ſemper præſens, futurum, atque futurum ſit cenſendum; & hâc perpetuâ 6. illorum menſium renouatione videtur adumbrari abyſſus illa, ſeu inextricabilis labyrinthus æternitatis; quam Dominus Deus Ezech. 46. innuit: *Cùm adduxero ſuper te abyſſum* (æternitatis) *in nihilum redigam te.* Vnde Pſalm. 41. *Abyſſus, abyſſum inuocat, in voce cataractarum tuarum, &c.* quibus verbis, vaſtiſsimus ille calamitatum, & æternitatis pelagus, dānatorum innui policolarumque infernalium ſemeſtre illud tempus, quo ſole Iuſtitiæ priuandi ſunt, perpetuò renouandum, figurari videtur. Quæ ergo illa cataractarū tàm terribilis vox? non

Quam illa terribilis.

alia certè quam illa terribilis: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. Hac namque voce, ceu tonitruo, ingenti totius vniuerſi horrore, & tremore, à ſole Iuſtitiæ prolatâ; ſubitò damnati ſentient abyſſum vaſtiſsimarum calamitatum, & miſeriarum ſuarum, aliam ſemper abyſſum profundiorem & maiorem inuocare & attrahere, ita vt calamitas calamitati, deſperatio deſperationi, ignis igni, æternitas æternitati, &c. ſit adeò ſuperuentura, velut vnda vndæ in mari, caput capiti truncatæ hydræ, &c. Id quod optimè Dauid. Pſal. 76. præfigurat, & innuit. *Vox tonitrui tui* (quàm Pſalm. 41. vocem chataractarum vocat) *in rota*: vti enim in rota gyratâ, vnâ eius parte deſcendente, perpetuò altera aſcendit; ſic in rota æternitatis, vno ſemeſtri ſpatio labente, alterum & alterum damnatis aſcendet: vnâ æternitatis parte (ſi ita loqui liceat) decedente, altera & noua perpetuò damnatis ſuperueniet. Eritque *vox illa tonitrui* ſolis Iuſtitiæ (illud nēpè *Ite maledicti*) rotæ mentium, & imaginatrici potentiæ damnatorum, tanto impetu impreſſa; vt in perpetuas æternitates, ita ſit ipſis præſens futura, quaſi continuò in auribus eorum ſonaret, denuoque & in præſenti renouaretur, pronuntiareturque à Chriſto, tremendo Iudice: *Ite, diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, &c.

Quomodo abyſſus abyſſum inuocare dicatur.

Simile.

TRO-

TROPOLOGIA II.

DIuum Hieronymum, illius terribilis Iudicij extremũ diem præceſſuræ tubæ (tàm terræ ſuperficie recondita corpora, quàm â viſcerum eius penetralibus dudum, damnatorum hauſtos Spiritus, ad Ieſu-Chriſti tremendum tribunal conuocaturæ) ſonitum, adeò pertimuiſſe, horruiſſe & animi ſui ſẽſui impreſsiſſe, ipſe Auctor eſt: vt ſeu corporis deficientes vires, cibo potuque reſtauraret; ſeu lectioni, ſeu orationi vacaret, ſiue ſcriptioni, ſiue quieti, ſeſe daret; perpetuò tremendæ illius diuinæ tubę, iam dictæ, clangorem in auribus ſuis inſonare, illudque terribile ſibi continuò acclamari putaret, *Surgite mortui, venite ad iudicium, &c.*

Quod ſi vir tantæ ſanctitatis; adhuc lucis præſentis nedum orbatus vſurâ, ſed & futurâ æternæ gloriæ coronâ, ob virtutum ſuarum merita, olim Chriſti gratiâ donandus, adeò tamen pertimuit, horruitque tubæ illius, non auditum, ſed tantummodò audiendum & imaginatum; non triſtia, ſed lætiſsima ſibi nunciaturum clangorem ſonumque.

Vox clangoris, ore Chriſti pronunciantis ſententiam, terribilis futura.

Quid obſecro erit in auribus damnatorum, infinities ille magis terribilis ſonus *vociſve tonitrui illius*, clangorque à Chriſto ſeueriſsimo Iudice, loco ſententiæ definitiuæ, & æternùm non reuocandæ, coram tota Curiâ cæleſti, in facie totius vniuerſæ creatæ machinæ pronunciandus, inque damnatos, veluti fulmen, viribus totius ſuæ diuinæ potentiæ fulminandus iaculanduſque? nónne putas totum terrarum orbem inde ita concutiendum fore, vt pondere tàm indigno (damnatorum corporum) impatiens, ſuo Conditori illatas iniurias vindicaturus, ingẽti boatu, tremendo fragore, infeliciſsimos illos, vno omnes hauſtu ſit abſorpturus? heu triſtiſsimam tunc temporis rerum futuram faciem damnandorum! modò faciem mundi, tàm fucatâ adeò obcæcatorum, ſtrepituque, & ſtridore rerum ſæcularium, vanitatum & honorum ſibilis ita exſurdatorum, ita ſopitorum mero deliciarum harum, vt neque *Leonis de Tribu Iudâ* (Chriſti) hac tàm terribili voce (*Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*) ſint prius excitandi, quàm tremendo illo tonitrui ſono, (*Ite maledicti*) feriendi.

Altiſsimus ſomnus peccatorum.

Heu peccatores! *qui* (Amos. 3.) *Neſcitis* (aut potius ſcire non vultis) *facere rectum, theſaurizantes iniquitatem, & rapinas in ædibus veſtris:* neſcitis hæc agendo, *ob duritiam veſtram, & impœnitens cor*, vobiſmet, *vos theſaurizare iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei?* Rom. 2.

An non igitur magna amentia eſt æternitatem feliciſsimam quidem credere in cælis, è contrà de miſerrimâ in inferno non dubitare, & tamen neque malè viuendo hanc

Notatu digna.

hanc curare, neque benè agendo illam quærere?ea,enim agere modò, quæ olim acta nō velles,quæque intrinſecè,te æternarum flammarum reum arguunt, & tamen agere, quid aliud arguit quam atheiſmum te ſapere? & neque Deum retributorem bonorum, neque vindicem malorum reuereri aut credere? hoc notent omnes operantes iniquitatem,&c.

An non & amentiæ humanæ argumento eſt maximo, mortales multos, imaginatione huius tantùm ſæculi iuſtitiæ punitiuæ, vtpotè furcæ, enſis, & ignis, &c. terrore à malis perpetrandis arceri: tamen conſideratione & prædicatione,diuinæ Iuſtitiæ,æternarumq; flammarum infernalium incendio & horrore,ne quidquam à malo agendo deterreri,ſed velut ſurdos obdurari?

Vnde benè Iſidorus in orat. ,*Quis veſtrum*, inquit, *vno die ignem ,ferre eligat, accepto mille nummorum ,aureorum pretio? & tamen pro longè ,minori re* (id eſt pro momentanea ,voluptate) *non veremini perferendi ,ignis æterni periculo, voſmet exponere.*

Qui idem ſupra illud Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti*, ad inculcandum nobis illam terrificam ſententiam, hoc ſubnectit. Si ,ego,inquit, ob eam cauſam, quod ,veſter ſim Epiſcopus, nunc cuipiam è conuentu hoc noſtro, imperarem,vt exiret è templo,neque ,quidquam prætereà aliud adde-,rem, opinor hāc illi ignominiam, non dico multis vulneribus, ſed ' ipſa morte, viſum iri grauiorem, ' per totam enim vitam videretur, ' & ipſi, & eius domui, iniuſtam eſ- ' ſe notam, nunquam delendam. ' Quòd ſi prætereà adderem diras ' execrationes,hoc multò eſſet mo- ' leſtius, cùm execrationes ab Epi- ' ſcopo profectæ,imprimis ſint for- ' midandæ. Si pœnam adiicerem ' perpetui ab vrbe exilij, hoc non ' hunc ſolùm, ſed totā vrbem per- ' terrefaceret. Quòd ſi in hac vitæ ' fabulâ, & in exiguo hominum ' conuentu, eiuſmodi probra, & ' damna tanti fiant, quid erit cùm ' in conſpectu totius orbis terræ,ab ' ipſo filio Dei, Angelorum exerci- ' tibus vallato, & in ſede gloriæ ' conſidente, audiemus illud, *Diſce- ' dite à me maledicti in ignem æternum?* '

Quid acturi ſunt ergo in tremēdâ illâ Iudicij die illi, qui vnius duriuſculi inaniter contrà ſe prolati verbi ſono, vnico dicto, mox aut in rabiem caninam vertuntur, aut ob verbum vno inſtanti prolatum, multo tempore, ita contriſtantur, vt quandoque, ipſa corporis & ſanitatis diſſolutio ſequatur? quomodo illam tremendam vocem tonitrui: *Diſcedite à me maledicti*, ſuſtinebunt?

Conceptus circa conſternationem impiorum ad vocem Chriſti in die Iudicij loquentis.

Et ſi Ioſeph,hiſce tamen blandis verbis alloquentis; *Ego ſum Ioſeph frater veſter quem vendidiſtis in Ægyptum.* Gen.45. nimio correpti terrore,faciem eius ſuſtinere & ob ſceleris in ipſum commiſsi, memoriam, non potuerunt reſpondere

dere fratres eius; Quomodò impij reſpondebunt Chriſto, in extremo illo die Iudicij, hæc corám toto mundo prolaturo verba: *Ego ſum frater veſter, & Ieſus Filius Dei viui, quem vos peccatis veſtris toties dilaniaſtis, blaſphemaſtis, negaſtis, & viliſsimo prætio toties vendidiſtis, in crucem egiſtis,* &c. quid reſpondebunt inquam; an non vocem faucibus eorum tunc hæſuram putas? ô vtinam hæc conſiderarent & nouiſsima præuiderent omnes operantes iniquitatem.

Agite ergo nunc diuites (*Iacobi 5. plorate vlulantes in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefient, & veſtimenta veſtra à tineis comedentur, aurum veſtrum eruginabit: & erugo eorum in teſtimonium vobis erit, & māducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſsimis diebus. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat* (de terrâ in cælum vſque) *& clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis, enutriſtis corda veſtra in die occiſionis; Afflixiſtis & occidiſtis iuſtum, & non reſtitit vobis,* &c.

Væ peccatoribus.

Quid ergo erit impiis talia agentibus? *ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Pſalm. 10.

Solantur oppreſsi & pauperes.

Econtrà, omnes qui hic laboratis, & onerati eſtis, vndique & vndique ab impiis oppreſsi, *quorum vita æſtimatur inſania, agite & patientes eſtote, vſque ad Aduentum Domini.* Iacobi 5. *Exemplum accipite, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas: qui locuti ſunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt: ſufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis,* &c. Suſtinete ergo & ſufferte, quippè, *Cum Deo iudices venturi, qui pro Deo iniuſtè, & indignè hic iudicamini, & conſideratione iudicij, membra veſtra caſtigatis.* S. Greg. lib. 10. cap. 30. Ecce enim merces veſtra copioſa vos expectat in cælis, &c.

Attendeſis ergo peccator, ne iniuſtè tua acta, olim iuſto Dei iudicio iudicentur, *nē ve diuina ſententia te ordinet inibi ad pœnā, quem hic inordinata actio traxit ad culpam.* Gregor. Moral. 18. cap. 6. ſi enim ita diſtricto modo, percutit Deus, quando parcit; quantò diſtrictius percuſſurus eſt, quando non parcens iudicabit? Et ſi taliter flagellatur Iob, qui Deum ſic timuit; qualiter feriendus eſt qui Deum contemnit? Ex vulnere ergo præſenti iudicia æterna penſanda sūt: *quomodo enim toleranda tibi erit, ibi pœna quæ reprobrat, ſi ferre non potes* (*aut vis*) *hic viam eius quæ purgat?* Greg. 12. Moral. cap. 16.

Itaque caueat, ne quem hic ſub frigidiſsimo ſæculi huius nequam polo degere delectat, ibi diuina ira, ad antarcticum infernalem flammiuomum, trahat; quique paucitatem dierum, & numerum menſium ſuorum hic maniter dilapidat, ibi annos æternos *igni repoſitos inueniat.*

C A-

CAPVT II.

Cælum primum mobile Patrem æternum filium, & Spiritum ſanctum ſingulatim referre.

PRimum mobile vtpotè nobiliſsimam creaturam Conditoris ſui Dei typum & ſymbolum nobis ſatis benè exhibere, antecedentibus Anagogis vtcumque demonſtrauimus.

Modò demonſtratu, haud etiam difficile fuerit, illud quamlibet diuinarum Perſonarum ſingulatim repræſentare. Et quidem primò quomodo Patri æterno aſſimilari queat, ſequenti Anagoge primâ videbimus.

ANAGOGE I.

MEMBRVM PRIMVM.

Pater æternus primo mobili aſſimilatur ratione principij.

ET quidem primò, vti primum mobile eſt primum Principium nullum aliud habens ſuprà ſeſe cœlum, à quo moueatur (niſi cœlum Empyreum immobile, à quo, & in quo totum comprehenditur, neque tamen ab eo eſſe productiuum ſui recipit.) Sed duobus inferioribus cælis, videlicet Firmamento, & cælo Planetarum, vnà cùm Firmamenti concurſu immediatè motum ſuum communicans, & imprimens. (Præter namque hos tres orbes non agnoſcimus mobiles alios vel plures.)

Sic Pater æternus eſt prima SS. Triadis Perſona; non tempore quidem, dignitate, excellentiâ, perfectione, aut maioritate, cæteras duas excedens, excellenſve; ſed ideò prima, quia ipſe ſolus eſt à ſe, & à nullo alio, nec genitus, nec productus. Id quòd apud Iſaiam 41. de ſe, ipſe videtur teſtari. *Ego Dominus, ego primus & nouiſſimus.* Et iterùm cap. 44. idem repetit: ſed mirabili modo & euidentiſsimè cap. 48. *Audi me Iacob, & Iſraël, quem ego voco. Ego ipſe, ego primus, & ego nouiſſimus*, quo loco totum SS. Triadis myſterium, apertiſsimè, contrà perfidos Hebræos oſtenditur. *Conceptus de Patre æterno.*

Ad quid enim trinâ vice pronomen illud. *Ego, Ego, Ego* repetere, ſi non tot Perſonæ, quaſi ſimul, & vnà idem loquentes, & Iſraëli inculcantes, ſub illo intelligantur, quot ſcilicet vicibus replicatur; non enim ſacra Scripturâ ſuperfluis conſueuit vti verbis, ſed paucisſimis ei familiare eſt, omnia complecti & tradere. *Trinitas Perſonarũ hebræis oſtenditur.*

Sed ad noſtrum propoſitum, per *Ego ipſe* Pater æternus, manifeſtè notatur, quaſi diceret; *Ego à me ipſo ſum* ſiue *Ego ipſe ſum*; & à nullo genitus, productus aut ſpiratus.

Conceptus de Filio à Patre genito. Per ſecũdam dictionis partem (id eſt *Ego primus*) Filius : hoc eſt, ordine *Primus*, productarum Perſonarum, generatione æternâ, à Patre immediatè (ſicuti ſuo modo firmamentum à primo mobili actum motûs) Eſſentiæ diuinæ communicationem accipiens, intelligi poteſt. Per tertiam partem (id eſt: *Ego nouiſſimus*) Spiritus ſanctus poteſt intelligi : non quòd rẽpore, dignitate, perfectione, aut excellentiâ ſit nouiſsimus ; ſed ordine tantùm, quod velut Tertia Perſona, à Patre & Filio ſpiretur. Etſi enim in diuinis nulla ſit prorſus prioritas temporis, Eſſentiæ, perfectionis, & dignitatis : eſt tamen quædam ſuo modo prioritas ordinis, reſpectu Perſonarum ſpirantium Patris & Filij actiuè; & ſpiratæ paſsiuè, Spiritus ſancti. *Spiritus S. productus.*

Item reſpectu generationis actiuæ, ex parte Patris generantis, & paſsiuæ ex parte Filij generati: Impoſsibile namque eſſe videtur, nos poſſe intelligere generantem, Verbi gratiâ Patrem, & generatum Filium, niſi cum aliquali Ordinis prioritate: prior namque ordine eſt Pater Filio, non naturâ; *Nihil enim in diuinis* (ſi D. Athanaſio credimus) *prius aut poſterius, nihil maius aut minus, ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.*

Simile. Secundò, ſicuti primũ mobile, orbis firmamenti, & Planetarum, adequatè cælo Empyreo includuntur; ſic diuina Eſſentia, & naturâ, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum complectitur, & adequatè in vnoquoque eſſe intelligitur. Vnde benè D. Athanaſius. *Orat. cont. gregales Sabelli. Vniuerſa* (inquit) *plenitudo, & integritas Deitatis eſt Pater, vt Pater: vniuerſa item plenitudo Deitatis, eſt Filius vt Filius, quemadmodum amborum vna forma intelligitur, quæ integrè ſe in vtroque communicat*: vide in hac materia Theologos in primum ſent. & in ſpecie doctiſsimum P. Arriagam Tract. de SS. Trinit. diſp. 42. ſubſect. 2. num. 25.

MEMBRVM II.

Primum mobile, Patri æterno aſsimilatur ratione motûs.

PRimò, vt cælum primum mobile immediatè eſſe motus ſui, firmamento cælo imprimit & communicat : ſic Pater æternâ generatione, Eſſentiam diuinam Filio immediatè communicat; iuxtà illud Pſalm. 2. *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te*: & idem Filius de ſeipſo teſtatur, Ioann. 8. *Ego ex Deo proceſsi & veni, neque enim à meipſo veni*, &c. O admirabile teſtimonium Filij Dei ! contra blaſphemantes & negantes eum, Filios, *Patre diabolo* genitos, &c. *Conceptus de Patre æterno.*

At qualiter hæc proceſsio, omnem captum humanum infinities tranſcendens, filiique Dei, à Patre generatio fiat; ſatius eſt ſilentio, reuerentiâque humili tranſire, & ſim-

Notatu digna S. Cypriani ſententia.

ſimpliciter credere; quàm minùs dignè de tanto myſterio vlterius diſcurrere, vel diſcurrendo abyſſo abyſſum inuocare; audi namque in hâc materiâ S. Cyprianum in Symbolum Apoſtolorum diſcurrentem.

„ Quomodo, inquit, Pater genuerit Filium, nolo diſcutias, nec te curioſius inſeras, in profundi huius arcanum, ne fortè dum inacceſſæ lucis fulgorem perſcrutaris, exiguum ipſum, qui mortalibus diuino munere conceſſus eſt, perdas aſpectum. Aut ſi putas in hoc omni genere nitendum, prius tibi proponere, quæ noſtra ſunt: quæ ſi conſequenter valueris expedire, tunc à terreſtribus, ad cæleſtia præpara te. Expedi primò, ſi potes, & explanta, quomodo mẽs quæ intra te eſt, generet Verbum; & quis ſit in ea memoriæ Spiritus, quomodo hæc, cùm diuerſa ſint rebus, & actibus, vnũ tamen ſint ſubſtantiâ vel naturâ; & à mente procedant, nunquam tamen ab illa ſeparentur.

„ Fons quomodo ex ſe generat fluuium? quo autem ſpiritu rapidum fertur fluentum? quòd quidem cùm vnum & inſeparabile ſit, & fluuius & fons, tamen nec fons fluuius, nec fluuius fons intelligi, aut appellari poteſt, & tamen qui viderit fluuium, videt & fontem. Exerce te priùs in horum explanatione, & diſcute, ſi potes, quæ habẽtur in manibus, & tunc ad horum ſublimiora veniemus.

Nec putes, quia ſtatim de terra ſuadeam aſcendere ſuper cælos; ſed priùs te, ſi placet, ad iſtud firmamentum, quòd oculis patet deducam, & ibi ſi potes, naturam inuiſibilis huius luminis diſcute. Quomodo ignis iſte cæleſtis, generat ex ſemetipſo ſplendorem luminis? quomodo etiam producit vaporem? Quod etſi hæc ſingula inueſtigare poteris, ſcitò adhuc diuinæ generationis myſterium, tantò eſſe differentius, & eminentius, quãtò Creator creaturis potentior. Credendus eſt ergo Deus, Pater eſſe vnici Filij ſui, Domini noſtri, non diſcutiendus. Hæc D. Cyprianus paucis & ſubtiliter, totum Oceanum Immenſitatis, generationis in diuinis complexus, quæ infinitis aliàs vix poſſunt. „

Conceptus de Patre æterno generantis Filium.

Secundò, ſicuti primum mobile ſuo motu eſt origo, & fons omnis motus, & generationis in mundo (ſine motu enim impoſſibile eſt fieri poſſe generationem) ſic & Pater æternus primò eſt fons totius Deitatis; non quod diuinitas ab illo ortum trahat, aut ille eam producat: ſed quia eamdem Deitatem, & diuinam naturam, ipſe Filio, & Spiritui ſancto communicat. Et ideò etiam dicitur Principium, quòd ei reſpectu Filij generati à ſe ſolo, ſpecialiter; at reſpectu Spiritus ſancti, ſimul cum Filio eum actiuè ſpiranti, communiter, cum Filio conueniat ratio Principij.

Deni-

Denique, cùm Patri æterno ſpecialiter attribuatur creatio (ſicuti Filio ſapientia, & Spiritui ſancto bonitas & amor) ſic quandoque per appropriationem, ſpecialiter dicitur principium creaturarum: licet ſi vox *Principij* eſſentialiter & reſpectu creaturarum ſtrictè ſumatur, ſiue ad extrà, patri æterno nō ſit proprium eſſe principium, ſed commune toti SS. Trinitati, &c. Cuius ratio eſt, quòd opera trium Perſonarum ad extrà (vt cum D. Auguſtino loquuntur Theologi) ſint indiuiſa & communia toti Trinitati, &c.

Conceptus de ſpiratione actiua Spiritus S. Tandem, ſicuti primùm mobile, concommittanter cùm firmamento, orbi Planetarum (in quo & ſol eſt igneę virtutis) ſuum etiam motum communicat imprimitque: ſic prima SS. Trinitatis Perſona, Pater videlicet, cùm Filio, Spiritum ſanctum (qui eſt ſol amoris diuini & nexus vtriuſque) ſpirat, eidemque diuinam naturam communicat, vt teſtatur ipſe Dei Filius Ioan. 15. *Paraclitus qui à Patre procedit, ille vos docebit omnia: de meo accipiet & annunciabit vobis*: vbi apertiſsimè demonſtrat Filius, Spiritum ſanctum à Patre ſeque procedere. Sed de hoc ſequenti Anagoge plura, in gratiam Græcorum negantium Spiritum ſanctum ſimul à filio & Patre ſpirari.

ANAGOGE II.

Primum mobile, Chriſto Filio Dei aſsimilari poſſe.

QVemadmodum primū mobile in priori Anagoge Patri æterno comparauimus: ſic & in hac Filio eius Domino noſtro aſsimilari conabimur; idque in gratiā Verbi Dei præconum, quatenus hiſce paucis conceptibus, ſacræ Scripturæ teſtimoniis roboratis, viam ſtratam habeant, Conciones ſuas mirè ornandi, expoliendique.

MEMBRVM PRIMVM.

Primum mobile ſuo motu, & amplitudine Filium Dei repreſentare.

ET quidem primò, ſicuti primùm mobile primùm dicitur & ſupremum, cuncta in ſe complectēs, totum ſtellatum orbem immediatè conuertens, ab ortu in occaſum, mundoque lucem rapidiſsimo motu ſuo afferens, duos polos, & medium centrum in ſeſe continens; omnia complectens, vndique præſens, &c. Ita Filius Dei, primò dici poteſt primus; Quia Coloſſ. 1. *Ipſe eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa* (ecce quomodo totum *Conceptus quomodo Filius Dei ſit primus.*

tum firmamentum, id eſt totam creatam machinam, hoc ſanctiſſimum primum mobile, in ſeſe complectatur?) *in cœlis, & in terra, viſibilia & inuiſibilia: ſiue Throni, ſiue Dominationes* (hẽ quomodo & ſtellas, *Angelos*, in ſeſe contineat) *ſiue principatus, ſiue poteſtates, & omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes* (vtpotè verum primum mobile ſuo motu, omnibus motum, *viuere, & eſſe tribuens: nam ſapientia ipſius condita ſunt vniuerſa: & prouidentia eius cuncta gubernantur.* Coloſſ. 1.) *in ipſo conſtant omnia, qui eſt caput Eccleſiæ, principium, primogenitus ex mortuis: vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinẽ inhabitare*, &c.

Conceptus Filij Dei cuncta ſuâ ſapientiâ à non eſſe adeſſe rapientis.

Secundò, quod autem Filius, ſapientia Patris, velut verum primum mobile, totum ſtellatum orbem (id eſt totam creaturã rationalẽ & Angelicam) ab ortu in occaſũ (hoc eſt, à non eſſe adeſſe) ſuâ virtute creatrice rapiat, mundoque ſolus lucem afferat; probari poteſt, Eccleſ. 24. *Ego* (inquit Sapientia Patris) *ex ore* (è pectore & gremio Patris) *altiſſimi prodiui; primogenita ante omnẽ creaturam: Ego feci in cœlis vt oriretur lumen indeficiẽs* (vide quomodo mundo lucem attulerit) *& ſicut nebula texi omnem terram. Ego in altiſſimis habitaui* (en altitudinem & magnitudinẽ huius veri primi mobilis) *& thronus meus in columna nubis: gyrum cœli circuiui ſola* (hem eius motum) *& profundum abyſſi penetraui* (vide eius immenſitatem & præſentiam vbique) *in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti, & in omni populo & in omni gente primatum tenui*, &c.

Tertiò, & quomodo alio adhuc modo lucem mũdo Chriſtus afferat; cunctis vitam, motum, & eſſe tribuat, mox infra eodem cap. 24. declaratur. *In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ, & veritatis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini*, &c. *qui elucidant me vitam æternam habebunt*, &c.

Digreſſio ad Græcos, Spiritum ſanctum ex Patre Filioq; procedere.

QVod autẽ Filius Dei etiam ſit immediatum cum Patre (principium productiuũ reſpectu Spiritus ſancti) vel ex eo probatur: quia ipſe ſimul cum Patre Spiritum ſanctum ſpirat, eidemque diuinam Eſſentiam cõmunicat: ſi enim hoc non; non etiam verum illud Ioan. 16. videretur, *quia de meo accipiet*, &c.

Argumentum ſtringens Græcos.

Quid enim Spiritus ſanctus accipiet à Filio, niſi ſcientiam? dicit enim eodem capite: *Non à ſeipſo loquetur, ſed quæcumque audiet loquetur*, quod verò iam per illa verba: *Ille de meo accipiet*, ſcientia intelligatur, expreſsè docent D. Auguſtinus, Cyrillus, & Chryſoſtomus: à quo autem meliùs accipiet ſcientiam, quàm à ſapientia Patris? & quomodo ſcientiam à Filio accipiet,

ſine

ſine etiam Eſſentia? vel enim id, quod Filius aſſerit Spiritum S. de ſuo accepturum, neceſſe eſt, aut eſſe aliquid eſſentiale ad intrà; aut perfectionem accidentalem quaſi ad extrà; ſi hoc, iam Græci neceſſariò etiam Spiritum S. creaturã conſtituunt (quod eſſet nouus, & nouiſsimus error peior priore) ſi illud & primum, tũc interrogo, quid ſit illud eſſentiale? diſtinctum ne ab eſſentia Filij & Patris nec ne: ſi diſtinctum, iam Spiritus S. naturâ & eſſentialiter diſtinguetur à Filio & Patre (quod iterum nouum & peſsimum errorem ſapit) & Filius tali caſu dat quod ipſe non habet: ſi autem non diſtinctum ſit illud eſſentiale, quod recipit Spiritus ſanctus à Filio, ergo iam ſimul etiam à Filio ſpiratur, & diuinam naturam participat, æquè ac à Patre. Sanè quomodo ſeſe Græci ab hoc argumento liberent, & expediant, niſi nobiſcum ſentiendo, non equidem benè video.

Scio Euthymium, & Theophilactum, conatos eſſe aliter exponere, τὸ *de meo accipiet*, videlicet de Spiritu ſancto ideo dici, *de meo accipiet*: eò quòd non docturus ſit quidquam doctrinæ filij contrarium, &c.

Euthymij expoſitio & reſponſio refellitur. Secundò τὸ *de meo*, quaſi idem eſſe ac dicere, *de meo theſauro*, ſcilicet *Patre*, vnde & ego accepi, accipiet. At nec vnum nec alterum quadrat: non primum, quia non ſolùm Chriſtus dicit, *de meo accipiet*; ſed etiam addit *non loquetur à ſemetipſo*, quibus verbis apertè patet, Spiritum ſanctum non à ſeipſo, ſed à Patre & Filio habere ſcientiam. Et Chriſtus reddit rationem quare dixerit *de meo accipiet*, quia Ioann. 16. expreſsè aſſerit, *omnia quæ habet Pater, mea ſunt.* Item Ioan. 17. *omnia tua, mea ſunt*: ergo & eſſentia Patris, quatenus ea iam eſt ei per generationem communicata; ſi enim non ſit ille ſenſus verus, nempè Spiritum ſanctum accepturum de Filio, ſicut à Patre; potius & verius dixiſſet, *de Patre accipiet, & non de meo.*

Neque ſecundum ſtat: nam Perſona Patris non eſt theſaurus ſcientiæ in Deo; ſed potius diuina eſſentia, & Filio & Patri communis: cùm enim ſcientia & theſaurus in Deo, abſolutam quandam perfectionem dicat, perfectio autem ad Eſſentiam potiùs ſpectet, quàm ad Perſonam, conſequens eſt, theſauro etiam Eſſentiam intelligi debere. Id quod haud obſcurè ex D. Paulo Coloſſ. 2. colligitur: *Nam in Chriſto*, inquit, *omnes theſauri ſunt ſcientiæ & ſapientiæ Dei*, videlicet ratione diuinæ Eſſentię ei cum Patre communis, at Spiritus ſanctus de hoc theſauro accipiens, aliquid commune accipit procul dubio Patri & Filio, quod aliud non eſt quam diuina Eſſentia: ergo & à Filio, & à Patre Spiritus ſanctus immediatè procedit.

Iterum tali dilemmate contra Græ-

Græcos liceat arguere. Id quod Spiritus ſanctus accipiet à Filio, vel eſt ſubſtantia vel eſt accidens: ſi ſubſtantia, vel illa erit alia, & diſtincta à ſubſtantia filij; vel erit eadem cùm illa: ſi eadem, habetur intentum; ſi diſtincta, ergo Spiritus ſanctus, eſſentialiter à filio diſtinctus, erit iam alius Deus à Filio, quod eſt impoſsibile, & contra Orthodoxam fidem vtriuſque Eccleſiæ, tàm Græcæ quàm Latinæ: ergo, &c.

Græci ſtringuntur.

Quod ſi iam illud, quod de Filio Spiritus ſanctus accipit, eſt accidens, eo ipſo, quòd tale cadat in Spiritum ſanctum, eius diuinitatem tollit, & creaturam conſtituit; impoſsibile enim eſt, in Deũ poſſe aliquod accidẽs cadere, aliàs iam fieret mutabilis & perfectionis limitatæ, quod cum ſit contra fidei principia, manet ergo, Spiritum ſanctum non aliud à Filio accipere, quàm ſubſtantiam, quæ cùm ſit vnica tantùm, & communis Patri & Filio, nequit ea eſſe alia à ſubſtantiâ vtriuſque; atqui hæc eſt diuina eſſentia, ergo Spiritus ſanctus ab vtroque, & Filio & Patre, immediatè procedit tanquam ab vnico principio.

Deinde S. Auguſtinus libr. 3. in Maxim. cap. 14. Et S. Cyrillus 12. in Ioann. cap. 56. expreſsè docent, Chriſtum Dominum, illâ ceremoniâ, actu atque verbis (dum Ioann. 20. *Inſufflando* diſcipulis dixit, *accipite Spiritum ſanctum*) voluiſſe ſignificare, Spiritum S. quoque à Filio procedere. Quod D. Paulus confirmat Rom. 8. *Vos autem in carne non eſtis, ſed in Spiritu, ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis: ſi quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius, &c. Quod ſi Spiritus eius,* (Patris) *qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.*

Sicuti enim ex illo Matth. 10. (*Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*) rectè reuerà arguitur, ideò dici *Spiritum Patris*, quia ille à Patre procedit: ſic etiam ex ſuprà dicti loci Rom. 8. verbis his, (*Spiritum Chriſti non habet*) apertè idem colligitur: videlicet, ideò dici *Spiritum Chriſti*, quod à Chriſto procedat. Quemadmodum enim Filius, ideò dicitur Filius Patris, eò quòd ſit à Patre genitus, ſic etiam dicitur Spiritus Filij, quod ſit à Filio & Patre vnà productus, atque ſpiratus. Hinc ſuperiùs D. Apoſtolus illis verbis, Spiritum ſanctum aſſerit communem vtriuſque, & Patris & Filij, Spiritum, quando dicit: *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*: & poſteà eundem nominat *Spiritum Chriſti*, quod idem eſt, ac dicere, *Spiritus Patris & Filij*, &c. Nam ſicuti verbi gratiâ, ſi dicerem, (filius occiſus Adæ, & Euæ) per hæc verba reuerà, Abel, & ab Adam & ab Euâ genitum, innuerem; ſic per illa verba: *Spiritus Patris veſtri.* Matthæi 10. & per alia, ad

Rom. 8. *Spiritus Chriſti*, planè colligitur, Spiritum ſanctum tam à Patre, quàm à Filio ſpirari.

Notatu digna, contrà Græcos. Denique Spiritum ſanctum tàm à Patre quàm à Filio procedere, colligitur ex illo duplici modo loquendi; circà miſsionem Spiritus ſancti: nam Ioann. 14. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus: quem Pater mittet in nomine meo*, &c. Deinde Ioann. 16. expreſsè dicit Filius: *Si enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos*, &c. Ex quibus facilè elicitur, quod ſicut Filius ſe habeat cum Patre, in Spiritu ſancto, mittẽdo, ita etiam ſe habeat, cum Patre, eundem producendo.

At reſpondebunt forſan Græci, Spiritum ſanctum ideò dici Spiritum Chriſti, ſeu Filij; eò quòd ſit in natura ſimilis ei, vel quia ipſe vnà cum Filio à Patre procedat, ideóque nihil probari ex illis verbis, &c.

Sed ſi hoc verum, cogentur etiam admittere, poſſe pari quoque ratione Chriſtum, Spiritus ſancti Filium dici: ſi enim non obſtante relatione Spiritus S. adſpirantem Patrem; diceretur Spiritus ſanctus etiam Filij Spiritus, ideò, quia ambo ſimiles in naturâ, vel quia vterque procedit à Patre: ſic etiam dici poſſet Chriſtus, Spiritus ſancti Filius, & Verbum; non obſtante relatione ad Patrem generantem, & dicentem; eò quòd ſimul etiam ambo à Patre procedant, & ſimiles omninò ſint in naturâ, & Eſſentiâ, iidem in potentiâ, ſapientiâ & Maieſtate, &c. Atqui hoc abſurdum, ergo & id ex quo ſequitur.

Denique, Spiritum ſanctum à Patre, & Filio, velut vnico principio procedere, docent Concilia; comprimis Epheſinum, in Epiſtola totius Concilij ad Neſtoriũ: *Quamuis*, inquit, *in ſua ſit ſubſtantiâ Spiritus eius, & intelligatur in Perſonis proprietas, iuxtà id quod Spiritus eſt, & non Filius, attamen, alienus ab illo non eſt; nam Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt: vnde & ab iſto ſimiliter, ſicut ex Deo Patre procedit.*

Concilium Lugdunenſe cap. *de Summa Trinitate & fide Catholicâ, lib.* 6. Fideli, inquit, & deuotâ profeſſione fatemur, quod Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre, & ex Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex vno, non duabus inſpirationibus, ſed vnâ inſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicauit & docuit S. Romana Eccleſia, Mater omnium fidelium, & Magiſtra: Hoc habet Orthodoxorũ Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum, incommutabilis, & vera ſententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmiſſæ veritatis ignorantiam, in errores varios ſunt prolapſi. Nos ſacro approbante Concilio. (*Fuit hic Greg. X. Papa hæc ſcribens.*) Damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint, Confeſsio Concilij Lugdunenſis contrà Græcos.

Digitized by Google

„pſerint, æternaliter Spiritum S. ex „Patre, & Filio procedere: ſiue etiam temerario auſu aſſerere, quod „Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio, „tanquàm ex duobus principiis, & „non tanquam ex vno procedat, „&c.

Decretum Concilij Florentini contrà Græcos.

Placuit & hîc addere, definitionem, ſeu Decretum Concilij Florentini, præſentibus Ioann. Palæologo Imperatore Græcorum, Patriarchâ Conſtantinopolitano, & pluribus Græcorum Epiſcopis, longâ præhabitâ diſputatione, vnanimi & Latinorum & Græcorum conſenſu, ſeſsione vltimâ editũ, & promulgatum; etſi teſte S. Antonino, quòd à Græcis populo non publicatum fuerit, cùm exiguo effectu & fructu. „Approbãte (inquit dictum Con„cilium) hâc ſacrâ Synodo Floren„tinâ definimus; vt hæc fidei veri„tas ab omnibus Chriſtianis cre„datur, & ſuſcipiatur: quia Spiritus „ſanctus, à Patre & Filio æternali„ter eſt, & Eſſentiam ſuam, ſuum„que eſſe ſubſiſtens habet, ex Patre „ſimul, & Filio; & vtroque æterna„liter, tanquàm ab vno principio, „& vnica ſpiratione procedit: De„clarantes, quod id SS. Doctores „& Patres dicunt, ex Patre, per Fi„liũ procedere Spiritum ſanctum, „&c. Ad hanc intelligẽtiam tendit, „vt per hoc ſignificetur, Filiũ quo„que eſſe ſecundùm Græcos qui„dem cauſſam, ſecundùm Latinos „verò principium, ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris ſunt, „ipſe Pater vnigenito ſuo Filio gi„gnendo dedit, præter eſſe Patrem, „hoc ipſum quod Spiritus ſanctus „procedit ex Filio, ipſe Filius à Pa„tre, æternaliter habet, à quo etiam „æternaliter genitus eſt. „

Hæc Concilium Florentinum, in quo compertum fuit (vti in eiuſdem literis de S. vnione videre eſt) Græcos & Latinos, tandem vtrimq; dictis, & verbis ſuis præexplicatis; meris, & ſolis verbis diſſenſiſſe; cùm enim Græci priùs ſua non benè explicaſſent, neque adeò etiam benè Latinos intellexiſſent; putarunt eos in ea eſſe ſententiâ, vt crederent, dicerentque, Spiritum ſanctum non tanquam ab vno principio, ſed tanquam à duobus diſtinctis principiis, & ſpirationibus, à Patre & Filio procedere: quod quidem nec ſemel ſomniarunt Latini, ſed contrarium potius aſſerúere; vt patet ex Concilio Lugdunenſi, &c.

Confeſsio Concilij Toletani.

Tandem idem ſenſit, ſtatuitque Concilium Toletanum primum, in Confeſsione fidei, his verbis: *Spiritum quoque eſſe Paraclitum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed à Patre Filioque procedens.* Quod Concilium quidem cõfirmatum fuit à Leone primo, cuius etiam auctoritate Concilium Chalcedonenſe congregatum, confirmatumque fuit.

Denique, Spiritum ſanctum ex Patre, Filioque procedere, ipſi docent Patres Græci, & Primus

S. Athanaſius in Symbolo: *Spiritus ſanctus à Patre & Filio*, &c.

Patrum Græcorum de processione Spiritus S. ſententia

Sanctus Cyrillus in Ioëlem: *Quatenus*, inquit, *Deus ex Deo, naturaliter eſt Filius, genitus enim eſt ex Deo Patre; proprius ipſius & in ipſo, & ex ipſo Spiritus, ſicut profectò & ex Patre ipſo intelligitur.* Et iterum libr. 5. ad Hermiam dicit: *Cuius proprium eſſe dicimus Spiritum ſanctum? num ſolius Dei Patris? vel certè Filij; an verò vtriuſque diuiſim, & amborum, tãquam vnum, ex Patre per Filium, propter identitatem eſſentiæ?* cui etiam Hermia reſpondit; *Ita aio amice*: & Cyrillus quoque reſpondit, *rectè.*

Sanctus Epiphanius, inquit, *Spiritus ſanctus Spiritus eſt veritatis, lumen tertium, ex Patre, & Filio.*

Sanctus Baſilius Magnus, libr. 5. contra Eunomium cap. cui titulus, *Quare Spiritus ſanctus non eſt Filij Filius?* ſic ſibi reſpondet. *Non quia* (Spiritus ſanctus) *per Filium à Deo ſit, ſed ne Trinitas infinita multitudo cenſeatur, & ex Filiis filios, vt in humanis fit, habere putetur*: & eodem capite,

Propterea eſſe quidem Spiritum ex Deo, manifeſtè declarauit Apoſtolus dicens: quod Spiritum qui à Deo eſt, accepimus: per Filium autem elucere clarè docet, vbi Spiritum ipſum Filij nominat, ſicut & Dei Patris.

Et hactenus in Græcorum gratiam hucuſque euagaſſe ſit ſatis, cùm non ſit noſtri propoſiti, hanc controuerſiam ex inſtituto tractare: qui plùra hac in materia deſiderat, à Theologis petat, & iis qui eam ex induſtriâ tractant, &c.

MEMBRVM II.

Duobus polis, & centro primi mobilis diuinitatem, animam, & humanitatem Chriſti adumbrari.

CÆlum primum mobile tres punctos diſtinctiſsimos quidem in ſe continere, ſed cum eodem vnúm & idem integrale conſtituentes, cunctaque in mundo entia complectentes; non tam aſtronomis, quàm etiam Philoſophis notum eſt.

Quod ſi iam Chriſti diuinitatem, animam, & corpus ſacratiſsimum; in vno ſuppoſito diſpiciamus, haud diſsimiliter Chriſtum cum primo mobili denuò comparari poſſe videbimus.

Nam ſicut duo poli, arcticus & antarcticus, in cœlo vno & eodem; vnum centrum immobile, indiuiſibile, mediumque reſpiciunt; immenſâ tamen diſtantiâ, ab eodem vtrinque æqualiter remoti ſunt, neq; vnquam ad illud appropinquare, ampliùs, quàm modò, queunt. *Chriſtus comparatur primo mobili.*

Ita & duo poli, anima & Corpus Chriſti, vnâ eademque Filij Dei hypoſtaſi quaſi ſubiectati quidem, infinitæ tamen à centro medio (eius diuinitate) diſtant; cùm finiti ad infinitum nulla eſſe poſsit proportio. *Conceptus inſignis.*

Continere autem hoc ſacroſanctum primum mobile tria illa puncta : ſcilicet, diuinitatem Corpus & animam, Orthodoxa comprimis docet fides, & ſancta Mater noſtra Eccleſia; quod etiam (ſi forſan ignores) tacitè, ſed perbellè ſanè, repræſentat candelis, cereiſve, in Eccleſiæ ſacratiſsimiq; Miſſæ ſacrificij quotidiano vſu, cōſpicuis. Tria namque in candela ardente eſt videre, videcet, *lumen*, *funiculum* ſeu *lychnum*, & *ceram*, puriſsimo apum miniſterio, ex floribus collectam : lumen quidem tibi Chriſti diuinitatem, & funiculus medius lychnuſque animam corpori incluſam ; & cera denique eius SS. corpus, è puriſsimis BB. Virginis corporis & ſanguinis floribus fragrantiſsimis conflatum.

Quid candelæ in miſſa myſticè denotent.

Eſſe autem Chriſtum Dominum Deum verum eiuſdem eſſentiæ cum Patre : cum in ſuperioribus probatum habetur, tum etiam denuo ipſe teſtatur. *Ego ex Deo proceſſi.* Ioann. 8. & Hebr. 1. Apoſtolus ipſum appellat, *ſplendorem gloriæ & figuram ſubſtantiæ Patris*, ô admirabilem, incomprehenſibilem & inexplicabilem ſplendorem ! *omnem hominem in hunc mundum venientem illuminantem*, tenebras cunctas è cordibus noſtris fugantem ; noſtri cauſâ, illos duos polos, animam & corpus, aſſumentem, *inq́ue propria venientem*, heu recipientem tamen ſeſe non reperientem.

An non admirandum quidem eſſet, ſi ſoli cineres, pulueres, ſiue leuiſsimum pondus, totum cælum extra ſuum centrum librare, & quaſi excentricum conſtituere poſſent? id quod Philoſophi quidem, in telluris centro grauitatis, minimo etiam premente graui, quotidie fieri aſſerunt.

Conceptus iucundus & inſignis.

At quid magis mirum, ſtupendumq́ue infinitum nempè illum orbem, Ter Optimum Maximum (diuinitatem Chriſti) tum pondere diuini ſui erga nos amoris, tùm & peccatorum noſtrorum è tellure ſurſum coacto puluere, ita grauatum, commotum, & impulſum fuiſſe; vt quaſi excentricus factus, extra ſuum centrum (ſtupendo ſcilicet miraculo vniendo ſe cum natura humana) ſeſe librarit ? Ita eſt mi homo : *Nam propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cælis;* Iterùm Ioann. 1. *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*, optimè *in nobis*, velut concentricum centrum, totius ſcilicet noſtræ ſalutis, centrum nempe *fidei*, *ſpei*, *& charitatis* : denique centrum & ſcopus totius noſtræ creationis, finis, & beatitudinis, &c.

Chriſtus incarnatione excentricus, nobis quaſi concentricus factus.

Quis ſtupendam hanc tantam & infinitam excentricitatem, in hoc altiſsimo & immenſo cælo factam, enarrabit? aut ſatis mirari ſufficiet? dùm infinita inter ſeſe diſtantia, in vnum coeunt : & centrum hoc (*verbum Patris*) grauiſsi-

uiſsimum, inter Patrem, & Spiritum ſanctum, quaſi mediū; quin & totius vniuerſæ creatæ molis punctum; & ſcopus (*quoniam omnia per ipſum & propter ipſum facta ſunt*) in tantam profunditatem, & fragilitatem carnis noſtræ aſſumptæ, ſeſe demittit; adeò vt profundiùs nequiuerit: quippe *factus pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Vnde bene Bernardus ſuper Cantic. *Fratres, generationem iſtam quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus obumbrat, ſubuenit Spiritus; Virgo credit, Virgo parturit, Virgo permanet. Quis non miretur, naſcitur Verbum Infans* (ſit hic immenſus orbis excentricus, præter naturæ ordinem, ſeſe humanis quaſi miſcendo vniendove) *& agnoſcitur longitudo breuis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas plana. Ibi agnoſcitur lux nō lucens, Verbum Infans, aqu ſitiens.* Nónne hæc immenſa excentricitas? S. Auguſtinus, tantam Filij Dei excentricitatem, (humilitatis, & incarnationis eius myſterium intellige) optimè agnoſcens, & obſtupeſcens in ſerm. de Natali Domini in hæc verba prorumpit: *Homo factus eſt hominis factor; vt ſugeret vbera, regens ſidera: vt eſuriret panis; & fons ſitiret: dormiret lux, ab itinere via defatigaretur: falſis teſtibus veritas occultaretur: Iudex viuorum & mortuorum, à iudice mortali iudicaretur: ab iniuſtis, Iuſtitia damnaretur; flagellis diſciplina cæderetur: ſpinis Botrus coronaretur, in ligno fundamentum ſuſpenderetur, virtus infirmaretur; ſalus vulneraretur, tandem & vita moreretur*, an ne vides excentricitatem ſummam? ô verba libro cordis, aureo ſtilo & literis indelebiliter inſcribenda!

S. Bernardus bellè deſcribit quomodo Filius Dei excentricus factus.

Item S. Auguſt.

Tandem & alio modo excentricus factus eſt Filius Dei: nempè primò centrum virginalis vteri ſibi eligens. Secundò à ſummitate culminis cælorum, ad vſque centrum terræ (quod cenſetur & inferni) profundiſsimè deſcendens. Tertio modo, ad dextram Patris homo aſcendens, &c. Quæris ergo centrum tuum, & vltimum finem? en in vno horum trium locorum, cum inueniri à te neceſſe eſt: pœnitentiâ quidem & contritione, in primo, velut tuus Redemptor (te enim apud Matthæū inuitat: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*) In tertio, hoc eſt altiſsimo ad dextram Patris; vitâ humili inuenitur: *Nam qui ſe humiliat exaltabitur; Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem, dat gratiam.*

Aliis tribus modis Filius Dei excentricus factus, triplici loco inuenitur.

Denique in medio, & ſecundo loco, vitam & ſemitam huius ſæculi ambulando, pœnitentiā non agendo, ſed viam impiorum currendo, reperies eum quidem, at vbi? in centro terræ, ceu Iudicem te caſtigaturum, ibi ſcilicet, *vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Iob 10.

Qualiter ergo, & vbi Chriſtum centrum tuum quæſieris, taliter, & ibi certò eum reperturus es: ec-

ce enim, ſi dilectione, tertio loco: enimuerò: *Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me inuenient me, in viis iuſtitiæ ambulo, vt ditem diligentes me. Qui operantur in me non peccabunt; qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Prou. 8. Vides quomodo debeat quæri tertio loco, hoc eſt in cælo? nempè dilectione intima, vigiliâ ſedulâ, & vitâ laborioſâ.

Conceptus quomodo Chriſtus capiendus. In primo vix inuenitur, niſi per ipſum locum, id eſt BB. Virginem eum continentem. Quia illa ſola *Mater pulchræ dilectionis, & magnitudinis & ſanctæ ſpei.* Eccl. 4. Qualis etiam quotidie aſſeritur à S. Matre Eccleſiâ: *Salue Regina Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, ſpes, & Aduocata noſtra, &c.* huic ergo mari, & Oceano Mariano, ſpei tuæ anchoram, & confidentiæ rete immitte; & centrum tuum Chriſtum, velut hamo, certò piſcaberis, capieſque.

Denique, & in inferno eum reperies, malè & ſcandaloſè viuendo: *Nam ſi deſcenderis in infernum adeſt, &c.* Pſalm. 138. & Pſal. 111. *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, &c.* Quid videbit? nempè in centro terræ, terribilem illum Leonem *de Tribu Iudâ*, pœnis æternis diriſsimè impios dilaniantem. Quid videbit? Deum videlicet, terribiliter in inferno præſentem; quem in vita ſemper habuit, optauit, putauitque abſentem. Quid vlteriùs cernet? æternitatē interminabilem, ignem inextinguibilē, ſocietatem execrabilem, pœnam intolerabilem, deſperationem & anguſtiam ineffabilem. Quare *& dentibus ſuis fremet*, prèque nimio furore, atque cruciatu *tabeſcet*; ſemper quidem liberationem quærendo, optando, deſiderandoque; at nunquam obtinendo: *quia deſiderium peccatorum peribit.* Heu miſeriam miſeriarum, ſemper & perpetuò velle eſſe vbi non es, neque eſſe poſsis; & nolle eſſe, vbi tamen æternùm eſſe neceſſe erit. *Quærito ergo Dominum, dum, & vbi inueniri poteſt.* Iſaiæ 55. vt eum inuenias, vbi inueniſſe gaudeas; nec inuenias, vbi reperiſſe horreas, &c. *Nota.*

Alio etiam modo intelligitur Chriſtus tria in ſeſe puncta continere, ſicut primum mobile: iuxta illud: *Ego ſum via, veritas, & vita: quia ſine me nil poteſtis facere, &c.* Cuncta enim in cælo & in terra, circà SS. centrum hoc voluuntur, vertunturque. *Data enim eſt ei omnis poteſtas in cælo & in terra.* Matth. 28. *Chriſtus 3. puncta in ſe continet.*

Alio iterum modo continet duos contrarios polos, arcticum, vel *miſericordiam* vnū; antarcticum, vel *Iuſtitiam* alterum; centrum autem medium *æquitatem. Nam miſericordiæ Domini plena eſt terra.* Pſal. 32. & *Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum:* & iterum *Æquitas teſtimonia tua in æternum.* Pſal. 118. Denique *Iuſtus es Domine* (vt alia verſio habet) *& æquitas iudicium tuum.* Pſal. eodem.

Denique & aliter poteſt Chriſtus

Conceptus de duobus polis Chriſti.

ſtus intelligi continere duos polos, infinitè ab inuicem diſtantes: arcticum & eleuatiſsimum (*naturam diuinam*) antracticum alterum, *naturam humanam*: vndè ſæpè dicebat ſe modò filium Dei modò filium hominis, &c.

Inſignis conceptus de hæreticis.

Et verò iterùm; vti poli mundi, iis qui ſub zonis duabus frigidis, & temperatis habitant; nunquam ſimul & ſemel apparent: zonam torridam verò, & æquinoctialem habitantibus, vterq; perpetuò redditur conſpicuus.

Ita & hi duo ſanctiſsimi poli (diuinæ, & humanę naturæ Chriſti) populis, zonas frigidas (hæreſeos, & errorum) tropicum Cancri (hoc eſt qui in via Dei non proficiunt, ſed à Chriſto vt Cancer recedunt) & Capricorni habitantibus (ptoprij capitis, & obſtinatæ mentis hominibus, Deo, Spiritui ſancto, & Eccleſiæ perpetuò reſiſtentibus) in æternũ nunquam ſimul & ſemel apparebũt: niſi mutatâ ſede (errorum & peccatorum ſuorum) propiùs ad zonam torridam (Eccleſiæ videlicet perpetuus ſpiculis veræ fidei, & doctrinæ, à ſole Iuſtitiæ, ſupernè illuſtratã, & incalefactã) acceſſerint. E contrariò verò, etſihuius SS. zonæ torridæ (veræ Eccleſiæ, & Religionis, ſiue, amoris, & gratiæ Dei) ſubcolis; duo illi poli admirabiles; humanitatis & diuinitatis Chriſti, iam hîc in ſpe, verâ fide, & charitate, ænigmaticè tantùm appareant; ad illam tamen æquinoctialem, æternitatiſque feliciſsimam zonam, nempè *cæli Empyrei & beatitudinis*, poſt has vmbras tráſlatis, facie ad faciem, conſpicui futuri ſunt: *Ego enim dicit Dominus*, Exodi 33. *oſtendam omne bonum tibi*. Et Pſalm. 4. *Quis oſtendet nobis bona?* niſi Dominus omnium bonorum fons & origo? Et Pſal. 90. *Oſtendam illi ſalutare meum.* Quale ſalutare? niſi Chriſtum Saluatorem mundi, &c. *Igitur Domine, oſtende nobis faciem tuam, & ſalui erimus*, vt videamus te facie ad faciem ſicuti es.

TROPOLOGIA.

Ad peccatores & Acatholicos.

MEMBRVM PRIMVM.

IAm quod incolæ zonæ frigidæ; (exiſtentes videlicet, ambulanteſque in tenebris, & vmbrâ mortis hæreſeos cœnoque huius ſæculi) nunquam ſint viſuri illos polos, humanitatis & diuinitatis Chriſti; patet expreſsè Ierem. 18. *Hæc dicit Dominus, interrogate gentes: quis audiuit talia horribilia quæ fecit nimis virgo Iſraël? & quia oblitus eſt mei populus meus: fruſtra libantes, & impingentes in viis ſuis* (fruſtra enim hæretici Deo libant, vereque impingunt in viis & doctrinis ſuis) *& in ſemitis ſæculi* (notent qui ſe totos ſæculo huic impendunt) *vt ambularent per eas in itinere non trito* (enimuerò via hæreticorũ ſanè non

tira ſententia contra hæreticos.

non eſt trita, non antiqua, ſed noua: nam, verbi gratiâ, Lutheri & Caluini, neque nomine ante ducentos annos innotuit vlli vnquam, nedum ergo, & quomodò re & veritate?) *Vt fieret terra eorum in deſolationem, & in ſibilum ſempiternum, &c. Sicuti ventus vrens diſpergam eos coram inimico: dorſum, & non faciem oſtendam eis, in die perditionis eorum, &c.*

Heu terribilem nimis comminationem Domini! quam vt effugias, quiſquis es, in itinere nō trito, ſed nouo; ſcrutare, & interroga *de ſemitis antiquis.* Ierem. 6. ad veram & latiſsimam zonam torridam, Eccleſiæ Catholicæ, veræ fidei firmamentum & antiquiſſimam columnam veritatis, propiùs accede, & magis approquinquabit tibi, *& illuminabit te Chriſtus.*

Quomodo facile cognoſcatur falſa à vera fide.

Omnes autem illos cenſeo errare, & eſſe in via non trita, non antiqua, non recta, quorū Religio ab hominibus certis denominationem & originem trahit: videlicet, ab Arrio, Ariani; à Donato, Donatiſtæ; à Neſtorio, Neſtoriani; à Pelagio, Pelagiani: à Machomete, Machometani; à Wiclepho, VViclephiani: à Zwinglio, Zwingliani; à Luthero, Lutherani, & tandem à Caluino, Caluiniſtæ, &c. Horum omnium Religio, ex ſolo nomine, meritò cuique ſuſpecta eſſe debet: putoque reuera hoc eſſe inter cætera haud exiguum ſignum, notamque dignoſcendi falſam Religionem à verâ, haud leuem. Videtur enim, Deum nolle Catholico, vtpotè à ſe profecto nomine, eiuſmodi Religiones eſſe inſignitas, ſed potiùs ſuorum Autorum: ad dignoſcendam veram fidem à falſâ, ſcorium ab auro, tenebras à luce, &c.

Sola autem noſtra fides, ſolo nomine Catholico gaudet perpetuo iure poſſeſſorio; neq; poteſt ab vllo alio homine denominari, quia nullus ſcitur eius autor niſi ſolus Chriſtus, & Apoſtoli.

Notatu digna contra Acatholicos.

Quin & ipſi Acatholici (neſcio ſanè quâ occultâ vi, etiam nolentes impulſi) haud alio nos à ſe, & aliarum ſectarum populis, diſcriminare ſolent nomine, poſſuntque; quàm *Catholico;* vtpotè antiquiſsimo, non ſolùm iure poſſeſſionis, veræ & antiquiſsimæ, nunquam vllâ potentiâ, aut vi, extirpatæ fidei; verùm, & temporis prioritate, antiquitate, & iure poſſeſſorio nobis perpetuò debito.

Scio ab Acatholicis nos quoque appellari Papiſtas, hoc eſt, fidei Papæ aſſeclas, & conſortes; ſed interrogo, quam fidem profitetur Papa? ſanè non Caluini, non Lutheri, non VViclephi, non aliorum denique, ab hominibus tantùm pullulātem, ſed Catholicam à Chriſto inuiſibili capite in Papam, tanquam caput viſibile Eccleſiæ deriuatam, propagatam, & à tot Pontificibus hactenus ſemper ſartè tectè cuſtoditam: At reddat iam mihi Acatholicus rationem & cauſam, cur tantum vnus fuerit

fuerit Simon Magus? vnus Arrius? vnus Neſtorius? cur & vnus tantũ Machomet, vnus VVicleph? cur vnus tantummodò Lutherus, & Caluinus? cur non plures ipſis, in tanta rerum ſuarum turbatione, pro ſolatio ſuorum adhęrentium, ſucceſſerunt? E contra, cur Deus (ſi fides & doctrina Papæ non eſt orthodoxa, ſed ſaluti potiùs conſequendæ (vt ipſi fabulantur nociua) cur inquam Deus, cui alioqui ſalus noſtra tantoperè cordi eſt, tot, & tantos Pontifices Romanos ſibi inuicem, vnâ, & perpetua ininterruptâ ſerie, à Petri, ad vſque moderni Innocentij X. noſtra tempora, perpetuò ſuccedentes tamdiu tolerauit, quorum tamen fidem maior pars Orbis Chriſtiani profitetur? Et contra, Caluino & Luthero (vtpote, ſecundùm Acatholicos, veris, ſed vereorne Pſeudo-Apoſtolis) cur non & eiuſdem Autoritatis ſucceſſores, illis ſubſtituit, vt fuerunt ipſi? quibus, velut capiti fidei ſuæ viſibili, obediretur; à quibus audibiles, & viſibiles controuerſiæ, viſibiliter, & audibiliter deciderentur; quique nutantes ſuos alumnos in fide firmarent, mœſtos & decedẽtes reuocarent, & erigerent, &c. Aut cur ſaltem non tales eis diſcipulos ſubmiſit, quorum ſtudio, feruore & labore, ſuæ doctrinæ, *eorumque ſonus, in omnem terram exiret*, inſonaretq; ampliùs, quàm hactenus inſonuit? quos tamen hodie in ſolis laribus

Cur tot ſemper fuerint Pontifices Romani: Acatholici non poſſunt dare rationem.

paternis, & vix domum egredientes conſpicimus. Certè maiorem, videtur Deus olim Synagogæ, etiam ante tempus gratiæ, habuiſſe curam; quàm mòdo Eccleſiæ Acatholicorum; cum in Synagoga nunquam defuerit ſummum Sacerdotium, ſumma in rebus fidei, controuerſiiſque dirimendis poteſtas, imperium & autoritas. Quæ tamen omnia penitus iacent, neque quidquam horum, lynceis etiam oculis, apud Acatholicos, cernere eſt.

Id quod profectò haud leui argumento eſt, imò apodictico, & infallibili ſigno: nempe à Chriſto, ſole iuſtitiæ, figuris rebuſque iam impletis, vmbrâque veteris legis, *veritate adueniente & præſente*, fugatâ; ſimul etiam cum Sacerdotio ſummo veteris legis, & verâ poteſtate, *in iis quæ ad Deum ſunt, Hebr.* 5. veræ fidei aſylum, & Arcam ad ſolos Catholicos eſſe tranſlata, & nequaquam ad Acatholicos. Cùm hi, omni Sacerdotio careãt, neque vnquam vlla poteſtas ſumma apud illos fuerit, *in rebus ſcilicet quæ ſunt ad Deum*, alioquin planè neceſſaria; ſed ſoli Catholici ſummi Sacerdotij priuilegio iam à D. Petri temporibus donati videantur: ergo euidentiſsimo eſt argumento; vnà cum ſummo Sacerdotio, etiam veram fidem, vnicè ſaluantem fuiſſe tranſlatam ad ſolos Catholicos.

Pregnans argumentum contra Acatholicos.

Id quod ſatis clarè, & manifeſtè inſinuatur, aſſeriturq; 1. Reg. 2.

Et

Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem (Eccleſiam Romanã. vide quanti Architecti induſtriâ, & authoritate ſit fabricata; quare & fruſtrà à Caluino, & Luthero, tot rictibus petita.) *Et ambulabit coram Chriſto meo* (cuius & nomine, & officio fungitur in terris.)

Iam quæro, qualis hic Sacerdos intelligatur à Deo promiſſus, & ſuſcitandus? quod ſi à Deo promiſſus, vtpote æternæ veritatis Magiſtro; ergo etiam aliquando in mundum miſſus; quis ergo ille? an fortè Aaron; Melchiſedech? aut alius in veteri Teſtamento? minimè profectò; nam hi, non ambulabant *coram Chriſto*, vt Deus prædixit futurum, ſed *ante Chriſtum*, quia ante eius aduentum in carnem.

Notatu digniſsima.

Deinde non potuit per illam *domum fidelem à Deo ædificandam*, indigitata, aut ſignificata fuiſſe Sinagoga; quia illa non adeò fuit fidelis, *ſed duræ ſemper ceruicis*, & ſexcentis infidelitatis aſperginibus coram Deo notata, imò iam Synagoga tunc erat ædificata, non ædificanda: ergo neque etiam potuit ſignificatum fuiſſe Sacerdotium veteris, ſed noui Teſtamenti.

Dico noui Teſtamenti, quia Scriptura expreſsiſsimè docet, dicitque, illum Summum Sacerdotem, ambulaturũ *coram Chriſto ſuo*; id eſt, in facie, & loco Chriſti, iam inhumanati; & quidẽ *cunctis diebus*: non addit, *ſuis*, ſed in genere loquitur; vt ſacerdotalis illius regiminis durationem, non ad vnum tantum Sacerdotem, aut perſonam reſtrictam, ſed numquam terminandam ante diem Iudicij, ſignificaret.

Cum itaque probatum ſit, illum Sacerdotem non eſſe poſſe veteris Teſtamenti, ſiue aliquem ante aduentum Chriſti: *eò quòd coram Chriſto ſit ambulaturus*; neque etiam intelligi poſsit, forſan hunc Sacerdotem ipſum eſſe Chriſtum, (quia Scriptura non ſolet nugari, quod tamen hic facere videretur, idem per idem dicendo) quid enim eſſet dicere? (*Chriſtus ille Sacerdos, coram Chriſto ambulabit.*) Sed coram quo altero Chriſto? cum tantũ vnus ſit Chriſtus Dominus?

Neceſſe eſt ergo, quòd ſæpè dictus Sacerdos, ſit alius à Chriſto, vt poſsit coram facie Chriſti ambulare. Atqui nullus veteris Teſtamenti; ergo ex nouo. Sed peto, ſi ex nouo Teſtamento ille ſit eligendus Sacerdos Magnus, neceſſariò, ſuæ electionis à Deo, habebit aliquas notiones, ſeu ſigna, quibus, an verè à Deo electus ſit dignoſci queat. At hæc ſigna habet ſolus Pontifex Romanus, ergo, ipſe ſolus, & nõ alius eſt, quem ore Dei Scriptura 1. Reg. 2. futurum à Deo eligendum prædixit.

Solum Romanum Pontificem habere ſigna veri Sacerdotij à Deo.

Minorem probo: ſolus enim in Orbe Pontifex Romanus, omnibus retrò temporibus, habitus, dictuſ-

dictuſque ſemper fuit ſucceſſor Diui Petri, & Vicarius Chriſti, quem titulum perpetuâ & nunquam interruptâ ſucceſsione, & iure poſſeſſorio, contra omnes Hæreticos hactenus iam à mille & pluſquam ſexcentis annis, profectò non propriis, ſed eius, qui elegit eum, proculdubiò viribus, Dei nempè, adeò manu tenuit; vt neque potentiſsimi Orbis Imperatores (quibus tamen penè totus ſubiiciebatur terraqueus globus) omni ſuâ induſtriâ & potentiâ, quomodocumq; fuerint etiam conati, eundem titulum à Romano Pontifice potuerint auellere; quin ſemper etiam inuitis Dictatoribus Romanis, pro tali fuerit habitus & agnitus. Quod ſanè maximo argumento eſt, Pontificis Romani regimen ab altiori virtute quã propriâ ſua, tamdiu ſubſiſtere cõſeruari, defendi, & regi: proindeque eſſe ipſius Eccleſiam illam planè *domum fidelem*, quam Dominus pro ſuo tali Sacerdote eligendo ſe ędificaturum, 1. Reg. 2. promiſera: illam inquam, aduerſus quam *neque portæ inferi, eſſent vnquam præualituræ*, teſte ipſo Chriſto. Matth. 16. Quod confirmari videtur Apocal. 1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo Patri ſuo.* Iterum Apocal. 5. *Et feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes & regnabimus ſuper terram.*

An non regnat ille ſuper terram, cui poteſtas ligandi, & ſoluendi à Chriſto in Petro, tradita eſt? Vel ſi illa poteſtas ſoluendi & ligandi cum Petro mortuâ eſt, & eo crucifixo, in terris expirauit; quis ergo te ſoluere & abſoluere poterit ſuper terram? Vel ſi non expirauit, dicas mihi vbi ſit, cui tradita & relicta poſt Petrum, & à Petro? ſanè nullibi eam inuenies, quàm apud Romanum Pontificem, vtpotè legitimum ſucceſſorem Petri.

Poteſtas ligandi atque ſoluendi in terris non ceſſauit morte Petri.

En Reges & principes terræ, Imperatores potentiſsimi antea Romani Pontificis perſecutores, iam, mirabili modo, facti sũt eius tutores & Cultores. Neſcis Eccleſiam Chriſti veram, & eius Sacerdotium ſummũ fuiſſe præfiguratum per Synagogam, & per eius sũmos Sacerdotes? ſi præfigurata, ergo vmbrâ fugatâ, veritas patet veri Sacerdotij, cuius? illius ſanè Papæ ſcilicet cuius hactenus domus à ſexcẽtis Hæreticis, etſi ſemper oppugnata, nunquam tamen ſuperata, & oppreſſa eſt. Iam ſic dico:

Eccleſia veteris Teſtamẽti fuit figurâ & typus noui, & gratiæ: at in illa fuit ſemper ſummum aliquod Sacerdotium; ergo etiam in hac debebit eſſe: quod ſi in hac; non eſt penes Caluiniſtas, Lutheranos, aut alios Acatholicos: qui nullum vnquã Pontificem ſummumq; Sacerdotem habuere, neque habere volunt aut poſſunt; vt *ex hominibus aſſumptus*, Hebr. 5. &

pro hominibus conſtitutus in iis quæ ſunt ad Deum, offerat dona & ſacrificia (quę dona & ſacrificia niſi Miſſę?) *pro peccatis: quique condolere poſſit iis qui ignorant, & errant*, hoc eſt ad veram viam reducere. Ergo penes ſolos Catholicos eſt illa ſummi Sacerdotij poteſtas & *domus* 1. Regum 2. à Deo promiſſa. Econtra Acatholici, ſine Pontifice & Paſtore, errabundi hærent & aberrant.

Præfigurabatur autem hæc Sacroſancta domus viſibilis Eccleſia Catholica,

Primò Geneſ. 6. per Arcam Noë, quæ ſola non fuit ſubmerſa; cæteris cunctis domibus diluuij vorticibus hauſtis.

Secundò per *Ciuitatem S. Ieruſalem tanquam ſponſam de cœlo deſcendentem à Deo.* Apocal. 12.

Tertiò per *hortum concluſum, fontem ſignatum, &c.* Cant. 4.

Quartò per *Vineam electam.* Pſal. 80. & Cantic. 2. Eſa. 5. Ierem. 2. Matth. 20. Marc. 12. Luc. 20. Apocal. 14.

Quintò per *Agrum illum*, Matth. 13.

Sextò per *nauem illam*, Luc. 5.

Septimò per *ſagenam comprehendentem bonos, & malos piſces*, Matth. 13.

Octauò denique per *regnum cœlorum*, Matth. 13.

MEMBRVM II.

Cur tantùm vnus Caluinus, vnus Lutherus: Econtra cur Deus tot voluerit eſſe Pontifices Romanos.

At petes, quâ de causâ Deus noluerit plures eſſe, & ſufferre, verbi gratiâ, in Synagogâ errantium, Caluinos, Lutheros, & Arrios; ſed vnum tantùm, &c. Econtra, tot hactenus in Eccleſia Romana voluerit eſſe Pontifices, Papas, & ſucceſſores Petri; adeò vt ab Apoſtolorũ Principis Martyrio, Romana Eccleſia, non fuerit moraliter ſine viſibili Capite, ſummo Sacerdote & Pontifice: Acatholicorum verò quorũcumque aceruus & Eccleſia (liceat modò ita nominare) à Lutheri & Caluini obitu, nullũ vnquam meruerit habere caput & ſummum Sacerdotem viſibilem, qui vt dicit Paulus Hebr. 5. *in iis quæ ſunt ad Deum, eſſet conſtitutus, vt offerat dona, & ſacrificia* (qualia Miniſtri Acatholici profectò nulla habent, nec offerre poſſunt Deo ex vi ſui miniſterij. Populo quidẽ more ſuo cœnam præbent, verũ illud non eſt ſacrificare Deo, ſed illos cibare & potare, quibus illa cœna præbetur) *poſſitq́ condolere iis qui ignorant & errant, &c.*

Eccleſia Catholica nunquam fuit ſine Capite viſibili à Petri obitu & Martyrio.

Reſpõdeo, ſicut impoſsibile eſt, plexum capite, & acephalum corpus poſſe habere caput, aut truncatam

Conceptus cur Acatholici nullum vnquã habeant caput viſibile.

catam arborem ſtipitem, inque eo veros ramos fructiferos; ſic etiam non eſſe poſsibile, Acatholicos poſſe habere ſummum Eccleſiæ ſuæ Antitiſtem, & viſibile caput, aut Pontificem. Cuius ratio eſt, quod vti æternus Pater familias, obambulando Paradiſi ſui hortum, noluit in eo plura capita tolerare (*ideò enim caput ſerpentis, mulieris ſemine contritum iri* prædixerat) ſic in ſuo horto voluptatis myſtico Filius Dei Chriſtus (ſcilicet in Eccleſiâ viſibili) noluit niſi vnicum caput ſummũ viſibile eſſe & præeſſe. Hinc mirum haud videri debere exiſtimo, Acatholicos nullum habuiſſe vnquam, vel habere poſſe viſibile caput. Deinde ſicut tantùm eſt vnicum caput ſummum in Eccleſiâ triũphante, ſcilicet Deus ipſe (& vel ideò proditor ille, perduellíſque diuinæ eminentiæ ambitor Lucifer, velut fulmen è cęlorum ſummitate excuſſus eſt) ſic vnicum etiam ſolum caput Deus eſſe voluit, in ſua Eccleſia militante; vtpote verùm triumphantis typum gerente.

At obiiciunt aduerſarij nullum eſſe viſibilis caput in Eccleſia viſibili, cum eius caput ſit Chriſtus inuiſibilis, &c. At contra eſt: quod cùm Eccleſia militans ſit viſibilis ſponſa Chriſti, neceſſariò etiam debeat habere ſui corporis viſibilis, caput proportionatum & viſibile (quis enim vnquam vidit ſponſam acephalam, & ſine viſibili capite, ſummo deſponſari alicui principi) ſic quis credat, viſibilem ſponſam Eccleſiam, inuiſibili ſponſo Chriſto, à Patre æterno per Spiritum ſanctum deſponſatam, viſibili capite deſtitutam? profectò enim ſi hoc verùm, maiorem olim Deus Synagogæ curam habuiſſe videretur; vtpotè quàm nunquam ſine viſibili, & ſummo capite reliquit orphanam. Cùm igitur Synagoga fuerit figura veræ Eccleſiæ, hæc vero typum & imaginem Eclceſiæ gerat in cælo triumphantis; quomodo ſine capite viſibili concipi poſsit viſibilis imago inuiſæ & militantis Eccleſiæ, planè non video. Numquid enim verè eſſet nugari, dicere verbi gratiâ hanc vel illam acephalam ſtatuam vel pictam imaginem ſine capite viſibili, eſſe tamen veram Cæſaris effigiem licet impoſsibile ſit, hoc etiam concipi poſſe, nedum fieri? talem ergo Acatholici acephalam effigiem faciunt Eccleſiam Eccleſiæ illius triumphãtis; & ſponſam priuam capite conſtituunt capitis inuiſibilis Chriſti. Quomodo igitur hæc capite plexa ſponſa, viuere ſine capite viſibili viſibilis poſsit, non capio, aut quomodo Chriſtus eam diligere queat, planè non intelligo. Haud igitur mirum videtur Acatholicos, cum Eccleſiam viſibilem, & ſponſam Chriſti, viſibili capite priuare perpetuò conentur; econtrà etiam perpetuò ſine viſibili capite fluctuare & oberrare.

Cum autē Romani Pontifices temporis diuturnitate & priorirate, in dignitate & veritate *capitis*, iam à tot ſæculis præſcripſerint: fruſtraneus eſt conatus eorum: cumq́ue Lutherus, & Caluinus (ad ſummum ante 130. annos primùm emergentes) in talis dignitatis præſcriptione, & poſſeſſione iam dudum Pontifices Romanos repererint; æquum nullo modo videbatur, Deum iuſtum iudicem, ob Lutherum & Caluinum, tàm recenter natos, eos in poſſeſsione, tàm legitimâ turbare; vel ſede, functione, aut officio pellere; & è contra alienis à ſeſe, concedere potuiſſe, multo minus, iam etiam poſſe aut vellè, &c.

Et verò alia inſuper ſublatet cauſa, cur tot ſint fuerintq́ue ſemper Romani Pontifices, indeficientes, ſucceſsione perpetuâ durantes, florenteſq́ue: econtrà vnus tantùm Lutherus, Caluinus ſolummodò vnicus, &c. Etenim vt Pater familias arbores, in horto ſuo nullos, aut ſaltem malos fructus proferentes, trūcare, ex trunco verò, nulla alia arbor ampliùs ſuccreſcere ſolet (paucis, idq́ue nullius momenti ſurculis ex eo pullulantibus exceptis) ſic ſemel ab vniuerſæ patratæ molis Patrefamilias; Acatholicis, ſuis capitibus iam truncatis; nullum aliud caput ſucceſsit; paucis exceptis eorum ſurculis, ex trunco iam protuberantibus, qui ſtipite ſuo deſtituti, neque multum ampliùs ſuccreſſere, neque adeò pomario Eccleſiæ obeſſe queunt. Si enim nil contra Romanam Eccleſiam profecerunt potentiſsimi etiam Dictatores illi Romani Ethnici; quid ab hiſcè ſurculis metuendum?

Conceptus.

Et ob hanc cauſam etiam, dicti ſurculi faciliùs tolerantur. Cui conforme videtur illud, 2. Epiſtolæ D. Petri cap. 2. *Fuerunt verò*, inquit, *& Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt, magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis; & eum qui emit eos, Deum negant, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem.* (Pontifices hactenus nunquam à tantò tempore interierunt, ſed benè eorum aduerſarij: ergo hi & non illi, hic intelliguntur.) *Et multi ſequentur eorum luxurias* (ecce ſurculos illos protuberantes ex trunco) *per quos via veritatis blaſphemabitur* (dicūt enim nos ſacrificando idololatrias cōmittere; non obſtante quod Apoſtolus Heb. 5. vti ſuprà dictum, ſacrificātis Pontificis, pro hominibus conſtituti, in Eccleſiâ verâ neceſſarij, expreſſam mentionem faciat) *& in auaritia fictis verbis, de vobis negotiabuntur.*

Deſcribuntur miniſtri Acatholici adque viuum depinguntur per S. Petrum.

Et ibidem: *Superbiâ enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos* (docentes opera bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem: ſed fidem ſufficere, hincq́ue portam ad infinita mala & ad ipſum infernum populo, ad malum aliàs prono, aperiūt) *qui paululū effugiunt;*

Digitized by Google

giunt; qui in errore verſantur: libertatem illis (Euangelij & certitudinem ſalutis, ſolâ fide adipiſcendâ) *promittentes; cum ipſi ſerui ſint corruptionis, &c.* Neque acu ſanè meliùs B. Petrus tetigiſſet & depinxiſſet noſtri temporis miniſtros Acatholicos.

Tandem S. Auguſtinus & Canones, 24. qu. 1. *Vbi ſana*, cauſam reddunt cur Deus hæreſeos illos 'ſurculos in Eccleſiâ permittat, litem his verbis decidentes. Vbi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe 'iuſtitia; quia iuſtus ex fide viuit. 'Neque ſchiſmatici aliquid ex iſtâ 'mercede ſibi promittant; quia ſimiliter vbi charitas non eſt, non 'poteſt eſſe iuſtitia. Dilectio enim 'proximi, malum non operatur; 'quam ſi hæretici haberent, non 'dilaniarent corpus Chriſti, quod 'eſt Eccleſia Catholica (*en ſola Catholica, non Lutherana, non Caluiniana 'aut alia à Catholica.*) Ideò diuina 'Prouidentia multos diuerſi erroris hæreticos eſſe permittit; vt 'cum interrogant nos, ea quæ neſcimus, ſic diſcutiamus pigritiam; '& diuinas Scripturas capiamus: 'propterea Apoſtolus ait: *Vt probati, 'manifeſti fiant*: Hi autem à Deo 'probati ſunt, qui benè poſſunt 'docere, &c.

Notatu digniſſima omnibus Miniſtris Acatholicis. Igitur cum Deus hactenus Romanos Pontifices, à Petri temporibus adeò aduſque modernum inſtans conſeruarit, non verò extirparit: S. Apoſtolus Petrus verò, ſecundâ ſuâ, iam ſupra citatâ epiſtolâ, expreſsè doceat, Pſeudoprophetas, & magiſtros mendaces, *inducere ſibi celerem perditionem*: maximo & apodictico ſanè argumento eſſe debet, Pontifices Romanos, neque eſſe Pſeudoprophetas, neque magiſtros malos aut mendaces, neque Anti-Chriſtos vti falſiſsimè plerumque ab Acatholicis traducuntur.

Si enim tales, quomodo Scripturæ infallibilitas ſaluatur? Eiuſmodi *Pſeudoprophetas, & Magiſtros, celerem ſibi inducturos perditionem*, aſſerentis, cùm tamen Pontifices Romani (quos Acatholici veros Antichriſtos, & Pſeudoprophetas malè, imò ſtupidiſsimè, appellant, cùm Scripturam ſacram, vnicum tantum Antichriſtum, non præſentem, ſed futurum docentem; taliter falſi ream planè conſtituant arguantque) non modò celeri perditione extincti nō ſint; verū potiùs longiſsimâ, perpetuâque ſerie & ſucceſsione, in hodiernum vſque momenti inſtans, incolumes, ſuo ſemper in officio perſiſtant, quietiſsimeque perſeuerent.

Quin & noſtrum ſummum Pontificem Vrbanum VIII. vel ideò verè; Optimum Maximum verum Pontificem, verè *à Deo ex hominibus aſſumptum, & pro hominibus in rebus quæ ſunt ad Deum*, hiſce prægnantiſsimis & tumidiſsimis malorum fluctibus, *conſtitutum fuiſſe*. Hebr. 5. Maximo ſanè Acatholicis, nobis verò infallibili argu-

argumento poteſt, debetque eſſe; quod ipſe ſolus, ſub tanta tamen rerum, eum prementium mole, plus temporis, & annorum feliciſsimè, ſaluus & incolumis, vitâ, etſi laborioſiſsimâ, ſuperfuerit; quàm ferè Lutherus & Caluinus ſimul.

Signum ergo eſt, hos, id eſt Miniſtros Acatholicos, non illum, eſſe Pſeudoprophetas, *magiſtroſque mendacij, prurientes auribus, non veritate, ſed blanditiarum inſtrumentis*, viam cæli (quæ tamen à Chriſto, Verbo Patris arctiſsima aſſeritur) tantoperè populo miſello ampliantes; vt, cùm eam nullo negotio, ſed ſolâ fide, tàm facilè permeabilem perſuadent, libertatemque & certitudinem ſalutis ei tam ſecurè, & ſpecioſè promittunt; in viam potiùs perditionis, & interitus eum præcipitent; quàm ad portum ſalutis deducant.

Quod quidem haud adeò demirandum videtur: *Nunquid enim poteſt cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foueam cadunt?* Lucæ 6. Cum enim Miniſtri Acatholicorum *ipſimet cæci ſint, & duces cæcorum*, Matthæi 15. neceſſariò vnà ſecum miſerum populũ in præcipitium trahun. Eſſe autem cæcos, vtpotè *oculos habentes & non videntes, &c.* Pſal. 113. facilè probatur. Cæcus enim omnis ille eſt, qui non videt, quod videre deberet; at Acatholicorum Miniſtri non vident veritatem, & verum ſenſum Scripturæ (quem perpetuò, aut turpiter corrumpunt, aut tortuosè ſuos in ſenſus, detorquere, & cogere conantur) ergo ſunt verè cæci & duces cæcorum.

MEMBRVM III.

Quomodo Acatholicis in conſcientiâ ſit ratiocinandum.

PRofectò ſi cæci non eſſent Acatholici Miniſtri, primò neceſſariò ex ſupra fusè dictis locis ſacræ Scripturæ 1. Reg. 2. hanc veritatem viderent. videlicet, cùm Deus non poſsit mentiri, conſequẽter ergo promiſsionem illam ab eo circa deligendum ſibi Sacerdotem fidelem coram facie Chriſti ſui (id eſt tempore legis gratiæ) ambulaturum neceſſariò debere adimpleri: quin & luce meridianâ clarius iam adimpletã eſſe in ſede Petri, & ſucceſſorum eius (quorum Sacerdotium & authoritatem tantâ firmitate, à tot continuis ſæculis roboratam, inconcuſſam, imò inſuperabilem vidẽt) & palpare ſaltem, & hoc modo ſecum ratiocinari deberent.

Nos Pontificem & Papam, Pſeudoprophetam Antichriſtum, & verbi puri Dei deprauatorem perpetuò proclamamus; ſed videamus ſemel quam verè. Profectò S. Petrus ſecundâ ſuâ epiſtolâ cap. 2. expreſsiſsimè docet, eiuſmodi Pſeudoprophetas & *magiſtros*

Ratiocinatio Acatholicorum de Papa, qualis eſſe debeat in eorum conſcientia.

ſtros mendacij ſibi ſuper inducturos, celerem perditionem (hoc eſt , quod à Deo non ſint diu tollerandi, ſed tollendi) confirmante hoc idem Pſalmiſta, pſalm. 54. nempè *viros ſanguinum & doloſos* (qui dolis, falſam doctrinam pro vera docent; quales eſſent quidem Pontifices, ſi forent pſeudoprophetæ), *non dimidiaturos dies ſuos*, hoc eſt, non diu victuros, ſed à Deo in pœnam, ante tempus alioquin à naturâ determinatum, ex hac vitâ eripiendos.

Atqui hanc infallibilem ſacrarum literarum veritatem, cominationem, & prophetiam, non videmus in Pontificibus Romanis impleri (quos tamen perpetuò pro ſeductoribus & illiſmet, à B. Petro loco ſupracitato, adumbratis pſeudoprophetis habemus) ſed potiùs contrarium euenire cernimus; cùm non ſolùm nullam hactenus eis celerem perditionem inductam, verùm inſuper, à tot ſæculis, eos in ſuo regimine, & ſede firmatos, imò adhuc indies eorum Eccleſiam, cœtumque augeri; noſtrum è cótra continuò minui videamus. His igitur reuera ita ſeſe habentibus; aut ſacram Scripturam, & Petri Apoſtoli doctrinam illam falſam eſſe neceſſe eſt, noſtramq; opinionem, & iudicium verum : aut reuerà potiùs hanc noſtram falſam, & illam Scripturæ, & Pontificis veram. Quod ſi iam vera, & tamen Pontifex Romanus velut pſeudopropheta, cum ſuâ doctrinâ, iuxta comminationem Petri ibi factam, celeri ſibi ſuperinductâ perditione à Deo è medio non tollatur, quomodo ergo noſtra opinio contra Papam ſtabit?

Cùmque videamus noſtram Eccleſiam acephalam, nullo Sacerdotio aut poteſtate ſummâ coruſcam; noſtroſque primos Patratores, & fidei reformatores, tàm celeri, & (vti palàm) tam ignobili interitu ſublatos, neque eorum loco alios ſimiles autoritatis ſuffectos. E contra, ſummum illud Sacerdotium à Deo 1. Regum 2. veræ Eccleſiæ promiſſum, nullibi in orbe magis, quàm in vrbe Catholicâ florere vigereque, indieſque augmentari & creſcere; nos verò deficere cernamus. profectò maximo argumento, imò apodictico quaſi eſſe videtur, nos Pontifici iniuriam facere; errare, & ab eo ad noſtra dogmata deficiendo, velut à Paſtore ad lupum deficere : eumque reuerà eſſe *Sacerdotem illum fidelem, coram Chriſto ambulaturum* olim ab infallibili veritate ipſo Deo tam ſeriò promiſſum. Fruſtra ergo Papam, velut ſolem, aut cælum lapidibus noſtris petimus.

E contra valde ſuſpicandum & timendum eſt, nos eſſe illos, quos B. Petrus 2. epiſtolæ ſuæ cap. 2. num. 1. & 10. adumbrauit, futuroſque prædixit, videlicet, *pſeudoprophetas, magiſtros mendacij, &c. in diem iudicij cum iniquis reſeruandi, cruciandiq;*

Miniſtri Acatholici quî ſint depicti à S. Scriptura.

ciandíque: poſt carnem in concupiſcentiâ immunditiæ ambulantes (quia Dei præcepta ideò ſeruatu impoſsibilia aſſerimus; vt nos, noſtróſque à mandatorum Dei ſuaui, & non graui, vti nos falsò docemus, iugo ſubdolè ſubtrahamus, prout bene Apoſtolus in ſuâ epiſtola dicta his verbis proſequitur) *dominationem contemnentes* (hoc eſt, nos paulatim ab omni dominatione, & obedientia, Eccleſiæque iugo, noſtrorum magiſtrorum more, ſubducendo) *audaces, nobis ſolis* (in noſtra doctrina) *placentes*: &, quod magis horrendum, *ſectas indies nouas non metuentes introducere*: vt quilibet faciat, agatque quidquid placet, dummodò in Chriſtum credat, ſolam fidem: quę tamen *ſine operibus mortua* à B. Iacobo dicitur, ad ſalutẽ ſufficere: mala verò opera, neque cæli introitum impedire, neque bona ab inferno præſeruare, Chriſto tamen contrarium vbique docente.

Sacrificium Mſſæ in S. Scriptura pluribus locis præfiguratum & prædictum.

Hiſce ſic ſtantibus, reuerà etiam illud nobis formidandum eſt, vtpote quia velut *pecora irrationalia naturaliter in captionem & perniciem in his, quæ ignoramus, blaſphemamus*: ſcilicet, verum ſacrificium Miſſæ Deo acceptiſsimum, ab ipſiſmet Apoſtolis oblatum, à Chriſto inſtitutum, per ſacrificium Melchiſedech Gen. 14. præfiguratum; Heli Sacerdoti 1. Reg. 2. prædictum: à Salomone Prouerb. 9. Eſaiâ cap. 19. Daniele 18. necnon deniq; à Malachia luculentiſsimè præſignificatũ, &c. formidandum nobis, inquam, valdè eſt, nos ita blaſphemantes, ita agentes, ita credentes, ita populum decentes & ſeducentes, *in corruptione noſtra perituros, & mercedem olim iniuſtitiæ noſtræ percepturos.*

Cùm denique *derelinquamus viã rectam, & antiquam*; è contra *errantes viam Baal ex Boſor inſequamur*, metuendum erit, *nos filios illos maledictionis eſſe*, de quibus B. Petrus 2. epiſtolę, cap. 2. num. 15. &c. Itaque aut nobis reſipiſcendum, aut pereundum.

At quid ſurdo fabulam canimus? quid cæco colorem obiicimus? quid aſinum refricantem ſe auertere conamur? aut quid talpam (inquit Cicero) num deſiderare lumen putas? minimè gentium.

Acatholici talpæ ſimiles.

Hinc eſt quod Ægyptij hieroglyphicè cęcitatẽ talpâ adumbrarint; propterea, quod hoc animal perpetuæ cæcitatis tenebris ſit dãnatum, luciſque diem ita horreat, vt ſimul ac è terra erutum fuerit emoriatur.

Et licet talpa omnes habeat partes, quibus aliàs oculi veri abſoluuntur, oculi tamen extrinſecè nulli eius apparent, propter cutis craſciuſculę circumobductæ prominentiam; quæ, ob periculum in generatione euitãdum, ſic in opus à naturâ inchoata, imperfecta relicta videtur; eò quòd talpa perpetuò terræ viſcera obſcuriora corrodat, & ideo oculis non indigeat, &c.

&c. vt vt ſit, Heſychio certè talpa cæcitatis hieroglyphicum eſt & ignorantiæ; vti è contra oculus ſuâ pollens vi, intelligentiæ ſignum habetur.

Sanè Eucherius haud ineptè, aut inappoſitè per illud Leuit. 11. & Iſa. 2. hæreticos putat denotari: vtpotè qui, licet aliquid cernere videantur; minimè tamen ipſum liquidiſsimæ veritatis lumen diſpiciat, aut ſufferant. *Oculos* enim *habent & non vident.* Pſalm. 113. At cur inquies hoc eis denegatur? an quia vt talpa terræ; ſic illi in vmbrâ & cauernis ſuarum falſarum opinionum & dogmatum oberrantes, & ſuam ob duririam malitiamque, ad tenebras ituri perpetuas præuiſi, oculis fidei fortè non indigere videntur: ſuo tamē tempore eis concedendis aperiendiſque, & quando? cùm *videbunt* videlicet *in quem transfixerunt*, Ioann. 19. *Conceptus.*

CAPVT III.

Primum mobile Spiritus ſancti Symbolum, & typum non ineptè referre.

LIcet plurima iam de dulciſſimo illo Patris & Filij ſanctiſsimo Spiritu, in ſuperioribus præmiſſa ſint; qualiter videlicet ipſe tàm à Patre, quàm à Filio procedat, & contra Græcos æternaliter ab vtroque, velut vni communi principio producatur: tamen, vt SS. Trinitatis ſingularumque Perſonarum in ſpecie, primo mobili quaſi impreſſus typus, eò meliùs Lectori repræſentetur, adumbreturque, ſequentia adhuc ſubnectere placuit.

ANAGOGE I.

MEMBRVM I.

Primum mobile cælum, nō tàm ratione motus & principij; quàm conſideratione amplitudinis, cuncta complectens &c. Spiritus S. Symbolum gerere.

PRimi mobilis cuncta ſuâ amplitudine, intra ſeſe concludentis, omneſque inferiores ſibi orbes, ab ortu in occaſum rapientis, ſuprà iam ſufficienter explicatam naturam, hîc fuſiùs repetere ſuperfluum duco, ſed potiùs imprimis quorundam quæſtioni ſatisfaciendum puto. Cur videlicet *nomen Spiritus ſancti*, tertiæ potiſsimùm SS. Triadis Perſonæ, & non etiam ſimiliter Patri & Filio, (qui itidem Spiritus ſunt ſancti) attribuatur? *Cur Spiritus ſanctus tantùm Spiritus dicatur.*

Huic quæſtioni S. Auguſtinus libr. 5. de Trinitate cap. 11. & 15. occurrit, hâc cauſam & rationem adducendo, videlicet: ideò tertiæ SS. Trinitatis Perſonæ, nomen Spiritus ſancti particulariter attribui; *Vt ex nomine quod vtrique illi conuenit, vtriuſque communio ſignificetur, quorum & donum dicitur, &c.* Cui adſtipulatur etiam Rupertus *in Ioan. cap.*

*cap.*4. Alcuinus lib. 1. de Trin. cap. 6. & D. Thom. 1. parte, quæſt. 36. art. 1. Qui & præter adductam S. Auguſtini rationem, adhuc aliam affert ex ipſa ſignificatione nominis. Nam nomen Spiritus, inquit, in rebus corporeis impulſionem quandam & motionem ſignificare videtur. Nam flatum & vẽtum ſpiritum nominamus. Eſt autem proprium amoris, quod moueat & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas verò illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur tertia perſona diuina procedit per modum amoris quo Deus amatur, conuenienter Spiritus S. nominatur.

Deinde cũ voluntas ſit prima virtutum ſedes, & per eam Spiritus S. procedat: hinc ſanctitas ad illam quoq; pertinere videtur, maximè cũ Spiritus S. ſit fõs ſanctitatis, & propriè ſanctificare dicatur.

Conceptus. Iam vt ad propoſitũ noſtrum redeamus, optimè Spiritus S. primo cælo mobili aſsimilari poteſt. Nam ſicuti primum mobile eſt principium & origo omnis motus naturalis in mundo: ſic Spiritus S. eſt fons & origo omnis motus ſpiritalis; gratiæ & amoris in animâ & in vniuerſo: neque enim mundus hic ſine Spiritus S. bonitate fuit conditus, neque ſine eius gratiâ & amore conſeruatur. Id quod Apoſtolus 1. Cor. 2. ſatis clarè innuit, *Spiritus* (ſanctus) *enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*: Item: *Spiritus vbi vult ſpirat.* Ioan. 3.

Hinc benè ſuo modo Spiritus S. dici poteſt Primum mobile, eò quòd ante ipſius aduẽtum, & ſtupẽdum illius à ſupernis, Apoſtolis impreſſum motum gratiæ ſuique diuini amoris, & ſeptem donorum ſuorum; immotus quaſi ſine vitâ emortuus iacuerit totus mundus. *Spiritus ſanctus quomodo primum mobile dicatur.* Nunquid B. Petrus Princeps Apoſtolorum, aliique ſui collegæ ante Spiritus S. miſsionem & commotionem, in ſe factam, nõ toti quaſi ſemper immoti fuere? an non & omninò meticuloſi poſt Domini aſcenſum latitabant? Act. 2. tacti autem & excitati Spiritus S. igni, mox excuſſo omni timore, ſubitò in publicum proſilierunt; & tanto Spiritus S. impetu rapti, nullatenùs ſeſe ampliùs continere potuerunt; quin à Spiritu S. ſanctiſsimo illo primo mobili, ſibi impreſſam gratiæ vim & motũ, mox per vniuerſum orbem ſine defatigatione, ſine nauſeâ, omni excuſſo timore adeò diffunderẽt, vt totum mundum in vtramque aurem, velut emortuum immotumque, noctes dieſque ſtertentem, à ſomno mortis (infidelitatis) excitarint, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 10. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* *Apoſtoli quomodo motu Spiritus ſancti rapti.*

An non & Adam in Paradiſo voluptatis, manibus Dei quidem efformatus & plaſmatus, ante inſpiratum ſibi inſpiraculum vitæ, totus erat immotus? Gen. 1. concepto autem à Deo Spiritu, mox cœpit ab ortu *nihili*, in occaſum *vltimi* *Conceptus quomodo Adam ſpiritu vitæ motus à non eſſe ad eſſe.*

vltimi ſui finis, tendere; etſi non diu, prô dolor, in hoc motu perſtiterit; ſed motu primi motoris omnis mali, *dæmonis*, illectus, mox adeò excentricè cœperit moueri (in vetiti pomi videlicet concupiſcẽtiâ & eſu, à Creatore ad creaturam ſeſe conuertendo) vt etiam totus excentricus factus, extrà Paradiſum centrum ſuum, infinitis labefactatus & defatigatus miſeriarum motibus, tandem viuere & moueri deſierit.

Numquid etiam non Spiritus Domini in primâ mox rerum patratione aderat, & ſuper aquas ferebatur? cuncta ab ortu nihili (& non eſſe) ad occaſum (eſſe & finis vltimi,) diſponens monẽſque?

Tãtusne motus, & raptus Spiritus ſancti non eſſet admirandus, nempè totam rerum molem, tantâ diſtantiâ, imò infinitâ, à termino à quo, & *non eſſe*, ad terminum ad quem, nempè *ad eſſe*, rapientis? *Spiritus enim Domini ferebatur ſuper aquas*. Gen. 1. &c.

Spiritus S. quomodo primo mobili repræſentetur. Denique Spiritum ſanctum reuera primi mobilis concitatiſſimo motu & raptu repræſentari, argumento ſunto *oſſa illa mortuorum*, Ezech. 37. non priùs ſuſcitata, niſi vocato à quatuor ventis, ſuper ea Spiritu: vt videlicet ſic inſufflante Spiritu, reſurrectio futura intelligatur, vti creatio iã præterita facta, in qua Spiritui Domini principaliter attribuitur *motus* ſuper aquas: Ergo & ille principium quoddam primum, primuſque motor, haud minùs quàm Pater & Filius cenſendus eſt reſpectu cunctarum creaturarum.

MEMBRVM II.

Spiritus ſanctus comparatur primo mobili, ratione ſuæ immenſæ amplitudinis, cuncta in ſeſe complectenti.

Amplisſimum, & immenſæ altitudinis primum mobile, Aſtronomi aſſerunt, cuncta ſuâ concauitate intimâ complectens (præter Empyreum) patentiſſimoque ipſius gremio creata entia vniuerſa concludi. *Conceptus.*

Quis verò non videt, illum altiſſimum, & infinitæ amplitudinis Dominum, Spiritum ſanctũ, cuncta ſimiliter in ſe continere, concludere & complecti? cùm per totum terrarum orbem à ſacra Scriptura diffuſus dicatur, Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum; & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis, &c.* Vnde optimè Diuus Hieronymus in 2. epiſt. Pauli ad Epheſios cap. 4. *Mare*, inquit, *certè immenſum eſt, & capacitas eius Deo ſoli nota: ex hoc ſi quis velit multis hominibus, ſecundùm id quod geſtare queunt, tradere; neceſſe eſt, vt ad menſuram vnicuique tribuat, & partes eius menſuram recipiant; cuius ſolidum immenſurabile eſt. Ita & Spiritus ſanctus, immenſus quidem eſt, & nullo fine concluditur, tamen vnicuique datur, ſecundùm quod expedit.* Atqui etiam *Spiritus S. omnia in ſeſe continet.*

Spiritus S. intus auditur, extra per ſuam D. gratiam videtur.

Spiritus ſanctus, ſuâ gratiâ, in toto orbe *Chriſtiano Catholico* vndique & vndique diffuſus, præſens eſt, etſi non videatur; apertiſsimè tamen ſentitur, & intus, ô homo, percipitur, ſæpiùs cordis tui oſtiũ pulſans, à malo te dehortando, ad bonum inuitãdo: & foris auditur, per ſuos præcones continuò nobis acclamãdo: *Pœnitentiam agite, quoniã appropinquat regnum Dei*, Matt. 4. & iterum Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Sed prô dolor, non eſt qui audiat: ſurdi peccatores Spiritum ſanctum, intùs & foris continuò illis acclamantem, excludunt, aures obſtruunt; haud aliter ac ſerpentes, dum incantantur, ne cogantur audire quod nolunt, & deſerere quod nullo modo volunt; ſicque ſemper Spiritui ſancto reſiſtunt, & à malo numquam deſiſtunt.

Conceptus.

At erit olim, quando & ipſi cogentur experiri, quod modò non credunt, & audire quod tunc horrebunt; illud nempè terribile, Lucæ 7. & Matth. 11. *Cecinimus vobis & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis*, &c. tot Spiritus S. inſpirationibus nõ acquieuiſtis; ſed potiùs in eum grauiſsimè deliquiſtis: quomodo? vtique veritati ſcilicet infallibili, à vobis agnitæ reſiſtendo, & contradicendo: de miſericordiâ Dei aut omnino deſperando, aut nimium præſumendo; diſcordias, & mendacia in rebus grauiſsimis diſſeminando. An neſcij eſtis, in Spiritum ſanctum delinquentibus, *neque in hoc, neque in futuro ſæculo id remittendum?* Matth. 12. Et *ideò Tyro & ſidoni; terræque Sodomorum*, forſan *remiſſius erit in die iudicij quam vobis, &c.*

Quomodo quis Spiritui ſancto cenſeatur reſiſtere.

TROPOLOGIA

Ad peccatores, & contra mendacium.

Quomodo Spiritus ſanctus etiam Spiritus Chriſti.

SPiritum ſanctum eſſe Spiritum veritatis, Veritas ipſa Chriſtus docet, Ioan. 14. 15. & 16. &c. quod eſt dicere (contra Græcos) eſſe Spiritum Chriſti; quia Chriſtus eſt *via, veritas, & vita.* Ioann. 14. &c. Cùmque quælibet quaſi res ſibi habeat aliquam alteram contrariam; proculdubio Spiritui veritatis erit contrarius alius ſpiritus, id eſt mẽdacij; cùmque contrariorum (ſi cætera intelligas tamen paria) eadem ſit ratio, ſed contrariò: ſicuti Spiritus veritatis eſt Spiritus Dei; ita erit etiam ſpiritus mendacij, ſpiritus diaboli; quem ipſamet Veritas *Patrem mendacij* appellat.

Spiritus mendacij.

Igitur immediatiùs nil erit Spiritui veritatis contrarium, quàm ſpiritus mendacij: cùm apud Philoſophos impoſsibile ſit duo contraria, verbi gratiâ, calorem & frigus, alborem & nigrorem, ſimul & ſemel eſſe in eodem ſubiecto: philoſophicè ergo demonſtratur, planè impoſsibile etiam eſſe, Spiritum ſanctum & veritatis, cohabitare

bitare ſimul cum ſpiritu mendacij in eadem mente, ſeu ſubiecto & anima.

Cùmque vſque adeò prô dolor, hodie in mundo apud magnos & paruos, altos & humiles, diuites & pauperes, mendacium, adulatio, fraus, & fucata amicitia vigeant: è contra veritas, heu! apud pleroſque exulet; neceſſe eſt, maiori etiam ex parte, hodie è mundo exulare Spiritum ſanctum, qui eſt Spiritus veritatis. id quod B. Thomas de Villa noua conc. 3. de aduentu, quàm maximè his deplorat verbis.

Vix eſſe veritatem in mundo.

Non eſt veritas in mundo: non eſt qui loquatur verum cum proximo ſuo: quidquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio eſt; docuerunt enim linguas ſuas loqui mendacium: in hac ſcholâ excercitati ſunt, in hac edocti; vt diſcerent fallere, mentiri, adulari, exaltare parua, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantes: hæc ciuilitas, hæc affabilitas; & inurbanus eſt, quiſquis fallere, & mentiri non poteſt, &c. Ita profectò ſe res habet; videtur enim iam expiraſſe & fœdatus apud omnes nationes, candor ille germanus; ſimplicitas & ſinceritas funditus cum veritate extincta, &c.

Cur tot hodie mundum calamitates premant.

Hinc nemini mirum videatur, noſtra tempora tantas commitari calamitates & miſerias: mundum hodie vſque adeò, vndique & vndique, turbari exſtimulari, plagis adeò affligi, hoſtibus tãtoperè premi, &c. Non credis? audi verbum Domini Oſeæ 4. *Quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non eſt enim veritas, &c. maledictum & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt. Propter hoc lugebit terra & infirmabitur omnis qui habitat in ea, &c.* Inſuper veriſsimum etiam, & indubitatum eſſe videtur, quòd, vbi mẽdacium dominatur, ibi & dominentur omnia mala; exulent quoque omnes ſucceſſus boni rerum. non credis? adeas domũm Caiphæ & Pilati, ſi placet, & quæ ibi contigerunt vide: Petrus enim Apoſtolorum Princeps, ibi eo in loco magiſtrum ſuũ negauit, vbi mendacium & falſitas præualebant. Vnde benè S. Ioan. Chryſoſtomus ſerm. 2. de myſteriis feriæ quintæ. *Ibi negauit,* inquit, *vbi Chriſtus* (Veritas) *tenetur incluſus, negat in domo Caiphæ, ibi negat, vbi poteſt valere mendacium, ac ſi mentiendi ſpiritum, Petro inhalauerit mendacij aula.*

Iam iterũ attende, quid actum ſit Act. 5. vbi Ananias, & Saphira vxor eius ob, vnius mendacij ſolummodò vitiũ, ſubitò voce Petri, ceù tonitruo, mortui corruentes expirarunt. Audi enim quid dicat Apoſtolus ad Ananiam: *Anania, cur tentauit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto? &c. non es mentitus hominibus, ſed Deo: audiens autem hæc verba Ananias, cecidit & expirauit.* Et ad Saphiram paulò infrà: *Dic mihi mulier ſi tanti agrum vendidiſti?*

Fructus mendacij.

didiſti? at illa dixit: Etiam tanti: Petrus autem ad eam: Quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini? ecce pedes eorum qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te: confeſtim cecidit ante pedes eius, & expirauit, &c.

Ex quo facilè patet, quantùm mendacium aduerſetur offendatque Deum, & Spiritum ſanctum: itaque quicunque mentiuntur, videntur quodam modo mentiri Spiritui ſancto; eum quaſi per contrarium, mendacium, ſede ſuâ pellendo.

Aliquibus centies vnâ die foret pereundum & quare. Sed heu miſeros mortales! quot putas hodie remanſuros viuos & ſuperſtites in præſenti rerum facie, ſi omnibus mentientibus cum Anania & Saphira ſubitò foret pereundum, expirandumque? an non credis aliquos centies in die expiraturos? Quòd ſi de vnico mendacio ſubitaneâ morte expetiit Dominus vindictam de Ananiâ & Saphirâ, quid de iis, qui infinitis mendaciis, veritatem adulterant, futurum cenſes? illud videlicet, non modò quidem, at ſuo tempore: quod Dauid futurum prędicit pſal. 15. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium, &c.*

Quid ergo iam erit de periuris? quantò grauior eos pœna manebit, qui culpæ grauis mendacij, grauiorem adiiciunt periurij, periurioque mẽdacium confirmant? quinimò, vſque adeò, prô dolor connubia cum Spiritu ſancto, actioneſque humanæ mentis, cum eius iniuriâ adulterio hodie fœdantur, vt à multis, vix inconcuſſæ veritatis verbum, ſine mendacij aſpergine, & turpiſsimo præſtigij næuo ſit audire.

Quòd ſi Apoſtolus ad Tit. 1. *Cretenſes ſemper mendaces dicat*; quale noſtrum ſæculum dicturum putas, in quo nulla ampliùs fides; ſed verba tantùm à vero diſtant, quantũ coruus a cygno, &c. Cùmque mundus paſsim iam Cretenſes, & Parthos mendaciis ſuperet; profectò in æternam arietat ſæuitque veritatem, eamque, quantùm in ſe eſt, deſtruere nititur.

Audi B. Laurentium Iuſtinianum, de vitâ ſolitariâ cap 4. *Quantùm* (inquit) *in mendacibus eſt, immortalem & æternam veritatem, quæ Deus eſt, deſtruere, moliuntur; hoc verò dum agunt, illam in nullo lædunt, illi nequaquam detrimẽtum inferunt, ſed ſeipſos perimunt, quemadmodum in ſapientiæ volumine continetur; ſic enim habet. Os autem quod mentitur occidit animam, &c.* *Notent mendaces.*

Et tandem ipſa Sapientia Patris, Veritaſque æterna, Chriſtus Dominus, ſator & ſeruator noſter, qualem hæreditatem miſerabilẽ mendacibus inſinuat apud Ioann. 8 *Vos*, inquit, *ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit; quia non eſt veritas in eo. cùm loquitur mendacium, ex proprio loquitur, quia mendax eſt & pater eius.* Nam cum lege communi & naturali cautum cõſtitutumque ſit, vt filij immediatè patri in *Conceptus iucundus*

hære-

hæreditate ſuccedant; diabolus autem ſit pater omnium mendacium; neceſſe eſt etiam eiuſmodi filios, hæreditare à diabolo patre ſuo, quidquid ille habet, aut ſaltem aliquam eius partem; ſed quam? *ignem, niuem, glaciem, ſpiritum procellarum; partem videlicet calicis eius*, Pſalm. 10. Quod confirmatur Prouerb. 20. *Suauis eſt homini panis mendacij: & poſteà implebitur os eius calculo ignito, &c.*

Merces mendacij.

Per mendacium primi noſtri Protoplaſti, paradiſo eiecti ſunt; ſi enim patri mendacij aures non prębuiſſent, neque inde eiecti fuiſſent, neque tam fœdam hæreditatem (mendacij) in poſteros tranſmiſiſſet diabolus.

Mentitur Adoleſcẽs ille Amalecites gratiam Dauidis Saulo ſucceſſuri, captandi causâ, dum fingit ſe Saul occidiſſe: at ipſe à Dauide occidi iubetur 2. Reg. 1. cùm ſecundùm communiorem Doctorum ſententiã (contra Ioſephum) Saul partim curribus & equitibus Philiſtijm oppreſſus, partim ſuo ipſius gladio confoſſus occubuerit, vti videre eſt 1. Reg. 31. proinde adoleſcens ille, falsò ſe Saul occidiſſe iactabat, idque propter ſpem præmij à Dauide conſequendi. Ex quo etiam facilè zelus, & integritas Dauidis concluditur; *Verbum enim mendax iuſtus deteſtatur.* Prouerb. 13. *&c.*

Mendaces hodie fouentur amãturq́.

At hodie cuncta cõtrario modo accidunt; & non niſi mendaces vndique & vndique præualent, adhibentur vltrò, cibantur, & incitãtur, amantur, honoranturque, qui tamen Deo ſunt abominabiles: enimverò Prouerb. 12. *Abominatio eſt Domino labia mendacia. Et proferentem mendacia odit Dominus.* Prouerb. 6.

Effectus mendacij & exempla eius pœna.

Denique Pharao ſæpiùs ſe populum Hebræum dimiſſurũ Domino mentitus, mendaciorum ſuorum mercedem, à vorticibus vndiſque maris rubri hauſtus, percipit. Hanania Ierem. 28. ob mendacia in populum ſparſa vti Ieremias prædixerat, moritur, &c.

Et quemdam Godeuinum nomine, falſum quidpiam his verbis confirmantem. (*Hic panis ſuffocet me, ſi mentiar*) panis bolo ſumpto ſubitò ſuffocatum eſſe, Polydorus lib. 8. auctor eſt. Digniſsima ſanè & factis proportionata pœna; vt cui mendacij panis ſuauis fuerat, pane etiã ſuffocaretur. Heu quot hodie eſſent ſuffocãdi! quot à diabolo rapiẽdi! dum continuò hoc turpiſsimum in ore multorum verſatur: *ni hoc verum ſit, diabolus me rapiat*; non obſtante quod verba eorum, nec vmbram quidem veritatis attingant, &c. Hinc Thales à quodam rogatus, quantùm videlicet verum à falſo abeſſet? quantùm, inquiebat, oculi ab auribus diſtant: dicere volebat, eos potiſsimùm mentiri, qui aliis non viſa, ſed audita referunt.

Lepidè quendam ſenem, quem ſenectutis ſuę pudebat, & vel ideò canos

Fingentes crines & facies pingentes, lepidè arguuntur.

canos tincturâ quadam denigrabat, in publicum progreſſum (vtpotè de rebus orationem habiturum) Archidamus, his verbis perſtrinxit; *quid ille ſenex tandem verum diceret, qui mendacium non ſolum in animo, ſed & in capite circumfert?* optimè ſanè, & hodie benè notandum comprimis fœminis, neſcio quibus tincturis, nugis & coloribus fucatis, vetulantem vultum laruâ iuuenili commutare ſtudioſiſsimè laborātibus, quarum tamen votis natura nequaquam cedit; vtpotè artis fucatæ nimia inimica, multoque ſuperior; quod profectò haud facerent, ni magis hominibus quàm Deo placere ſtuderent. At *qui hominibus placent, confundentur* teſte Pſalmiſtâ, *quoniam Deus ſpreuit eos.*

Itaque non ponamus mendaciis obſtaculum Spiritui ſancto, habitare volenti in nobis; *cuius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum. Et ne mentiamur inuicem fratres chariſſimi.* Coloſſ. 3. *Ne in laqueum incidamus diaboli*: & hæreditatis ipſius infernalis participes fieri olim cogamur: ſed veritati inhiando, *virtute potius ex alto indui*, hæreditatemque illius adipiſci mereamur; cui Pater æternus dixit: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem.* Et quidem hucuſque in gratiam tam facilè mentientium, hæc dixiſſe ſufficiat.

ANAGOGE II.

Primi mobilis vno centro & 6. circulis maioribus; videlicet Zodiaco, Horizonte, Meridiano, Æquatore, & duobus Coluris, Spiritus ſancti 7. Dona ſignificari.

DVobus polis arctico & antarctico innixum primum mobile eiuſque ſex maximos circulos (indiſtinctos tamen ab ipſo) circa vnicum centrum ferri, Aſtronomi docent. Quorum primus eſt Zodiacus; ſecūdus Æquator, tertius Horizon; quartus Meridianus; quintus Colurus æquinoctiorum: ſextus Colurus ſolſtitiorum: & denique Centrum medium.

Officia 6. circulorum maiorum primi mobilis.

Horum officia paucis habe. Zodiacus eſt circulus continens duodecim ſigna cæleſtia, ſolus habens latitudinem 12. graduum, in quo omnes planetæ perpetuò mouentur, nec vel ſemel extrà vagantur; ſunt autem illa ſigna: Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraque, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces.

Æquator per medium cælum traductus, eſt regula motus, qui Zodiacum perpetuò in duobus punctis interſecat: in quibus ſol exiſtens mundo vniuerſo æquinoctia affert; diemque nocti æqualem reddit.

Hori-

Horizon eſt circulus immobilis, à viſu originem trahens: ortum & occaſum ſiderum denotans & determinans; qui & finitor dicitur: eò quòd viſum noſtrum determinet; & cælum inferiùs nobis inuiſum, ſuperius verò viſibile reddat.

Meridianus eſt circulus tranſiens per polos mundi, medio inter ortum & occasũ loco Æquatorem interſecans: huius officium eſt medietatẽ diei, & noctis oſtendere: ſol enim ſupra Horizontem, ad ipſum delatus, meridiem; infra verò ipſum depreſſus, mediam noctem nobis efficit; eſtque in ſeſe immobilis, ſed toties replicatus, quot ſunt loca in terra, &c.

Quintus eſt Colurus ſolſtitiorum, tranſiens per polos mundi; & principium Cãcri & Capricorni; huius officium eſt duo ſolſtitia, nempe imum & ſummum, hoc eſt, hybernum & æſtiuum, determinare.

Tandem vltimus eſt Colurus æquinoctiorum, qui itidem per polos mundi, & per duo Zodiaci puncta, principia videlicet Arietis, & Libræ tranſit, & æquinoctia nobis indicat.

Denique Centrum eſt medius punctus cæli firmiſsimus, & immobilis, circa quem tota machina cæleſtis vertitur. Et hæc de hiſce 6. circulis, & puncto ſeptimo, ſiue centro ad noſtrum nobis propoſitum, haud inappoſitè inſeruientia dixiſſe ſit ſatis.

Pars II.

MEMBRVM I.

De Sapientiæ Dono, eiusque Zodiaco.

QVod ſi iam ſeptem Dona Spiritus ſancti perpendamus, quæ enumerantur ab Iſaiâ cap. 11. profectò magnâ analogiâ hæc, & illa iam iam dicta ſe inuicem reſpicere videbũtur: ſunt autem *Spiritus ſapientiæ; Spiritus intellectus, Conſilij; Spiritus Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis, & Timoris Domini.* *7. Dona Spiritus ſancti.*

Eſt verò ſapientia, ſecundùm Ariſt. libr. 1. Metaph. *Primarum & altiſsimarum cauſarum cognitio*: ſiue multarum, & mirabilium rerum, imò ſempiternarum, ſcientia & comprehenſio eſt; adeò vt cunctarum rerum cauſæ in ſapientiæ illo inuiſibili & admirabili Zodiaco, haud aliter comprehẽdantur, quàm duodecim ſigna, & Planetæ 7. in Zodiaco cæli viſibilis. Sicut enim extra Zodiacum nullus Planetarum eſt, ſed & omnes Firmamenti totius ſtellæ, certis Zodiaci ſignis concluduntur: ſic nil in rerum naturâ eſt; quin ſub hoc ſapientiæ Zodiaco comprehendatur. (Nam Eccleſ. 24. *Deus quaſi Phiſon ſapiẽtiam dicitur implere.*) Et primò quidẽ ſub Arietis ſigno (mundus enim creditur communiori Theologorum ſentẽtiâ, ſole exiſtẽte in Ariete creatus) ſapiẽtia cõprehendit omniũ rerum ortum & principia: illa enim iã omnibus rebus pręexiſtebat, iuxta illud Eccleſ. *Zodiacus ſapientiæ.*

Quomodo ſapientia cenſeatur eſſe in 12. Zodiaci ſignis.

cleſ.24. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.* In ſigno Tauri (vtpotè fortiſſimo & progreſsiuo) omnium rerum progreſſus conſiderat. In Geminis (ſocietatis ſigno) cunctarum rerum ſympathias, & conuenientes naturas perſpicit.

E contrà in ſigno Cancri (id eſt, retroceſsionis, fugæ, & deſcenſus ſolis, à ſummâ ſuâ exaltatione) omnium antipathiam & contrarietatem, diſconuenientiam, & corruptionem penetrat.

In ſigno Leonis (vtpotè calidiſsimo & validiſsimo) cunctarum rerum vigorem, virtutem, & potentiam, Leoniſque de tribu Iuda Chriſti, erga nos in Incarnationis myſterio immenſum diuini amoris calorem intuebitur.

In ſigno Virginis (temperatiſſimo & iucundiſsimo) contemplabitur Virginis virginum Beatiſsimæ excellentiam, pulchritudinemque: nec non illud: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Iſaiæ 7. nempe Incarnationis Filij Dei myſterium: Item rerum omnium ornatum, & decorem.

In ſigno Libræ perpẽdet, ponderabitque naturæ ſtupẽdum ordinem, menſuram & proportionem rerum: futuri iudicij extremi æquitatem, terrorẽ, & ſucceſſum. Item iuſtitiam Dei diſtributiuam, tam reſpectu beatorum in cælis, quàm intuitu damnatorum in infernis.

In Scorpio contemplabitur acutiſsimam Paſsionem Domini noſtri, ſpinis coronati; flagellis, & ſcorpionum aculeis magis venenoſis, Iudæorum linguis & blaſphemiis dilaniati.

In ſigno Sagittarij (ignito) damnatorum pœnas in inferno, igni inextinguibili excruciãdorum intuebitur: videbitque quomodo diuina iuſtitia, *ſagittis ſuis ardentibus*, petitura, & affectura ſit miſeros damnatos, Pſal.7. Item ponderabit in hoc ſigno grauitatem ſagittarũ (hoc eſt peccatorum) contra diuinam clementiam ab homine emiſſarum: & qualiter peccatores ſuo tempore è contrà ſint viſuri, *in quem transfixerunt.*

In Capricorni ſigno, (ſolſtitiali, & ſtationario) conſiderabit ſolis iuſtitiæ Reſurrectionem, & Aſcenſionem, nec non ad dextram Patris collocationẽ, & ſeſsionem: Item aſcenſum, & aſſumptionem Lunæ cæleſtis, BB. Virginis: & Eccleſiæ militantis ad triumphantem.

In Aquarij aëreo ſigno, aërem, æthera, & volucres cæli, cæloſque ipſos, & Angelos intuetur.

Et tandem in Piſcibus, ſigno aqueo, cuncta aquatilia, & ipſum mare contemplatur. Ita vt reuerà nil in rerum natura exiſtat, quod non in hoc inuiſibili ſapientiæ zodiaco mirâ quâdam metamorphoſi comprehendatur. Id quod facilè probatur ex capite 24. Eccleſiaſtici, vbi mira de Sapientia prædicantur: *Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos* (ad cognoſcendum

dum & penetrandum omnia.) *In me gratia omnis viæ & veritatis*; adeò quòd cunctæ rerum viæ, & virtutum in ſapientia habitent.

A mari abũdauit cogitatio (Sapientiæ) quæ *quaſi trames aquæ immenſæ, & aquæductus exiuit ex paradiſo. Ecce factus eſt mihi*, inquit Sapientia, *trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare: quoniam doctrinam, quaſi ante-lucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vſque ad longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.*

O vtinam, & nobis ſub hoc feliciſsimo, veroq; zodiaco ſapientiæ currere concedatur: & tunc ſapiẽtiam ſtultam huius mundi facilè excuteremus. Quæ (vti benè Gloſſa in Chron. & S. Gregorius ,libr. 10. cap. 16. in Iob) non eſt ,alia, quàm *cor machinationibus tegere*, ſenſum verbis velare; quæ falſa ,ſunt vera oſtendere; quæ vera ſunt ,falſa demonſtrare: hæc nimirùm ,prudentia vſu à iuuenibus ſcitur, ,hæc à pueris pretio diſcitur: hanc ,qui neſciunt, cæteros deſpiciendo ,ſuperbiunt: hanc qui ignorant, ,ſubiecti & timidi in aliis mirantur: hæc ſibi obſequentibus præ,cipit honorum culmina quærere, ,adepta, temporalis gloriæ vanitate gaudere: irrogata ab aliis mala, ,multipliciùs reddere: cùm vires ,ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere: cùm virtutis poſsibilitas ,deeſt, quidquid per malitiam explere non valent, hoc in pacificâ bonitate ſimulare, &c. ô aureo certè ſtylo cordibus omnium inſcribenda verba!

Iam igitur vix ampliùs miror, Salomonem *ſtultorum infinitum numerum eſſe* dixiſſe; cùm enim mundus totus ſæculi deliciis hodie ſit deditus, quinimò ad aures vſque immerſus, impoſsibile videtur eſſe, aut inueniri veram ſapientiam in eo: Nam *ſapientia* (Iob 28.) *vbi inuenitur? neſcit homo pretium eius: nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium.* Vbi ergo? profectò nòn alio loco, quàm apud *piè agentes*, Eccleſ. 1. Mundus autem ſapientiam Dei veram deridet hodie; vt optimè S. Gregorius. *Deridetur*, inquit, *iuſti ſimplicitas, &c.* & vel ob hoc meritò ſtultitiæ arguitur mundus, nam *ſapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt.* Prou. 1. ideoque hoc tempore tot miſeriis premitur. Enimverò *ſapientiam & diſciplinam qui abiicit, infelix eſt*, teſte Salomone Sap. 3. Cumque mundus non velit eſſe ſapiens, *propterea* (ſi Iſaiæ cap. 27. ſit fides habenda) *non miſerebitur eius, qui fecit eum Deus*; ſed potiùs tanquam *populus non intelligens vapulabit.* Oſeæ 4.

Cur Salomon ſtultorum eſſe infinitum numerum dixerit.

Itaque non hanc mundi ſapientiam, obſecro, eligamus, non hãc ſequamur; *ne olim cum hoc mundo dãnemur*: ſed illam potiùs, quam Spiritus ſanctus nobis offert, ſuadetque Prouerb. 1. *Audi, fili mi, diſciplinam Patris tui* (Dei) *& ne dimittas legem Matris tuæ* (Eccleſiæ) *vt* addatur

Quæ ſapiẽtia à ſapientibus ſit eligenda.

addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis: ſi dixerint, veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, &c. ſortem mitte nobiſcum, marſupium ſit vnum omnium noſtrûm. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem. Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum proprium inſidiantur & moliuntur fraudes contra animas ſuas, &c.

Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam. In capite turbarum clamat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua, dicens: Vſquequò paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient, & imprudentes adibunt ſcientiam? conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendã vobis verba mea. Quia vocaui, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis euenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tẽpeſtas ingruerit: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc inuocabunt me; eò quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint; nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturabuntur. Auerſio paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet illos. Qui autem me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublatõ, &c.

Hæc diuina ſapientia ſtultis ſæculi huius, &c. Ceſſet igitur tot in mundo ærumnarum, & flagellorum à Deo indies immiſſorum admiratio; cùm in eo redundet, heu! tanta omnium malorum inundatio.

At nouit diuina ſapientia & bonitas dicta flagella à nobis etiam clemẽter auertere, ſi ſciamus & nos ad ipſam conuertere. Enimverò, *à quo egeſtas in domo impij* (Prouerb. 3.) *prouenit; ab eodem* (ſcilicet Deo) *& benedictio in habitaculis iuſtorum pullulat. Quique illuſurus eſt illuſoribus & peccatoribus; è contra manſuetis daturus eſt gratiam; ſapienti gloriam; ſtulto ignominiam, &c.*

MEMBRVM II.

De zodiaco ſapientiæ mundi, & diaboli.

ZOdiacus ſapientiæ huius ſæculi multùm ſanè à ſuperiori abit; enimuerò diabolum, Dei gloriæ æmulum, & inuidum penes Eccleſiam à Chriſto erectam, ſemper quoque ædiculam quandam velle fabricare, commune fert prouerbium. ita eſt; nã quemadmodùm ſapientia diuina filiis lucis, ſub vno, vti diximus, zodiaco circulo, cũcta optima exhibet, eoſque ſub vera ſapientia dirigit: ita & diabolus huius ſæculi filios, ſub vno quoque, ſed heu! nimis declinante zodiaco, infernali ſcilicet *Zodiacus diaboli.*

licet

licet & deliciarum ſæcularium, cæniſque peccatorum, perpetuò circumfert.

Etenim in ſigno Arietis, diabolus primò peccatores ſuo ſigno notat, eiſque characterem infernalem imprimit (vt communiter ſolet fieri arietibus à paſtore) iuxta illud Apocal. 19. *Qui acceperunt characterem beſtiæ miſſi ſunt viui in ſtagnum ignis ardentis.* At quem characterem? profectò non alium, quam ſuum proprium, ſcilicet *ſuperbiam*, quâ & à cælo deturbatus eſt. Sicuti enim *initium ſapientiæ timor Domini*; ſic initium ſtultitiæ, & malitiæ *ſuperbia*: nam *Eccleſ.* 10. *initium peccati eſt ſuperbia.* Item S. Gregor. lib. 31. Moral. *Radix cuncti mali ſuperbia eſt.* Denique S. Proſper de vitâ contemplatiuâ libr. 3. cap. 2. Initium, inquit Scriptura, non alicuius, ſed omnis peccati, ſuperbia eſt: vt euidenter oſtenderet, quòd ipſa ſit peccatorum omnium cauſa & radix, quoniã non ſolùm peccatum eſt ipſa, ſed etiam nullum peccatum fieri potuit, poteſt, aut poterit ſine ipſa: ſiquidem nihil aliud omne peccatum, niſi Dei cõtemptus eſt; quo eius præcepta calcantur, &c.

In ſigno Arietis, quo charactere diabolus ſuos ſignet.

Nónne fuit ſuperbia origo peccatorum inter Angelos? an non & Eua propter appetitum excellentiæ, peccatũ propagauit in Adam, & per ipſum in omnes poſteros? vtique ergo aſtu haud exiguo, diabolus ſtatim in primo ſigno Arietis ſui infernalis zodiaci, peccatores charactere ſuperbiæ inſignire ſolet.

Quos ita iam notatos, tùm in ſignum Tauri (terreum & frigidum partim) introducit, cunctas eis terrenas delicias deguſtandas præbendo; in Dei mandatis, viaque Domini, frigidos reddendo; immites, vti tauros, contra proximum, immiſericordes cõtra pauperes, terribiles contra manſuetos immittendo; eorumque murmurationum mugitu, iracundiæ & inuidiæ cornibus eos terrefaciendo; iuxta illud Amos. 6. *Nunquid in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua?* Sed quid reſpondet Dominus? *Ecce ſuſcitabo ſuper vos* (tauros ſilueſtres, & feros peccatores) *gentem, & conteret vos, ab introitu Emath vſque ad torrentem deſerti, &c.*

Conceptus. Peccatores à diabolo introducuntur in ſignum Tauri.

Eſſe verò peccatores ſimiles tauris, teſtatur Pſalmiſta Pſal. 21. *Tauri pingues obſederunt me.* Quomodo verò Deo & iuſtis inſultent peccatores deſcribit Ierem. cap. 5. *Quoniam exultatis, & magna loquimini diripientes hæreditatem meam: effuſi eſtis, ſicuti vituli ſuper terram, & mugiſtis* (murmuraſtis) *ſicut tauri.* Itaque *non te* (peccator) *extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus*: Eccleſ. 6. *ne fortè elidatur virtus tua per ſtultitiam; & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris veluti lignum aridum in eremo.*

Peccatores ſimiles tauris.

In tertium ſignum diabolus peccatores introducit, ſcilicet Geminorum, aëreumque; hoc eſt, *nugarum, vanitatum & dolorum ſæculi*

Peccatores quomodo in ſigno Geminorum.

huius; idque per Geminos, malam ſcilicet, & damnoſam ſocietatem, conſortiaque ſuſpecta, non ſolùm cum peccatoribus, verùm & cum ipſis adeò ſpiritibus tenebrarum harum, & Belial: quibus quidem diuina ſapientia continuò per os Pauli acclamat illud 2. Corinth. 6. *Quæ ſocietas lucis ad tenebras? aut quæ conuentio Chriſti ad Belial?* qui ſcilicet ſanguine Chriſti redempti, eiuſque baptiſmate purgati, nomine Chriſtiano inſigniti eſtis, quam ſocietatem contra Chriſtum Domini cõtrahitis aſſociando vos Belial? id eſt, peruerſis abſque iugo Dei ambulantibus? Heu quot hodie in hoc diabolico ſigno geminorum ambulant! quot enim malæ ſocietates, quot ſuſpecta conſortia, quot deniq; damnoſa conuenticula, conſilia, & fœdera *aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius?* at cùm hoc ſignum Geminorũ mox ſequatur ſignum Cancri, ſperandum erit eiuſmodi diabolica conſilia, & fœdera etiam à Deo retroactum iri; idque in proprium caput iniquè machinantium nobis interitum; iuxta illud: *Conuertatur dolor eius in caput eius, &c.*

Signum Cancri diaboli quale. Signum Cancri ſapientes huius ſæculi ingrediuntur; à viâ iuſtitiæ & Deo ſcilicet ipſo (vt Cancer retrorſum) totaliter recedendo: in via Dei non ſolùm nõ proficiendo, ſed retrocedendo, iuxta illud: *Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Ierem. 2. & Ezech. 2. *Fili hominis, mitto ego te ad filios Iſraël, ad Gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me.* At, quid mercedis peccatores ſui receſſus recepturos putas? Illud videlicet terribile Ierem. 17. *Domine omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te in terra ſcribentur, quoniam dereliquerunt te fontem aquarum viuentium Dominum.* Sed & illud omnium terribiliſsimũ recedentibus à Deo eſt formidandum: nempè, *maledicti qui declinãt à mandatis tuis.* Pſalm. 118. Quod Chriſtus illâ terribili ſẽtẽtiâ ſua eſt complecturus. Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c.* Congruum namque, & æquum videtur, vt qui dudum à Deo in ſigno Cancri ſeſe elongarunt; modò etiam longiſsimè ab eo elongentur perpetuò, relegenturque in ignem æternum.

Signum Leonis diabolicum. Ex Cancro verò, mox ingrediuntur Leonem, ſignum calidiſſimum, & omnium fortiſsimum (in quo ſol exiſtens totam tellurem ſuo nimio calore mirè premit, vritque) eſtque Leonis natura, neminem formidare, prædas agere, animalia, & homines deuorare, ad conſpectum ignis horrere, ſuaque veſtigia, caudâ propriâ poſt ſeſe delere, &c.

Conceptus inſignes. Ita reuerà peccatores poſtquàm in viam *Baal* ingreſsi, & per Cancrum multitudine peccatorum, à Deo receſſerunt, in deſperationem aguntur; nam impius *cùm in profundum*

fundum venerit ſpernit. Prouerb. 16. Et velut leones terribiles redduntur ad prædam, ſcilicet viduarum, pauperumque oppreſſionem, & deuorationē prorumpētes; nemini parcētes; quod idem faciunt & fœminę deſperatæ: Iuxta illud Ezech. 19. *Quare mater tua leæna* (inſipientia & malitia huius ſæculi:) *inter leones,* dæmones, *cubauit? in medio leunculorum* (peccatorum) *enutriuit catulos ſuos, & eduxit vnum de leunculis ſuis, & leo factus eſt, & didicit capere prædam hominemque comedere, &c.* Quis dubitat oppreſſores pauperum & viduarum, pupillorumque defraudatores hîc notari? Hinc benè monet Spiritus ſanctus, Eccl. 4. *Noli eſſe vt leo in domo tua; euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi. Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Vnde benè S. Ioann. Chryſoſtomus Homil. in terræmotum: *Vbi diuitiæ, & feritas; leonem vides, non hominem.* Et S. Gregor. Nazianz. *Vorat poſt hunc* (diues) *vt leo, qui à beſtia feras cruentas ſubmouet; non ducitur benignitate, ſed parat prædam ſibi.*

Denique Frāciſcus Titelmannus. *Leones* (inquit) *eſurierunt, id eſt diuites huius ſæculi; qui per fas & nefas congregant & fraudant, Deum non habentes præ oculis, rectè ob ſuam rapacitatem leones, ſiue catuli leonum appellantur.*

Conceptus. Deinde vt leo ignem, & gallum album horret: ſic peccatores in ſigno Leonis horrere videntur ignem diuini eloquij; *nam ignitum eloquium tuum vehementer,* Pſal. 118. gallum verò album odio proſequuntur; ſimplices videlicet, & veridicos in candore veritatis, & ſinceritatis ambulantes: id quod Prouerb. 29. expreſsè probatur: *Viri ſanguinum* (leones impij, truculenti) *oderunt ſimplices, &c.*

Conceptus. Alio modo odio habent hi impij leones gallum album (id eſt præconē veritatis Chriſtum, eiuſque Prædicatores) ſic enim inquit Ioan. 15. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem odio habuit:* ſed væ talibus leonibus odientibus; nam *qui odit Chriſtum, & Patrem eius odit;* qui autem odit Patrem, morte æternâ plectetur: nam *Altiſſimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictam.* Eccleſ. 12. Et iterùm Iob. 8. *Qui oderunt te induentur confuſione, & tabernaculum impiorum non ſubſiſtet.* Denique veritatis candor peccatoribus ſemper & vbique inimicus, eiſque bilem mouet: iuxta illud, *Veritas odium parit.*

Conceptus. Vltimò, peccatores in ſigno Leonis exiſtentes, caudâ malitiæ, propria ſua veſtigia, ſi quæ forſan faciant, habeantq; bonorum operum apud Deum, delent, vt ampliùs non videantur. Hoc teſtatur Dauid Pſalm. 118. *Oratio eius fiat in peccatum.* Iterùm: *fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terrâ memoria eorum.* Et Apoſtolus: *ſi linguis hominum loquar & Angelorum, &c. ſi montes transferam, &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et

S. Ia-

S. Iacobus: *Qui offenderit in vno, factus eſt omnium reus*, *&c.*

Signum Virginis diabolicum.

Emenſo iam ſigno Leonis, filij huius ſæculi introducuntur mox à diabolo in ſignum Virginis (quod ſua natura eſt fœmineum, & ſterile) nempe in vniuerſum eos luxuriæ cænum præcipitando. Quos benè alloquitur B. Petrus primâ ſuâ epiſtolâ cap. 4. *Sufficit præteritum tempus, ad voluntatem Gentium conſummandam, his qui ambulauerunt in luxuriis & deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus, &c.* reuerà enim eiuſmodi hominibus, meretrices inſtar idolorum ſunt, quòd eas plus colant, quàm Conditorem ſuum.

Præmia luxurioſorum.

Iam audiamus pręmia currentium in hoc ſigno fœminino. Prouerb. 9. *Mulier ſtulta & clamoſa plenáque illecebris, & nihil omninò ſciens: ſedet in foribus domus ſuæ ſuper ſellam, in excelſo vrbis loco, vt vocaret tranſeuntes per viam, & pergentes itinere ſuo. Qui eſt paruulus declinet ad me: & vecordi locuta eſt. Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior; & ignorauit quod ibi ſint gigantes; & in profundis inferni conuiuæ eius,* &c. dignum certè ibi cænaculum tam fœdè hîc viuentium.

Denique Amos 6. *Væ qui laſciuitis in ſtratis veſtris. Iurauit enim Dominus Deus in anima ſua, dicit Dominus Deus exercituum, deteſtor ego ſuperbiam Iacob; & domos eius odi: & tradam ciuitatem cum habitatoribus ſuis.*

Quàm difficulter luxurioſi à luxuria arceantur.

Mirum eſt ſanè, quoſdam homines nullis minis, neque etiam omnipotentis Dei, neque æternæ priuationis, viſionis beatificæ, terroribus ab hoc vitio carnis poſſe deterreri. Hinc videntur reuerà eiuſmodi haud abſimiles dæmoniacis; ex quibus difficillimè dæmones pelluntur: vt optimè S. Chryſoſt. Hom. 29. Quid (inquit) « luxuriâ correptus, à dæmoniaco « differt? non videtur nudus ambu- « lare, ſed corporeis quibuſdam ve- « ſtibus amictus eſt: veris autem « veſtibus priuatus, ſummâ homi- « nis gloriâ caret; non lapidibus ſe- « ipſum cędit, ſed ſceleribus; quæ « lapidibus obſcuriora, aſperiora- « que ſunt. Quis hunc iuuare pote- « rit? quo fit, vt nunquam ſit in ſe- « ipſo, ſed in ſepulchris verſetur: ſe- « pulchra ſunt meretricũ diuerſo- « ria, cùm multo fœtore, multâ putredine ſint repleta. Nõ minæ, nõ « exhortationes ipſum ligare potे- « runt, omnia hæc vincula ſpernit. «

Signum Libræ diabolica.

Iterùm diabolus peccatores ex ſigno Virginis ducit in ſignum Libræ, ſcilicet ſterile, tepidum, & melancholium in quo multi adeò tepeſcunt, *vt neque calidi, neque frigidi ſint*; ſed potiùs in vtramque, & mali & boni, videantur claudicare partem: iuxta illud 3. Reg. 18. *Vſquequò claudicatis in vtramque partem?* At notent huiuſmodi biuiatores, quid Dominus eis comminetur. Apoc. 3. *Vtinam frigidus eſſes aut calidus; ſed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus,*

incipiam

incipiam te euomere ex ore meo.

Signum Sagittarij diabolici.

Signum Sagittarij impij ingrediuntur, dum indies in cælum iacula ſuarum blaſphemiarum eiaculantur. Si enim Prouerb. 25. *Iaculum, & gladius, & ſagitta acuta,* homo dicitur, *qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium:* quid ergo erit blaſphemus in Deum?

Alio adhuc modo peccatores cenſentur eſſe in ſigno Sagittarij, ſimul & in Scorpij: videlicet; quando Pſal. 10. *Intendunt arcum, & parant ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Eos ſcilicet omnibus modis, palàm & occultè perſequẽdo: ferro & igni, gladio & enſe, maximè ſagittâ, & aculeo venenoſę linguę perimendo. Enimuerò, *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt: in ore ſuo pacem cum amico* (lingua nequam detractorum) *& occultè ponit ei inſidias.* Ierem. 9.

At haud impunè profectò hoc ſignũ Sagittarij peccatores egreſſuri ſunt: nam Deuter. 32. *Dominus ſagittas ſuas econtrà inebriaturus eſt ſanguine eorum;* & Pſal. 7. *ardentibus* (*prunis*) *affecturus;* & ſagittis ſummo impetu ſui diuini furoris in peccatores emiſsis, *conturbaturus, & diſperſurus eſt eos,* Pſalm. 143.

Pythagoras quid de lingua iniqua ſentiat.

Iterum Scorpionem ingrediũtur, maledcis & venenoſis ſuis linguis nemini parcendo. Nam Pſalm. 33. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant; venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Hinc Pythagoras, gladij plagam multò eſſe leuiorem quàm linguæ; eò quòd hæc animum; ille verò ſolum corpus vulneret, aiebat: & vel ideò tantopere Dauid Pſal. 119. orat. *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa:* nam Pſalm. 56. *Dentes* (detractorum) *arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus, &c.*

Sanè hoc vitium vſque adeò prô dolor! hodie excreuit, totuſque mundus detractoribus tam densè ſcatet, vt vix etiam, imò neque vix quidem, ipſius (Dei) bonitas & benignitas, ab hac beſtiâ infernali tuta videatur. Sed væ maledicis, & detractoribus: *maledictus enim qui clàm percuſſerit proximum ſuum,* Deut. 27.

Terribile exemplum detractionis vitij à Deo æternis flammis caſtigati.

Id quod tremendo confirmari poteſt exemplo, noſtro primùm tempore facto. Nam vir quidam, tùm ſimplicitate, cùm ſanctitate vitæ, 50. circiter annis, in Religione noſtrâ eximius, & Prouincialatus munere multo tempore conſpicuus, mihi digniſsimâ fide retulit. Fuiſſe nempè quandam perſonam, noſtro cuidam Patri, omni quaſi octiduo confiteri ſolitam: neque vllo prorſus, quàm vnico detractionis vitio & næuo notatam; ſæpiùs quidem à Confeſſario correptam; ſemper tamen in conſuetudinem iam ſemel imbibitam delapſam. Tandem ad vitæ deſperationem perſonam illam febri continuâ perductam,

Patri ſpopondiſſe, ſe Dei permiſſione, poſt mortem eum de ſtatu ſuo certò certiorem reddituram Dictum factum, trigeſimâ namque poſt obitum die, cellulæ oſtio noctu ſemel, atque iterùm pulſato, acceptaque à Patre facultate, ſpiritum ingreſſum, ſeſe triſtiſsimo & horrido vultu, Patri, vti promiſerat, ſtitiſſe: Patrem verò ita eum allocutum fuiſſe: quî res tuæ in altera vitâ aguntur? en præſtò ſum ſi indigeas, tùm meis precibus, & ſacrificiis, cùm aliorum ſuffragiis, tibi ſuppetias ferre. At illum ingenti ſuſpirio, linguâ vndique ignitâ, manibus propriis ex ore longiſsimè protractâ; in hæc verba prorupiſſe: *Hæc, hæc maledicta lingua æternum mihi interitum, ignem & damnationem, nullo vnquam tempore finiendam cauſauit!* cui Pater: nil ergo tibi profuit toties tua repetita, mihique facta Confeſsio? inque extremis oſtenſus ille dolor? *Nil*, inquiebat: *quia verè non fuit ſufficiens dolor, & ſi ſuperuixiſſem, maledictam tamen linguam iſtam non ſeriò correxiſſem, neque vitium detractionis emendaſſem: non enim ego illud, ſed illud me dereliquit: Iam meo malo, æternoque ſupplicio addiſce, quantum linguæ vitium deteſtetur Deus.* Quibus dictis, maximo horrore, ingentique eiulatu euanuit.

Hoc tremendum exemplum, à 20. circiter annis primùm factum, meritò detractoribus tandem venenoſos detractionis aculeos euellere deberet; nam factum videtur nobis in exemplum, ad denotandum; vt quemadmodum homines adhuc non ceſſant, ſeſe inuicem linguarum aculeo dilaniare, & venenoſis verbis inficere, ſic etiam econtrà, non ceſſare iuſtum iudicem Deum, in altero ſæculo, detractores *ſcorpionibus infernalibus cædere*; æterniſque ſuppliciis caſtigare: adeò vt meritò vitium illud hîc nunquam emendatum ibi æterno igni maneat reſeruatum, &c.

Hinc patet, veriſsimam illam ſacræ Scripturæ ſententiam eſſe, Prouerbiorum 24. videlicet; *ne cum detractoribus commiſcearis: quoniam repentè conſurget perditio eorum: & ruinam vtriuſque quis nouit? Qui habet aures audiendi audiat, &c.*

Itaque remoue à re os prauum, *& labia detrahentia ſint procul à te*, Prouerbiorum 4. *deponas omnem malitiam & detractionem.* Sanctus Petrus 2. ſi enim noueris hoc vitium ſerpentinum emendare, nouerit & Deus te conſeruare.

Denique, hiſce omnibus nouem ſignis percurſis à peccatoribus, tandem ingredientur Capricornum, ſignum infimum: in quo ſolis iuſtitiæ remotiſsimâ à cordium peccatorum tellure diſtantiâ remotus, ſolſtitium, hyemem, abſentiæque omnis boni & felicitatis illis cauſabit; idque per tria ſigna, ſcilicet Capricornum, Aquarium & Piſces. *Signum Capricorni diaboli.*

Et

Et quidem peccatores ingredientur in ſignum Capricorni, infimum inferni, quando videlicet Matth. 25. ad ſiniſtram cum hædis & hircis à iudice tremendo ſunt collocandi: inque Aquarium, ſtagnum picis & ſulphuris demergendi; vbi præter fletum & ſtridorem dentium, ſol iuſtitiæ, gratiæ ſuæ radiis æternâ remotione ab eis elongabitur, ipſique econtrà in Leuiathan, illius inquam tremendi (diaboli videlicet) Piſcis & vermis ſignum ingredientur; de quo Iſaias cap. 27. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi & forti ſuper Leuiathan*, (id eſt ſocietatem & copulationem malorum) *ſerpentem vectem* (id eſt peccatorem) *& ſuper Leuiathan ſerpentem* (diabolum) *tortuoſum: & occidet cetum qui in mari eſt.* Itaque veriſſimum eſt illud Pſalmiſtæ: *In circuitu impij ambulant*, id eſt, in Zodiaco iniquitatum.

CAPVT IV.

De 6. reliquis Donis Spiritus ſancti, 5. circulis, & centro Zodiaci comparatis.

ANAGOGE I.

MEMBRVM I.

De Timore Domini, Coluro æquinoctiorum aſſimilato.

Pars II.

QVemadmodùm Colurum æquinoctiorum per duos mundi polos, principia Arietis & Libræ tranſire, nobiſque æquinoctia denotare, nec non Zodiacum binis locis interſecare diximus; ita Colurus timoris Domini, in primo puncto Arietis, id eſt, ante omnia Zodiacum diuinæ ſapientiæ interſecat (conſiderando omnia quæ ad Deum trahunt, maximè iuſtitiam Dei) nam *initium ſapientiæ timor Domini.* Eccl. 1. & Prouerb. 1. *Timor Domini principium ſapientiæ.* Iterùm Prouerb. 9. *Principium ſapientiæ timor Domini.*

Alterum punctum, Libræ ſcilicet in Zodiaco ſapientiæ interſecat hic Colurus timoris Domini: nempè ponderando & librando malum, quod auertit à Deo, & bonum diuinæ dilectionis & dulcedinis inſectando, quod conuertit ad Deum. Vnde Prouerb. 8. dicitur: *Timor Domini odit malum.* & Eccleſiaſtici 1. *Timor Domini expellit peccatum. Timor Dei initium dilectionis*, Eccleſ. 25. Conceptus.

Deinde Colurus hic timoris Domini tranſit per duos polos mundi, antarcticum quidem, *cùm declinat à malo*; per arcticum, *cùm facit bonum.* Etenim, *qui timet Dominum recedit à malo.* Prouerb. 3. & Eccleſiaſtici 15. *Qui timet Deum faciet bona.* Conceptus.

Denique ſicut Colurus æquinoctiorum, totum cælum ſuâ circumferentiâ metitur, eſtque in Ortu, & in Occaſu; in Septétrione, Conceptus.

& in Auſtro,&c.ſic Colurus timoris Domini, *ſuper omnia ſe ſuperexponit*, Eccleſ. 25. eſtque in duobus æquinoctialibus punctis;mortem ſcilicet, & diuini iudicij ſeueritatem perpendendo: in Auſtro & Septentrione, contemplando cæleſtem gloriam, & æternam damnatorum pœnam: nam *ab Aquilone pandetur omne malum*. Ierem. 1. omne enim malum quid aliud eſt, quàm aggregatio,& cumulus omnium malorum in inferno in vnum collectorum?

Præmia timoris Domini. Et quidem in reciprocationem mercedis, quòd nempè hic Colurus timoris Domini interſecet duo illa puncta,ſcilicet conſiderationem *mortis*, *& diuini iudicij*, rependetur ei illud Prouerbior. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis: timor Domini fons vitæ, & declinat à ruina mortis.* Item, *Timenti Dominum bene erit in extremis*, Eccleſ. 1. Pro eo verò quòd tranſeat,& conſideratione percurrat Auſtrum, *æternæ gloriæ*: & Aquilonem, *inferni*; refundetur illud Prouerb. 19. *Timor Domini ad vitam* (cæleſtis gloriæ) *& in plenitudine commorabitur, abſque viſitatione peſſimi*, id eſt, abſque deguſtatione mali omnium malorum, videlicet æternæ auerſionis à Deo in inferno,&c.

Simile. Itaque ſapientiæ, & timoris Domini ſpiritu, omnia reliqua Dona Spiritus ſancti clauduntur; eſtque impoſsibile,ſapientiam veram eſſe ſine timore Domini. Sicuti impoſsibile eſt, principiatum eſſe ſine ſuo principio, radium ſine luce, fluuium & torrentem ſine fonte, nam *initium ſapientiæ timor Domini.*

Eſt ergo impoſsibile ſine timore Domini nos verè ſapere: quia ita ſunt ſapientia, & timor Domini concatenati, vt ſi vnum circulum ab altero, videlicet Colurum timoris Domini, à ſapientia tollas, ſubitò & illicò etiam Zodiacum diuinæ ſapientiæ auferas deſtruaſque.

Cùm ergo iuxta illud Pſal. 13. & 35. *non ſit timor Domini ante oculos eorum* (mundanorum) impoſsibile videtur etiam eſſe ſapientiam in corde eorum. Hinc iterùm redditur cauſa cur Salomon dixerit: *ſtultorum infinitus eſt numerus*: nam, cùm infinitus ſit numerus, ante quorum oculos nec vmbra quidem timoris Domini videtur: *timor* verò *Domini ſit initium ſapientiæ*, ſine quo impoſsibile eſt eſſe ſapientiam poſſe: conſequens eſt, eos omnes ſuo modo eſſe ſtultos, qui timore Domini & conſequenter ſapientiâ ſunt deſtituti. *Salomon qua de cauſa ſtultorum infinitum eſſe numerum dixerit.*

At & hoc denique proprium Coluro æquinoctiorum eſt quod in ſe maneat immobilis; alioquin neque verè nobis æquinoctiorum index foret; ſic & Colurum timoris Domini immobilem & ſtabilem eſſe neceſſe eſt; alioquin dilectionis Dei, & proximi; ſiue electionis boni, & odij mali, non verè index nobis eſſe poſſet. Vnde benè S.Chryſoſt. homil. 8. ad populum, *Conceptus de ſtabilitate timoris Domini.*

pulum, *Dei timor*, inquit, *ſtabilis eſt, immotuſque: & tantam emittit lætitiam, vt nullus eos ſenſus malorum capiat: Deum, ſicut oportet timens, & in ipſo confidens, voluptatis radicem adeptus eſt, & omnem habet lætitiæ fontem.*

Iterum timoris Domini Colurus ſtabilis & conſtans cenſetur: nam *in omni timore fiducia fortitudinis, & qui timet Dominum nihil trepidabit, quoniam ipſe eſt ſpes eius.* Prouerb. 1. vnde optimè Lactantius libr. 6. de vero cultu: *Nemo dubitat*, ait, *quin timidi, & imbecilli ſit animi, aut dolorem metuere, aut egeſtatem, aut exilium, aut tribulationem, aut mortem: quæ omnia quiſquis non exhorruerit fortiſsimus iudicatur; qui autem Deum metuit, illa vniuerſa non metuit. Quod probatur quidem exemplo Chriſtianorum, qui ſolo metu Domini atrociſsima paſsi ſunt ſupplicia, &c.*

O vtinam hic ſanctiſsimus Colurus timoris Domini, non omnino ex noſtro Zodiaco, putatitiæ, prô dolor verè putatitiæ noſtræ iuſtitiæ eſſet ablatus! tunc ſanè infinita mala atque ærumnæ noſtrum Orbem adeò hodie prementes, illicò etiam proculdubio tollerentur: Nam *beatus homo qui ſemper eſt pauidus; qui verò mentis eſt duræ corruet in malum.* Prouerb. 28. Cùm itaque modò mundus tam duræ ſit ceruicis mentiſque; quid mirum, *ſi corruat in omne malum?* in malum, inquam, gladij & ignis, peſtis & famis; turbationis, & perſecutionis: tandemque in ipſum conſummatæ tribulationis malum præcipitatus intereat.

Sanè omnibus meritò, & iuſtis & iniuſtis, hic Colurus Domini cõtinuò ante oculos deberet verſari: idque propter multas ſententias ſacræ Scripturæ. Iuſtis quidem: *qui enim ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*: 1. Cor. 10. *Et ſi tu fide ſtas, noli altum ſapere ſed time.* 1. Cor. 12. Hunc Colurum timoris Domini Regius ille, & ſecundùm cor Dei electus Propheta Dauid, Pſal. 2. nobis ſatis inculcat, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*: Quod & Iob cap. 31. obſeruat: *ſemper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum: & pondus eius ferre non potui, &c.*

Iuſtis & iniuſtis ſemper timendum eſſe.

Prô Deum! ſi tantæ iuſtitiæ vir, vt erat Iob cui ipſe Deus, Iob 1. teſtmonium dedit; *Quod non fuerit ei ſimilis in terrâ*, vtpotè tam *ſimplex & rectus, timens Deum, & recedens à malo, &c.* ſi inquam Iob ferre non potuit pondus Dei; quomodo illud laturi ſunt illi, ante quorum oculos non eſt penitus *timor Domini?* non ſolùm non recedentes à malo, ſed indies malo magis accedentes? qui ſi ponderarent, quod Deus profectò non parcat delinquenti, proculdubio cum Iob, 9. cap. *vererentur opera ſua*, turpiſsimâ peccati aſpergine commaculare.

Malis & iniuſtis etiam meritò Colurus timoris Domini timorem incutere deberet, & emendationem vitæ; ſi conſiderarent diuinæ iuſtitiæ rigorem; ſcientes expreſsè

Malis meritò ſemper timendum.

preſsè cum Iob 9. quòd Deus nullo modo *parcat delinquenti.* Ecce enim *quomodo cecidit de cælo Lucifer,* Iſaiæ 24. qui tamen manè tam inſigniter oriebatur; en quomodo *in terram corruerit* perditionis æternæ: *quomodo vulneratus fuerit,*& proſtratus à diuina iuſtitia? ille inquam, *qui vulnerabat gentes*, id eſt, qui alios ad peccandum induxit.

Exemplum timoris Domini.

Refert ſanctus Beda libr. 4. Hiſtor. Anglic. cap. 2. hoc memorabile de Ceadda Merciorum Epiſcopo: eum nempè inter varia virtutum merita, quibus inſignitus fuerat, adeò timore Domini fuiſſe perculſum, adeò in omnibus operibus ſuis nouiſsimorum ſuorum memorem: vt ſi eo fortè legente, vel quid aliud agente, repentè flatus venti maior inſurgeret, continuò miſericordiam Domini inuocarit; eamque generi humano propitiã fieri rogauerit: cùm autem violentior aura inſiſteret; clauſo codice, in faciem ſeſe proſtrauerit. At cùm procellæ fortes, aut nimbus perurgeret, vel etiam coruſcationibus, tonitruis, & fulgure terra horreret, aërque inſonaret, tunc in Eccleſia orationibus & pſalmis euſque inſtiterit, donec aëris ſerenitas ſubſecuta foret, &c. Tandem ab aliis interrogatus, cur eiuſmodi timoris ſigna ederet? reſpondiſſe fertur: ,nunquid legiſtis: *Quia intonuit de ,cælo Dominus, & Altiſsimus dedit vo,cem ſuam. Miſit ſagittas ſuas, & diſſi,pauit eos; fulgura multiplicauit, & conturbauit eos?* mouet enim aërem « Dominus, ventos excitat, iaculatur fulgura, de cælo intonat, vt nos « terrigenas ad timendum ſe ſuſcitet, vt corda noſtra in memoriam « futuri iudicij reuocet, vt ſuperbiam noſtram diſsipet; vt conturbet audaciam, reducto ad mentem tremẽdo illo tempore; quando ipſe, cælis & terrâ ardentibus, « venturus eſt in nubibus, cum poteſtate magnâ & maieſtate, ad iudicandum viuos & mortuos. Propter quod oportet nos admonitioni eius cæleſti debito cum timore, & amore correſpondere: « vt quoties aëre commoto, manum ad feriendum quaſi minitans erexerit; nec adhuc tamen « percutit, mox eius imploremus « miſericordiam, & diſcuſsis penetralibus cordis noſtri, atque expurgatis vitiorum ruderibus, ſolliciti, « ne vnquam percuti mereamur « agamus, &c. «

Adhortatio.

Hæc vir ille ſanctus; cuius vtinam & nos veſtigia ſequamur! *tunc nobis verè timentibus Dominum* forſan *non tot occurrerent mala, ſed in tentatione, Deus nos magis à malis erepturus, & liberaturus eſſet.* Eccleſ. 33. Cùm autem contrarium agamus, etiam contrariũ nobis non immeritò euenit. Itaque concludamus cum Diuo Bernardo ſuper Cantica: *Deum time & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo; ergo ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc nihil eſt homo.* Si igitur ſapis, & ſapientiæ Zodiacum inhabitare velis, Colurum

Digitized by Google

lurum timoris Domini priùs cordi tuo inſcribito, & infundetur tibi Spiritus ſapientię, & intellectûs.

MEMBRVM II.

De Fortitudinis Dono, centro primi mobilis comparato.

PRimo & vltimo Spiritus S. donis velut terminis, omnia in ſeſe 7. Dona concludentibus, vtcunque diſcuſsis, ad centrum medium donorum, hoc eſt, Fortitudinem progredi viſum fuit: tùm quia centrum inter duo extrema eſt ſemper poſt terminos diſcutiendum; tum etiam, quod nullum quaſi donum Spiritus S. ſine Fortitudinis dono ſubſiſtat;& hinc haud abſque myſterio apud Iſaiam cap. 11. inter ſeptem Dona Spiritus ſancti medium Fortitudo obtinet locum; velut munimen & centrum omnium Donorum, quæ, niſi Fortitudinis fulcimento firmatæ, in homine haud ſubſiſtunt. Et verò, ſicuti centrum naturâ videtur primùm in circulo; ſic & Fortitudo naturæ & animæ videtur primò à Deo velut centrum, fundamentumq́ue infundi. *Conceptus.*

Fortitudo quid. Hinc benè Perionius lib. 3. Ethicorum, Fortitudinem aſſerit *eſſe mediocritatem earum rerum, quæ hominibus vel fiduciam præbent, vel terrorem afferunt.* Et Ariſtoteles 3. Ethicor. itidem *fortitudinem, mediocritatem in metu, & confidentiâ dicit*; ſicut cẽtrum, inter duas extremas circuli circumferentias, &c. Nam reuerà ſeptem Spiritus ſancti Dona aliud non ſunt, quàm quidam quaſi circulus perfectiſsimus (cõcatenata enim ſunt dona hæc) animæ mentique humanæ à Spiritu ſancto, ſigilli inſtar, & ſigni impreſſus; quo, velut charactere, electi ab iis, qui *charactere beſtiæ notantur*, diſcriminantur diſtinguunturque. Vnde bene Plutarchus in Moralibus. *Fruſtrà*, inquit, *ſunt ingentia cornua, cùm deſit fortitudo & animus: neque ſatis pollere opibus, & cæteris virtutibus, niſi fortitudo quoque acceſſerit.* *Septem dona Spiritus ſancti, quaſi circulus.*

Videtur ſanè fortitudo omnium virtutum fulcimen & fundamentum: vtpotè quæ neque in proſperis attollit, neque in aduerſis deprimit, ſed vires animi fragilitate labentes, mirum in modum erigit. Hinc optimè Plinius libr. 16. cap. 43. Fortitudinem ramo palmæ aſsimilat: vt enim, inquit, palmæ arboris ramus, impoſito onere, non deflectitur in terram, cæterarum more; ſed renititur, & aduerſus ſarcinæ pondus erigit ſeſe; ita vir fortis animi quo plus negotiis premitur, quoq́ue magis ſæuit fortuna, hoc eſt, & fit erectior. *Simile.*

Mirabilis huius virtutis, & doni fortitudinis eſt vis; nouit enim cuncta acerba & contraria nobis vertere in guſtum, & gaudium: vti enim piſcis in mari natans, ſalſedinem aquæ marinæ non ſapit, aut ſentit: ita fortes in mari anguſtia- *Conceptus elegans.*

guſtiarum natantes, amaritudinem eius non percipiunt: nam vt ait Apoſtolus, 2.Cor.4. *In omnibus tribulationem patimur; ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur.* E nimuerò: *qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt; ambulabunt & non deficient*, Iſaiæ 4.

Et appoſitè B. Ambroſius in epiſtola ad Simplicianum. *Stultus*, inquit, *vt luna mutatur: ſapiens enim non metu frangitur, non poteſtate mutatur, non extollitur proſperis; non triſtibus mergitur. Vbi enim ſapientia, vbi virtus eſt; ibi conſtantia & fortitudo. Sapiens ergo idem eſt animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus; nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinæ, ſed manet perfectè in Chriſto fundatus charitate; radicatus fide.*

MEMBRVM III.

Donum intellectus, æquatorio circulo comparatur.

ÆQuator eſt circulus per medium cęli, & duo puncta Zodiaci traductus, diciturque regula motûs Zodiaci, & ęquinoctiorum index. Sic donum intellectus, verus æquator, per medium animæ ita Spiritus ſancti gratiâ traductus cenſetur, vt quidquid ignorantiæ ſcopulis per primum peccatum ſcabroſum in nobis redditum; pulcherrimè adæquet & expoliat; ſimiliter puncta velut æquinoctialia, hoc eſt, quidnam agere, aut fugere in præſenti, & quidnam homo in futurum prouidere, declinare aut cauere debeat demonſtrans. Itaque interſecat etiam duobus in punctis Zodiacum ſapientiæ: hoc eſt, in eligendis agendiſque bonis, & declinandis à malis: iudicando videlicet in præſenti, quod ſibi bonum malumve: & eadem in futurum aut prouidendo, aut præcauendo.

Donum intellectus quomodo æquator cenſendum.

Vnde benè Mercurius Triſmegiſtus. *Quemadmodum*, inquit, *medicus eruditus, corpus doloribus afficit, vrendo illud, atque ſecando, recuperandæ valetudinis gratiâ: eodem modo mens, voluptuoſam affligit animam, vt radices voluptatis euellat; ab hac enim omnis animæ morbus: morbus autem animæ grauiſſimus, impietas eſt, &c.*

O Deus! ſi hunc morbum ſpectemus, inſpiciamusque penitiùs, innumeram heu! eo laborantium hodie multitudinem inueniemus. *Omnes enim declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum; non eſt vſque ad vnum: ſepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebant: venenum aſpidum ſub labiis eorum: viam pacis non cognouerunt, &c.* (ſi enim habuiſſent verum donum intellectus, proculdubio veram viam intelligerent) & ideò, *non eſt timor Dei ante oculos eorum.*

Vide quot impietatum morbis animi mortalium laborent? qui

tamen

413

tamẽ, ſi vellemus, optimè Æquatore Intellectus adæquaretur, curaréturque. Profectò ſæpius quoſdam extrinſecè & in politicis actionibus, præclaro intellectus dono prẹditos iudicamus, cùm tamen magis ab eo diſtent, quàm coruus à cygno, lupus ab agno, &c. Qui quidem mihi ſimiles videntur fructibus & pomis illis in loco, & circa ſtagnum terræ Sodomorum: quæ, etſi ab extrà ſpecioſiſsima videãtur, aperta tamen, intùs merâ putredine, fœtore, & nigro puluere ſcatere deprehenduntur. Ita in noſtro eſt propoſito, impij enim etſi quaſi fructus ſpecioſiſsimi, donóq; Intellectus, Sapiẽtiæ & Conſilij, mirè hic præditi nobis videantur, plantati in terra Sodomorum, *huius ſæculi nequam*: in die Iudicij tamen (quando ſcilicet reuelabutur abſcondita cordis & conſcientiarum aperiendi ſunt Libri) merâ putredine, & fœtore peccatorum, pulluréque ſuperbiæ, vanę gloriæ & vanitatis repleti, deprehendentur; eò quòd vero Dono Intellectus, & ſapientiæ planè deſtituti ſunt. Vnde optimè Chriſtus Dominus, Matt. 23. comparat Phariſæos ſepulchris dealbatis. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocrytæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intùs verò ſunt plena oſsibus mortuorum & omni ſpurcitia: ſic & vos à foris quidem paretis hominibus iuſti, intùs autem eſtis pleni hypocryſi & iniquitate, &c.*

Inſignis conceptus.

Heu! quot hodie ſimilia dealbata ſepulchra inuenire eſſet, ſi lynceis oculis prẹditos eſſe, & cordis penetralia inſpicere liceret? quot turpiſsima, omniq́ue libidinis cœno ſcatentia pectore, ſub dealbatis vermiũ ſepulchris (corporibus ſpecioſis) hodiè latitant?

Sepulchra dealbata quæ ſint hodie.

Quot æſtus inordinatarũ concupiſcentiarum in penetralibus, huius Oceani mẽtis humanæ feruent! qui licet ad externam ſuperficiem, id eſt, in opus redigi & aſcendere non omninò queant; intùs tamen omnes bonarum affectionum, & deſideriorum cæleſtium bonorum piſces, à Patre luminum immiſſos, nimio impetu in ſcopulos malorum deſideriorum illidunt, & enecant: ideoq́ue huius ſæculi prudentia, & intelligẽtia meritò apud Deum *ſtultitia cenſetur*.

Benè S.Bernardus, de diligẽdo Deo ait: *ſi famelicum hominem apertis faucibus, vento inflatis haurire buccis aërem cernas, qui quaſi conſulat fami: non credas inſanire? ſic non minoris inſaniæ eſt, ſi ſpiritum rationalem, rebus putes quibuſcunque corporalibus non magis inflari, quàm ſatiari.*

Ac tandem cum B. Chryſoſt. hom. 21. in Matth. concludentes, Intellectum optimè oculo etiam cõparari poſſe arbitramur. Nam ‘quod oculus eſt corpori; hoc & in‘tellectus animæ: vti enim nequa‘quam optes auro ornari, veſte ſe‘ricâ conſpici; vt ſit oculis tibi ca‘rendum, ſed horum proculdubio ‘ſanita-

Donum intellectus oculo comparatur.

,ſanitatem deſiderabiliorem rebus ,omnibus iudicares: quę ſi tibi certè depereat, nihil te iam totâ vitâ ,delectat: quantò hoc magis pro ,oculis mentis debes efficere? ſicuti ,enim poſtquàm corporaliũ oculorum lumen extinctum eſt, omnia iam membra in miſeriâ verſantur, ac tenebris: ita etiam mente cæcatâ, innumeris prorſus malis vita hominum cumulatur.

, Quemadmodùm igitur in corpore hoc maximè prouidemus, vt ,oculos habeamus incolumes, ſic ,etiam in animâ intellectûs ſeruemus ſalutẽ: ſicuti enim qui caput ,ipſum fontis obſtruxit, totum ſimul exſiccauit & fluuiũ: ſic etiam ,qui oculũ mentis tenebris obduxit, omnes quoq; vitæ iſtius actus ,vnâ confuſione cœcauit. Si enim ,lumẽ quod in te eſt, tenebræ ſunt, ,tenebræ quãtæ erunt? Quando lucerna extinguitur; quando gubernator mergitur; quãdo Dux capitur, quæ tandem obedientibus ſupererit ſpes ſalutis? Intellectũ dedit ,nobis Deus vt ignorantiam fugemus è mentibus, vt rectum teneamus iuſtumq; iudicium, atque ad ,alia eiuſmodi dirigamur, vt contra diuerſarum impugnationum ,varios impetus, hoc quaſi ſcuto, ac ,lumine, maneamus innocui, atq; ,muniti. Nos verò tantum Dei donum temerè prodimus propter ,ſuperflua, & vana prorſus. Quid ,enim prodeſt auratis armis milites ,fulgere, cùm ducitur Rex eorum ,ipſe captiuus? quid lucrum eſt ornatæ, depictæque naui, cùm ipſius ‹ mergitur gubernator? Quænã illa ‹ eſt bene compoſita corporis pul- ‹ chritudo, cũ facies oculos amiſit? ‹ Quéadmodum ergo; ſi medicum ‹ ipſum in ægritudinem mittas, & ‹ in deaurato cubiculo, lectuloque ‹ argenteo iacere præcipias, nihil ‹ proficiet omnino languẽtibus: Ita ‹ etiam ſi mẽtis principale corrum- ‹ pas, quo ſcilicet ingruẽtibus potes ‹ vitiis repugnare, theſauris feceris ‹ aſſidere, nihil omnino profeceris, ‹ ſed totam prorſus animã læſeris. ‹

Hactenus B. Chryſoſt. quæ precor bene notẽt qui Dono Spiritus S. & Intellectus adeò abutuntur, rebuſq; caducis & ſæcularibus applicando, nonnunquã vſque adeò adulterant; vt mũdanis inhiando, *quæ Dei ſunt*, penitus *non intelligant.* Quod idem eſt, ac prunas, ignemque cinere ſopire, quæ vt denuò reuiuiſcant (& dictæ intellectus tui, à Deo ſemel accenſę prunæ reaccendantur) cinere mũdanarum cogitationum, & curarum ablato, ignẽ ardentis amoris erga Deum, intra te excita; & facilè doni intellectus prunas reſuſcitabis. *Conceptus elegans.*

Quo tandem (vt cum D. Chryſoſt. ho. 22. ad Hæbræos loquar) *Sicut aues celerrimè montes, colles maria, & ſcopulos, momento temporis ſine impedimento tranſuolant:* ita tali etiam Dono Intellectus mens tua, penniſque diuini Amoris iam prædita, cùm à ſæcularibus abſceſſerit, nihil iam eam aliud apprehendere poterit: vtpotè, omnibus etiam *Conceptus.*

eminentiorem. *Non enim eſt ita perfectus ſagittarius diabolus, vt poſſit ad illam altitudinem pertingere, ſed dimittit quidem iacula, non autem attingit, at potiùs reuertuntur ad eum, inque eius caput, te illæſo, ipſo autem plurimùm inde ſauciato, recidunt.*

MEMBRVM IV.

Donum Conſilij Horizonti comparatur.

Quid Horizon. HOrizontem Aſtronomi circulum immobilẽ aſſerunt, à viſûs noſtri terminatione originem trahentem: ortum & occaſum ſiderum denotãtem; cælumque ſuperius, ab hemiſphærio inferiori diſcriminantem; quem & alio nomine finitorem appellant, &c.

Applicatio. Quod ſi iam naturam, & proprietatem doni Conſilij perpendamus, haud ineptè cum Horizõte comparabimus: Sicuti enim Horizon diſcriminator eſt inter hemiſphærium ſuperius & inferius; ſic & donum Conſilij diſcriminat ſummas, & imas difficultates rerum: cùm Conſilium, ſecundùm Damaſcenum nil aliud *Donum cõſilij quid.* ſit, *quàm appetitus inquiſitiuus de rebus vtilibus.* Sic donum Conſilij erit quaſi Horizon, ſiue vtile ab inutili; ſiue magis vtile, à minùs vtili diſcriminans. Et prout Horizon eſt immotus & ſtabilis; ſic & Conſilium oportet eſſe ſtabile firmumque, iuxta illud Eccleſ. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te: & ante omnem actum, conſilium ſtabile.* Sine Horizonte quoque *Conceptus iucundi.* nulla ſtella oritur, occidit nulla; ſic nihil ſine conſilio Spiritus ſancti, in noſtro intellectu & voluntate oriatur; vt benè ſuadet Eccl. cap. eodem 32. *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit, &c.* Habet præterea hoc propriũ Horizon, vt ſolem, lunam, & reliqua aſtra, in, aut prope ſe exiſtentia, multò maiora repræſentet, magiſque viſibilia reddat, quàm aliàs in ſe ſunt: id quod fit propter vapores, & exhalationes in Horizontem à ſole attractos: Ita & Conſilij Horizon Spiritus ſancti, res obſcuriores & dubias alioquin in ſe, multò clarius, meliuſque repræſentat & declarat; idque propter vicinitatem illius Deificæ exhalationis, *diuinæ ſapientiæ*; quæ nunquam ferè extra hunc Horizontem reperitur. Ita teſtatur ipſa D. Sapientia Prouerb. 8. *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus, &c.*

Et vt Sol in Horizõte exiſtens, ſemper excitat exhalationes; ſic Sol iuſtitię verè in Horizonte noſtri intellectus, & conſilij ortus, ſemper excitare ſolet exhalationem, id eſt ſpiritum diuinæ ſapientiæ, adeò vt ſicut Horizon nunquam exhalationibus deſtituitur; ſic Conſilij Donum nunquam ſine diuinâ ſapientiâ inueniatur: vides ergo Dona Spiritus ſancti perpetuò ſibi adinui-

cem concatenata cohærere?

Parua cenſentur arma foris, ſine conſilio domi.

Cumq́ue (vt benè Cicero 1. de off.) *parua cenſeantur arma foris, niſi ſit Conſilium domi*; profectò comprimis in rebus cunctis, maximè arduis peragendis, Conſilij donum à Deo Ter Opt. Max. expetendum erit: nam Prouerb. 1. *Qui agunt omnia cum conſilio, reguntur à ſapientia.* Id quod Spiritus ſanctus ipſemet ſuadet Exodi 18. *Audi verba mea atque conſilia, & erit Dominus tecum.* Nemo enim adeò ſapiens, nemo adeò ſanctus, qui non quandoque aliorum conſiliis indigeat; nemo adeò ſublimis & magnus, quin ad infimorum aliquando monita dimittere ſeſe debeat. Nam minimus eſſe incipit, qui inferiorum etiam cõſilia non expetit: quantò ergo minor homo eſſe incipiet, qui neque Altiſſimi conſilium expetit, neque quærit, ſed ſpernit negligitq́ue? Quod namq́ue auis ſine alis, & triremis ſine remige; hoc homo ſine Dono Conſilij eſt.

Simile.

Heu quot ſunt hodie, etiam in aulis Principum, conſiliarij: *Qui obliti ſunt operum Dei, & non ſuſtinuerunt conſilium eius.* Pſalm. 115. *Et* quod peius eſt, *deſpiciunt omne conſilium Domini, & increpationes eius negligunt.* Prouerb. 1. Hinc & Dominus deſpicit conſilia eorum, irritat, & ad nihilum redigit; & vel ideò timendum, ob hanc cauſam ſæpiùs res noſtras remorâ laborare, nihil ad votum noſtrum benè cedere; omnia è cõtrariò euenire.

Notanda.

Regibus & Principibus quid proſit.

Itaque qui Reipublicæ, regnorumq́ue clauum tenent, Reges & Principes, inquam, benè attẽdant neceſſe eſt, qui remiges, qui Conſiliarij, & Gubernatores, nauim Regnorum ſuorum moderentur: ſi enim hæc *Achitophel* conſiliis regatur, ducaturq́ue; de interitũ Regnorum maximè profectò eis metuendum erit; vnde benè S. Bernardus epiſtol. 270. *Non veniat,* inquit, *anima tua in conſilium eorum, diſſipetur conſilium Achitophel, &c.*

Quærendum itaque omnium primò conſilium Spiritus ſancti: *ipſius enim eſt conſilium, & æquitas.* Prouerb. 8. *Ne in nouiſſimis diebus cogamur intelligere conſilium eius,* quod modò contemnimus. Ierem. 23. Deinde principis conſilia, à ſapientibus & prudẽtibus viris proficiſcantur, iuxtà illud Iob. 4. *Conſilium ſemper à ſapiente require*, quibus ſalus, & emolumenta Regnorum ſtabiliuntur, promouenturq́ue: prout econtra, imprudẽtum conſiliis ſalus populi deperditur. Profectò Roboam contemnens præcepta & vias prudentûm, conſiliiſq́ue iuuenum adhærẽs & conſentiens; magnâ ſui Regni parte priuatur, mutilaturq́ue: impoſſibile enim eſt, vt Princeps ſalubriter diſponat ſuum Principatum, qui non audit, adhibetq́ue in agendis conſilia ſapientûm.

Quid Moyſes ſuo exemplo Principes doceat.

Quin, & aliquando inferiorum conſilia haud ſpernenda, ſi modò prudentiæ fulcimine nitantur, ſuo nos exemplo edocuit Moyſes,

qui

qui, etſi Moderator Gubernatorque Hæbræorum eſſet optimus, multarumque rerum geſtarum gloriâ clarus; monita tamen conſulentis Iethro, probè haudquaquàm neglexit: nullam ſuorum geſtorum operum prærogatiuæ notam inuri ratus, tùm quod à non magno moneretur, cùm etiam, quòd inferioris conſiliis acquieſceret. Vnde benè D.Chryſoſtomus Hom. 1. in Epiſt. ad Cor. *Moyſes Iethro conſiliis humilis acquieuit, neque ægrè tulit, neque tale quid dixit: poſt tot & tanta rectè & præclara à me geſta venis mihi conſilium daturus? quod quidem multis accidit; qui, ſi quis vel optimum dederit conſilium, deſpiciunt, propter perſonæ humilitatem, ſed non ſic ille, &c.* Vnde inſigne apud Hæbræos extat prouerbiũ, *Marbeh negiezàh, marbeh teucenàh*, hoc eſt, *Qui conſilium multiplicat, auget & multiplicat intelligentiam, &c.*

Prouerbiũ Hæbræum de conſilio.

Denique vti ante omnia, & primò à Spiritu ſancto, donum Conſilij petendum, deindeque etiam à probis & prudentibus conſilia quærenda; ſic ab improbis & malis prouenientia omnino ſunt cauenda: *Non enim in animam maleuolã introibit Spiritus ſapientiæ*: quomodo ergo Spiritus conſilij, qui ſine Spiritu & Dono ſapientiæ nũquam eſſe poteſt? Certè Dauid Rex potentiſsimus, quid cunctis Regibus hac in parte agendum ſit optimè docet, Pſalm. 1. *Beatus vir*, inquit, *qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorũ non ſtetit, &c.*

A quibus ergo inquies, conſilium Principi expetendum? ad hoc quæſitum primò reſpondet Dauid Pſal. 14. ab eo nempè, *qui ingreditur ſine macula, & operatur* ipſe priùs *iuſtitiam*, quam ſuadet *quiq; loquitur veritatem in corde ſuo, neque egit dolum in lingua ſua, &c.* Secundò ſanctus Gregorius libr. Regiſtri. *Nullus fideliter tibi ad conſilium eſſe poteſt, quàm qui non tua, ſed te diligit.* Vtinam & Principes hanc auream ſententiam hodie conſiderarent, pectorique ſuo inſciberent, & tunc ſæpè meliori forſan euentu res illis ſuccederent, &c.

A quibus Principi conſilia petenda.

Sententia notatu digna.

Hinc Panormitanus libr. de reb. geſtis Regis Alphonſi. Perabſurdum ſibi videri dicebat, Reges ab aliis regi, & Duces ab aliis duci. Voluit his verbis notatos Reges, & magnates, qui cùm Imperij & Regni, Principatúſque titulos ſibi vendicent; alieno tamen conſilio regantur, etiam nolẽtes: quo fit, vt ſæpè magno Reipublicæ incommodo, alienis oculis Principes videant, alienis auribus audiant, alienis linguis loquantur: ſicque nihil minùs eſſe cenſeantur quàm Principes liberi, vtpotè qui ipſi à Conſiliariorum arbitrio, vti ſubditi, & non ecõntrà Conſiliarij ab illorum dependent nutu, vt ſerui.

Inde & veteres haud ineptè, cùm Principes ſui iuris, conſiliaque ſecreta eſſe debere, ſignificare volebant; *Plutonem galeatum, & Proſerpinam rapientem pingebant*, tùm

Hieroglyphicum veterum.

iam ignitis, diaboli iaculis iam quod Pluto galeatus fingatur ſolus, & independens ſubterranearum & occultarum partium princeps: tùm etiã quod raptus clàm fiant, &c. & denique quòd, cùm in capite ſedes conſilij eſſe ſtatuatur, galeâ Plutonis aptè conſilia, non tam ſub capite Principis occultanda, quàm eorum ab aliis independentia ſignificetur. Quod & vtinam hodie benè obſeruaretur, tũc proculdubio meliorem quandoque effectum conſilia noſtra ſortirentur.

MEMBRVM V.

Donum ſcientiæ circulo meridiano aſſimilatur.

Circulus meridianus quid. CIrculus meridianus dicitur circulus tranſiens per polos mundi, inter Occaſum & Ortum, medio loco Æquatorem interſecans, meridiemq; diei, & medium noctis demonſtrans, multiplicabilis quidem in infinitum, pro multitudine locorum, &c.

Applicatio. Cùm donum ſcientiæ ſit ab ipſo Altiſsimo; vtpotè *ſcientiarum Domino* 1. Samuel. 2. non poteſt ſcientia non eſſe maximus circulus; Meridianus quidem, eò quòd ſicuti circulus Meridianus reſpectu hominum ſolummodò terram inhabitantium, & ſupra Zenith eorum tranſire concipitur: ſic & ſcientiæ donum cognitionem humanarum rerum ſolummodò reſpicere intelligatur. Trãſire autem per Æquinoctialem inter Ortum & Occaſum concipitur; tùm quod ſcientia plerumq; viris mediæ ætatis maximè ineſſe videatur; prout prudẽtia ſenibus; tùm etiam, quòd illa inter ſapientiam, & prudentiam medium quaſi tenere cenſeatur locum: aut certè, quòd rerum humanarum non ſolùm ortum, interitum, caſumque; verùm etiam potiſsimùm earundem ſubſiſtentiam, & durabile eſſe demonſtrare videatur. Vnde benè S. Auguſtinus ſuper 1. ad Cor. cap. 12. ſcientiam ita à ſapientia diſtinguit, &c.

Sapientia, inquit, *eſt in contemplatione æternorum: Scientia verò in occupatione temporalium.* Item alio loco libr. de Trinitate. *Hæc eſt*, ait, *ſapientiæ, & ſcientiæ vera diſtinctio: vt ad ſapientiam pertineat æternarũ rerum cognitio intellectualis; ad ſcientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis.* *Qui diſtinguatur ſcientia à ſapientia.*

Iam ſicuti Sol in circulo meridiano maximè ſupra horizontem eleuatur meridie; mediâ nocte verò tùm infimè deprimitur: ſic ſcientiæ Dono anima rationalis decorata, iam in penetrandis cognoſcẽdiſque ſummarum rerum cauſis, ſummè eleuatur; tùm denuo ad ſeipſam & infima cognoſcenda, perſcrutãdaque demittitur.

Conceptus. Quæ autem ſit vera ſcientia D. Paulus 1. Corinthiorum 2. docet: *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum-Chriſtum & hunc crucifixum, &c.* Et S. Auguſtinus

ſuper

ſuper Pſalm.70. *Hæc*, inquit, *tota ſcientia magna hominis eſt: ſcire nempè, quia ipſe nihil eſt per ſe, & quoniã quidquid eſt, ex Deo eſt, & propter Deum eſt.* En quomodo hic circulus meridianus ſcientiæ, iam ad cognoſcendam propriam ſuam nihileitatem animam deprimat: tùm denuò ad agnitionem altitudinis eam Dei eleuet?

Idem S. Auguſtinus libr. 3. De arbitr. pulchrè demonſtrat, hunc meridianum ſcientiæ, virili & me-
, diæ ætati competere; tranſireque
, debere ſupra Zenith noſtrũ: nam
, animæ, inquit, non imputatur ad
, reatum, quod naturaliter ſcire non
, poteſt; ſed quod ſcire non ſtuduit,
, & quod dignam facultatem com-
, parandæ ſcientiæ, & ad recta fa-
, ciendum operam non dedit. Lo-
, qui enim non poſſe, & ſcire non
, poſſe infanti naturale eſt, quia
, ignorantia illo modo inculpabilis
, eſt; ſed & humanis affectibus blã-
, da atque grata. Non enim vllo vi-
, tio illam facultatem comparare
, neglexit, aut vitio, quam compa-
, rauerat, amiſit: at ſcire non velle
, quæ debent, adultæ ætati procul-
, dubio ad reatum cõputatur. Hinc benè S. Chryſoſt. de cognoſcibilibus ab homine. *Magna*, inquit, *virtus boni eſt, cognoſcere malos, & firma tutela ſalutis, ſcire quod fugias*, &c. *præcedit enim ſcientia virtutis cultum: quia nemo poteſt fideliter appetere quod ignorat; & malum, niſi cognitum ſit, non timetur aut vitatur.* Aurea verba, meritò cordi altè inſculpenda.

Sententia digna D. Chryſoſtomi de ſcientia.

At prô dolor, multi hodie ſcientiã abutũtur, pauci benè vtuntur; pauciores veram adipiſcuntur, vt benè B. Chryſoſtomus. *Plerique*, ait, *acceptâ ſcientiâ litterarum, non ad Dei gloriam, ſed ad ſuam laudem vtuntur, dum de ipsâ extolluntur, & ibi peccant, vbi peccata emendare debuerunt, &c.* Optimè autem diſtinguit ſanctus Bernardus fines ſcientiarum in homine, ſuper Cant. Serm. 36. *Sunt enim*, inquit, *qui ſcire volunt, eo fine vt ſciant: & turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, vt ſciantur & ipſi: & turpis vanitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant verbi causâ pro pecuniâ, pro honoribus, &c. & turpis quæſtus eſt: ſunt qui ſcire volunt, vt ædificent, & charitas eſt. Et item qui ſcire volunt, vt ædificentur, & prudentia eſt, &c.* At quis ergo, inquies, modus ſciendi, vt tandem verè & cum fructu ſciamus? Idem S. Pater Bernard. ſuper Cant. ſerm. 36. reſpondet. *Vides quod* (Deus) *non probat multum ſcientes, ſi ſciendi modum neſciunt? vides inquam quomodo fructum & vtilitatem in modo ſciendi conſtituit? Quid ergo dicit modum ſciendi. Quid? niſi vt ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat? Quo ordine? vt illud priùs quod maturius mouet ad ſalutẽ. Quo ſtudio? vt illud ardentius, quod vehementiùs ad amorem: quo fine? vt nõ ad inanem gloriam, & oſtentationem, ſed ad tuam, & aliorum ſalutem, &c. Nam vera ſcientia parit cognitionem amoris: amor frequentiam: frequentia familiaritatem: familiaritas fiduciam: fiducia facilem impetratorem* (homi-

Multi ſcientiã abutuntur.

Quis verus modus ſciendi.

(hominem ſcilicet reſpectu Dei.) *conſtituit*, *&c.*

Scientia infinitæ quaſi. Denique vti eſſe cēſentur quaſi infiniti meridiani, ſic & infinitæ quaſi ſcientiæ, ita Ariſtoteles lib. 1. de reprehens. Sophiſt. cap. 8. At inter illas infinitas obſecro non eligamus nos aliam, quam illam de qua Hugo in inſtitut. nouit. *Illam*, inquam, *quæ via ad Deum eſt: quæ ad inſtitutionem rectè & honeſtè viuendi pertinet. Hæc namque eſt diſciplinæ bonitas, & beatitudo. Per hanc itur ad diſciplinam, per diſciplinam ad bonitatem, per bonitatē ad beatitudinem æternam.* Enim verò (vt cum Lactātio Firmiano lib. 6. cap. 5. Diuinar. inſtit. concludamus.) *Scientia vera, eſt Deum noſcere; virtus colere; in illo ſapientia, in hoc Iuſtitia continetur.* Optimè quidam Poëta.

Scit legem, doctéque tenet iuſſa Omnipotentis,
Qui quod nouit agens, diligit id quod agit.
Non ſatis eſt Domini præceptum voluere linguâ,
Bis meminit legis, qui memor eſt operis, &c.

MEMBRVM VI.

Pietatis Donum Coluro ſolſtitiorum comparatur.

PRioribus Donis Spiritus S. iam vtcunque cōparatis explicatiſque; tandem Pietatis aggredimur; quod quidem donum, cæterorum omnium velut finis, terminus, & quaſi ſcopus cenſeri debet. Etenim, quid tibi proderit habere Donum Sapientiæ, Intellectus, Conſilij, Fortitudinis, Timoris Domini, & Scientiæ, ſi careas pietate? cumque impoſsibile ſit, verè ſapientem, verè intelligentem, verè ſcientem & timentem; ſine pietate etiam mēte concipi, conſequens videtur, eam eſſe naturam donorum Spiritus ſancti, vt, vno verè in anima radicato, illico & facilè omnes reliquę pullulent. *Natura donorum Spiritus ſancti.*

Cumque pietas nil aliud ſit, *quàm Theoſebia, ſiue latria, aut cultus diuinus interior*; propriè fundatus & velut radicatus in tribus virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate, ſine quibus nulla pietas concipi, aut ſubſiſtere poteſt: hinc haud ineptè donum pietatis Coluro ſolſtitiorū aſsimilare liceat. *Pietas quid ſit.* Quemadmodùm enim Colurus ſolſtitiorum per duos polos mundi, & duo puncta zonæ torridæ, binoſque circulos arcticum, & antarcticum traductus: modò ſolem imum, modò ſummum in ſolſtitialibus punctis nobis exhibere cenſetur. *Conceptus.* Ita verus ille Corus pietatis; per duos polos (fidei & ſpei) duoque puncta torridæ (Charitatis Dei ſcilicet, & dilectionis proximi) traducitur: impoſsibile enim eſt, vti iam diximus; pietatem non tranſire per duos polos illos fidei, & ſpei, perque torridam feruidamque charitatē. Quod facile probatur ex Apoſtolo

ſtolo 1. Tim. 4. *Ineptias autem, & aniles fabulas deuita: exerce autem te ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt promiſſionem habens vitæ* (vide quomodo per ſpē tranſeat) *quæ nunc eſt, & futuræ. Fidelis ſermo, & omni acceptatione dignus. In hoc enim laboramus* (pietate) *& maledicimur* (pietate mala ſuſtinemus) *quia ſperamus in Deum viuum, qui eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium, &c.*

Pietas ad omnia vtilis.

Si itaque pietas ad omnia vtilis eſt, erit vtique & vtilis ad fidem, ſpem, & charitatem, & ad reliquas omnes virtutes; vnde benè S. Gregorius in Moralib. *Nulla eſt ſcientia, ſi vtilitatem pietatis non habet.* Et iterùm eodem libr. Moral. *Ille benè agit quæ pia ſunt; qui ſcit priùs ſeruare quæ iuſta ſunt: vt collatus in proximos riuus charitatis, & miſericordiæ, de Iuſtitiæ fonte ducatur.*

Conceptus à ſimili.

Deinde, vti Colurus ſolſtitiorum modò ſolē ſummum demōſtrat; & tùm iterum in Capricorno depreſſum exhibet: ſic Pietatis Colurus mentem humanam modò ad colēdum ſummum Deum Trinum & vnum eleuat; modò ad meditandum Chriſtum humiliatum, & vſque ad crucem depreſſum demittit, &c.

Conceptus.

Alio modo Pietas iam in ſummo Coluro ſolſtitij, punctoque diuinitatis Chriſtum contēplatur & adorat: tùm in eodem diuinitatis Coluro, in ſolſtitio imo humanitatis eum collocat cōſideratque. Iterùm, aliter Colurus Pietatis animam ſummum in culmen cæleſtium dulcedinum attollit, ſuauitate conſolationum: tùm aduſque imum Capricorni punctum, tribulationum ſcilicet, iterùm deprimit: Nam *omnes qui volunt piè in Chriſto viuere perſecutionem patientur.* 2. Tim. 3. Ecce depreſſionem ad Capricornum. Ita & Chriſtus Dominus ipſemet fuit depreſſus, dum inter *iniquos deputatus crucifixus eſt.* Et Iſaiæ 3. *Dicite iuſto quoniam benè* (en exaltationem ſolatiorum) *quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet.* An non Abel Gen. 4. pietatis ſuæ fructum percepit, altiſsimis cælis, oculo ipſius Dei ſupra munera eius delapſo? Nunquid non & Enoch, & Elias, ob pietatis cultum ita Deum ſibi promeruerunt, vt carcere telluris longè relicto, ad æthera vſque vaſtiſsima inuitati, quin & rapti, vectique ſint?

Exempla mercedis pietati debita.

Quid dicam de Noë, Gen. 6. quem ſola pietas in Deum, inter tot millena millium hominum ſubmerſorū, fluctibus diluuij eripuit? Abraham Gen. 12. propter filium ſuum vnigenitum Deo oblatum ſuæ pietatis mercedem hanc à Domino recepit. *Per memetipſum iuraui dicit Dominus, quia feciſti hanc rem; & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me: Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli; & velut arenam quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum: & benedicentur in ſe-*

mine tuo omnes gentes terræ; quia obediſti voci meæ, &c.

Quid Abrabam ſuo exemplo parentes edoceat.

Hic notet parentes, qui nedum parati non forent (ſi forſan ita Deus expeteret, ſicut ab Abraham) filios ſuos eidem offerre; ſed inſuper ad ſuauiſsimum diuini cultus & Religionis munus à Deo vocatos, ſæpè ſæpiùs impediunt, aut impedire ſaltem conãtur: non conſiderantes illud, quòd *ſeruire Deo regnare ſit.* Si igitur Deus Abrahæ tantam impertitus eſt benedictionem, ob vnicum actum obediẽtiæ & pietatis in oblatione vnici filij; quid ſperare poterunt à piẽtiſsimo & liberaliſsimo Domino, qui ad verum Sacrificium diuini cultus vocati, mox relictis omnibus ſequuntur eum, in paupertate ſpontanea, caſtitate voluntaria, & obediẽtia non coacta?

Religioſis ſæculo ſeſe abdicantibus multum à Deo ſperandum.

Et ſi Abraham propter vnum oblatum filium, in materiale & figurale ſolùm holocauſtum, tantam gratiam à Deo promeruit; quid parẽtes promerituros putas, zelo pietatis plures filios & filias Altiſsimo Deo, tempore gratiæ in verũ ſpirituale holocauſtum, per aliquem Religioſum Ordinem oblaturos? Elcana & Anna offerunt Deo filium ſuum Samuelem ex voto genitum; & Deus non ſolùm in reciprocam mercedem tres filios, & duas filias eis redonat; verùm & Samuelem filium oblatum Prophetam magnum eligit, 1. Reg. 2.

Zacharias & Eliſabeth, precibus filium Ioannem à Deo impetratum eundem Deo multo fœnore reddunt, nam ita Deus hanc oblationem placitam habuit, vt Ioannem & Filij Præcurſorem, & Prophetam, & Martyrem eſſe voluerit.

Quàm gratam Deus ſibi habeat oblationem filiorum à parentibus liberè et factam.

Denique Ioachim & Anna, filiam BB. Virginem Mariam Deo in templo offerunt; & Matrem Altiſsimi Dei inde recipiunt, &c. Ex quo ſatis patet, quàm gratam Deus ſibi habeat pietatem parentum, filios diuinæ ſuæ Maieſtatis cultui offerentium; quamque acceptum ei ſit filiorum oblatorum obediens obſequium.

Colurus impiorum.

Sed & peccatores, & impij in ſuo Coluro (ſæculi ſcilicet & impietatis) iam mirè exaltãtur; tùm profundiſsimè demerguntur, deprimũturque. Hoc Chriſtus Dominus ſatis expreſsit Matth. 11. & Lucæ 10. *Et tu Capharnaum vſque in cælum exaltata? vſque ad infernum demergeris, &c.* Nunquid impius Aman ab Aſſuero rege adeò exaltatus, vt ſecundus eſſet ab eo, tandem cap. 7. Eſther, vſque ad patibulum humiliatus eſt? Quid acciderit impio & ſuperbiſsimo regi Nabuchodonoſor, adeò in ſolio ſuo exaltato, vt à nullo etiam Deorum ſe diiudicandum deiiciendumque crederet, conſule Danielem cap. 4. & miraberis, quî fieri potuerit; vt tam potens Rex, in ſummũ ſolſtitij honoris nempe culmen eleuatus, adeò tamen in Capricorni ſignum depreſſus

&

& à Deo deiectus fuerit, vt velut bos, fœnum cum capricornis & hircis, & reliquis beſtiis comedere, vitamque brutalem multo tempore viuere coactus fuerit. *Abnegantes ergo impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui ſit benedictus in ſæcula.*

ANAGOGE II.

MEMBRVM I.

Duodecim peculiares fructus, ex 7. Donis Spiritus ſancti oriundi; aſſimilantur 12. ſignis Zodiaci.

Inſignis conceptus. VT vniones & margaritæ, etſi in Oceani vaſtiſſimo fundo progenitæ, ob roridam tamen cœlitùs hauſtam materiam, pulchritudinem, formam, & colorem, plus cognationis cum cælo habent (cuius faciem etiam repræſentant) quàm cum mari: ita homo Spiritus ſancti rore Donorum cœlitùs irrigatus, plus cognationis cum cælo, quàm cum terra, ex qua ortus eſt, habere videtur.

Hinc & mens humana Spiritus ſancti fructibus dotata, velut myſticum quoddam cælum, duodecim ſignis coruſcum, optimè à nobis cõcipi poteſt. Vt enim duodecim ſigna in cælo vnico inter ſeſe diſtincta ſunt: ſic duodecim fructus Donorum Spiritus ſancti in cælo mentis & animæ deuotæ piæque, velut ſigna ſpiritualia inter ſeſe diſtincti videntur.

Quod vt demonſtremus clariùs, varij fructus Spiritus ſancti ex ſacris literis colliguntur; quos Apoſtolus ad Galatas cap. 5. verſu 22. enumerat, videlicet *Qui ſint 12. fructus ex donis Spiritus ſancti oriundi.*

1. *Charitas, ad Deum & proximum;* in ſigno Leonis feruido & fortiſsimo.

2. *Gaudium, quod oritur ex conſcientiâ purâ:* in ſigno Arietis ſaltantis, in quo omnia purè cum mundo lætiſsimè creata cenſentur.

3. *Pax, quâ mens nullis paſſionibus turbatur:* in ſigno Geminorum multum pacifico.

4. *Potentia, quâ aduerſa facilè tolerantur:* in ſigno Tauri, ſub iugo onera trahentis.

5. *Benignitas, quâ ſuauitas in moribus acquiritur:* in Aquario ſuauiter fluente.

6. *Bonitas, quâ proximo omne & ſummum bonum deſideras, & offers quod potes; etiam cum tuo incommodo:* in ſigno Cancri ſummo & retrogrado.

7. *Longanimitas, quâ patienter præſtolaris venarisque omnia;* in Sagittario.

8. *Manſuetudo, quâ efficeris lenis & tractabilis;* in Piſcibus maximè tractabilibus.

9. *Fides, cuius aculeo omnes erro-*

res enecas ; in Scorpione.

10. *Modeſtia, quâ omnes externæ tuæ actiones moderantur*; in Capricorni ſigno morigeratiſsimo.

11. *Continentia, ſiue temperantia, quâ vitam in moderato, & mediocri cibo & potu, ab omnium vitiorum illecebris cuſtodis*: in ſigno Libræ moderatiſsimo.

12. *Caſtitas denique, quâ animum & corpus ab omni luxuriæ næuo tucaris*; in ſigno Virginis.

Hi ſunt duodecim Spiritus S. fructus præcipui; operibus duodecim ſpiritûs carnis, eodem loco ab Apoſtolo enumeratis, oppoſiti; ſcilicet ſpiritui *Fornicationis, Immunditiæ, Impudicitiæ, Luxuriæ; Idolorum ſeruitutis; Veneficiorum; Inimicitiarum, Contētionum; Æmulationū, Iræ, Rixæ; Diſſenſionum, Sectarum, Inuidiarum, Homicidiorum, Ebrietatum, & Commeſſationum; & his ſimilia, &c.*

MEMBRVM II.

De Charitate in particulari.

Quid ſit Charitas.

IAm Charitatem ritè in ſigno Leonis à nobis locari demonſtrabimus: *Charitas enim nil aliud eſt, quàm mutuus amor hominis ad Deum,* ſiue ad *Leonem de Tribu Iuda.* Nam ſicut leo anteriori corporis parte, ad medietatem vſque iubatus, cincinnatus, & maximè crinitus; poſteriori verò quaſi raſus eſt; ita Charitas duplex eſt: iubata, cincinnata, & quaſi inflammata ad Deum vna (ſunt namque iubæ, & cincinni leonum ferè ſimiles flammis) plana & raſa (hoc eſt ſincera, & aperta, nullo fuco obducta) ad proximum altera.

Charitatis cum leone comparatio.

Hæc bipartita Charitas, etiam binis leonis oculis ignem quaſi ſpirantibus repræſentari videtur: quòd perbellè denotari cenſetur, Iſaiæ 31. *Cuius ignis* (id eſt Charitatis) *in Sion* (hoc eſt in ſtrepitu, & aceruo hominum exiſtentium in viâ) *& caminus* (flammæ ſcilicet Charitatis Dei) *in Ieruſalem* (hoc eſt in viſione pacis, & patria æterna, quibus gemina Charitas, Dei & proximi ſignificari videtur.

Conceptus notabilis.

Deinde ſicuti leo caudâ ſuâ veſtigia poſt ſe delet, & puluere operire ſolet ne à venatoribus videantur, & ipſe capiatur: ita *charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Pet. 4. Et Prouerb. 10. *Vniuerſa delicta operit charitas*, vtpotè vera veſtigia hominis animalis; ne à venatore diuinæ iuſtitiæ comprehendatur, *& in carcerem mittatur ſcilicet non inde exiturus, donec reddiderit vltimum quadrantem*, Matth. 5.

Alius conceptus de Charitate.

Iterum charitatem leoni non eſſe abſimilē vel inde patet. Nam ſicuti leo catulos forti & terribili ſuo rugitu de non vita ad vitam excitat: Ita charitas de morte nos ad vitam reuocat: Optimè enim S. Ioannes 1. epiſtolâ ſua cap. 3. *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui enim non diligit* (id eſt, qui non eſt verus catulus huius diui-

næ

næ leçnę charitatis) *manet in morte.*

Conceptus de fortitudine Charitatis.

Tandem charitas in fortitudine leoni non adeò abſimilis videtur. *Nam fortis eſt, vt mors dilectio*, Cant. 8. Nil enim fortius morte, & leone; mors autem tam fortis & potens eſt, vt etiam valeat ſeparare. illam ſocietatem ex primâ hominis conditione aliàs indiſſolubilem, videlicet animæ & corporis: deinde & multi etiam amoris æſtu mortui ſunt. Ergo & charitas fortis vt leo, &c.

Talis fuit dilectio & charitas, *Leonis Iudæ* Chriſti Dei noſtri; nam non mors (quæ nullum de iure obtinuit imperium in eum, vtpotè qui mortis opus peccatum nunquam impleuit) ſed potiùs charitas effecit iſtam ſeparationem ſacratiſsimæ animæ, & corporis Chriſti, &c. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum daret, &c.*

Deinde vti Leo eſt caput, & rex omnium animalium; ita charitas eſt regina omniū virtutum: ait enim Apoſtolus 1. Corint. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.* Et S. Auguſtinus hom. 7. ſup. Ioan. *Radix*, inquit, *omnium bonorum eſt charitas.* Huic accedit S. Gregor. in hom. 27. *Multi*, ait, *rami ex vnâ radice prodeunt: ſic multæ virtutes ex vna charitate generantur: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis.*

Leonis naturam erga hominem valdè benignam eſſe, neque vllo modo, niſi ad iram concitatus homini nocere, plurima exempla conuincunt: Ex quorum numero vnū adduxiſſe ſufficiat, quod refert Plinius lib. 8. videlicet mulierem quādam Getulam nomine in ſilua fortè fortuitò leoni obuiam factam, eum ita precibus placaſſe, vt nullo modo eam attigerit, &c. Quin & mira de leonis erga homines benignitate & liberalitate leguntur in vitis Patrum, qui haud rarò leonum ſolicitudine, curâ & prædâ ſuſtentabantur, &c.

Exemplum de leonis erga homines manſuetudine.

Ita reuerà charitate mens humana prædita, non modò nemini nociua, ſed omnibus etiam ſtudioſa, erga cunctos beneuola eſt. *Charitas enim benigna eſt, non irritatur; non quærit quæ ſua ſunt, non cogitat malum; congaudet autem veritati, &c.* 1. Corinth. 13. Eſt ergo charitas non ſolùm Deo, ſed & hominibus verè amica: *operitque multitudinem peccatorum*, non ſolùm propria, ſed & aliorum, tegendo, extenuando, ſilendo, excuſando, & condonando: in quo & Deo ſimillima ſanè, *cuius miſericordia ſuper omnia opera eius.* Pſal. 144.

Charitas in quo Deo ſimilis.

Agit quoque Charitas vt inimicorum in nos iniuriarum technas & tela eiaculata, non tam patienter toleremus, quàm benignitate & beneuolentiâ compenſemus. *Charitas* enim vera *non agit perperàm, ſed patiens eſt, omnia ſufferendo, omnia ſuſtinendo.* Nullum malum malo reciprocando, ſed cun-

ƈta bono compenſando: vtporè ita inſtructa à Chriſto Magiſtro charitatis: Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos.*

Signum quo quis ſciat, quantum à Deo diſtet infallibile.

Bone Deus! ſi nedum amicum, & proximum tuum verè diligere didiciſti, aut amare noſti; quomodò iam odientes & perſequẽtes te diliges? crede, tantũ te adhuc diſtare à Charitate & Deo (quia Deus charitas eſt) quantũ diſtas à dilectione inimicorum tuorum; diſtas autem immenſo ſpatio ab hac; ergo & ſimiliter infinito ab illâ. Iam ſi tantùm diſtas à Deo, quantùm diſtabis ergo à cælo & ſpe beatitudinem acquirendi? diſtas autem ſemper à dilectione inimicorum, ergo ſemper à Deo; ergo ſemper à cælo. Nam ſi velis aſsimilari olim Deo in patria, iuxta illud: *Ego dixi dij eſtis & filij Excelſi omnes*; hîc priùs ei te conformem & ſimilem fieri neceſſe eſt; in quo? non in potentia creatrice, non in ſapientiâ exceſsiuâ; ſed in perfectione charitatis & dilectione inimicorum; quia ipſe benignus eſt: *ſuper ingratos & malos*, Luc. 6. Quòd ſi & tu egeris, inimicos tuos propter Deum diligendo, eiſque benefaciendo, & mutuum gratis dando, tunc *mercedem tuam multam in cælis, & filium Altiſsimi* futurum te ſperare poteris & non priùs.

Quâ menſurâ quis valeat metiri diſtantiam ſui à cælo, & Deo.

Vide ergo quantùm inimicos tuos diligas, quantùm gratis benefaciendo & mutuum dando proficias; & hac menſurâ non ſolum diſtantiam tui à cælo; ſed & mercis tuæ in eo futuræ quantitatem, aut nullitatem quoque menſurare & dimetiri exactè valebis, &c.

Sanè charitatis Dei & proximi duo illa diuina præcepta, non modò binis ignitis leonum oculis adumbrari; verùm & duobus Cherubim Exodi 5. ſeſe mutuò reſpicientibus; ſiue duabus alis, aquilæ illius magnę, Apoc. 12. mulieri ſole amictę cõceſsis ſignificari vidétur. Quid enim aliud eſt illa mulier *amicta ſole*, quàm anima *amicta ſole* ſcilicet iuſtitiæ, hoc eſt gratiâ, & meritis Chriſti, *ſub cuius pedibus luna* (id eſt ſãctæ Matri Eccleſiæ innititur) *in cuius capite ſtellæ duodecim* quid aliud ſunt quàm illi 12. fructus Spiritus S. ſuprà enumerati? Quibus enim aliis anima in deſertum (vitæ ſpiritualis) fugit declinatve à ſepticipite ſerpente, & dracone (7. ſcilicet vitiorum capitalium) quàm duabus aquilinis illis alis, altiſsimè volitantibus, charitate nempè Dei & proximi?

Quid per illam mulierem amictam ſole denotetur.

Duæ alæ animæ.

Et quid illi duo Cherubim alis ſuis propitiatorium, Exodi 25. tegentes aliud denotant; quàm duo præcepta charitatis Dei & proximi, animam, verum Dei propitiatorium tegentes; ſine quibus nihil eſt quidquid eſt.

Mira proprietas leænæ.

Denique admirabilem leænæ Ariſtoteles & Plinius proprietatem in generationis ordine enumerant.

meranr. Aſſerendo leænam toto curſu vitæ ſuæ, nunquam plures quàm 15. catulos parere: Er primo quidem anno quinque, ſecundo quatuor, tertio 3. quarto duos, & quintò vnum ſolummodò: tùm verò omnino ſterileſcere ceſſareque à partu.

Conceptus. Sanè ſi illos præcipuos 15. fructus charitatis, quos Apoſtolns 1. Cor. 13. enumerar, penitiùs inſpiciamus, iterùm charitatē haud leænæ abſimilem videbimus: nam vt leæna 15. catulos producit: ita Charitas 15. Spiritus ſancti fructus generat: enimverò vt Apoſtolus ait:

Charitas patiens eſt: contra contentioſos & impatientes.

Benigna eſt, contra faſtidioſos, duros & ſubdolos.

Non æmulatur, aut inuidet: contra ægrè ferentes alterius bonum.

Non agit perperam, non eſt procax: contra diſſolutos moribus.

Non inflatur, aut extollitur: contra ſuperbos & elatos animo.

Non eſt ambitioſa, aut faſtidioſa: contra ambitioſos, & aliis moleſtos.

Non quærit quæ ſua ſunt: contra illos qui proprio ſolùm commodo ſtudent.

Non irritatur: contra iracundos vt montes ſubitò fumigantes.

Non cogitat malum: contra contumelioſos & mala machinantes.

Non gaudet ſuper iniquitate: contra eos qui in malis gaudent habere ſocietatem.

Congaudet autem veritati: contra mendaces & inuidos.

Omnia ſuffert, ad exemplum iniuſtè oppreſſorum: contra oppreſſores.

Omnia ſperat: contra eos qui facilè animo cadunt.

Omnia credit: contra infideles, incredulos, & hæreticos.

Omnia ſuſtinet, & nunquam excidit: contra ſeditioſos & leues corde. Vides 15. proles inſignes pulcherrimoſque charitatis? adeoque reuerà omnium virtutum fons in vna charitate latere, & ex vna charitate promanare videtur. Vide S. Gregorium lib. 10. Moral. cap. 8. quàm inſigniter hic S. Doctor in rem noſtram charitatis proles iam enumeratas expendat.

TROPOLOGIA

Ad Charitate carentes.

CVm igitur Charitas ſit virtutum moralium excellentiſsima, aliis Theologicis virtutibus etiam præſtantior, vtpotè Deum ipſum in ſe attingens; cuncta imperfecta ex anima præſcindens; omnes perfectiones afferēs: Denique ſola cum fide & ſpe, ad ſuperos ſuos cultores eleuans æternùmque beans: Sanè mirum & ſtupendum eſt, nos tam frigidè & tepidè eam inſectari; quin & nihil aut parum de eâ cogitare aut curare. Quod argumento certè haud exiguo eſſe videtur, in ea

iam

iam nos infelices, miſerrima incidiſſe tempora, quibus *refrigeſcit Charitas multorum.* cur hoc? *quoniam abundat iniquitas* cunctorum, &c.

O pulcherrima virtutum Charitas, indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie; ô Charitas, vera Eua & mater omnium virtutum; *è latere veri Adæ, Chriſti Ieſu educta*, vbi manes abſcondita? *Vbi cubas in meridie?* Ecce te quæro in aula, & nemo te nouit; te quæro inter magnates, Principes, & nobiles, & pauci te nouerunt; perluſtro prouincias, vrbes, & pagos; & vix vmbram tui reperio: perſcrutor habitacula pauperum, & diuitum; & ibi quidem multum amorem ſui; pauca verò veſtigia tui inuenio. Perquiro hoſpitalia & clauſtra; & te in multis abſentem, aut non integrè præſentem inuenio; *Indica ergo mihi quem tantoperè diligas*, vt *ibi ſolùm paſcas? ibi ſolùm cubes?* ibi ſolùm maneas noſque ita deſtituas?

Charitas paucis in locis verè reperitur.

Ego in altiſſimis habitaui (non in nugis & vanitatibus ſæculi) *& thronus meus in columna nubis* (non terreſtribus, ſed altioribus interſum conſiliis) *gyrum cæli circuiui* (cùm in terrâ ſpreta ſim) ideò etiam *omnium excellentium, & humilium corda* (me ſpernentium) *virtute calcaui* & dereliqui, quia *in his omnibus requiē* (habitationem) *quæſiui, &* (eò quòd non inuenerim,) *in hæreditate Domini* (verè ſcilicet Deum amantium cœtu) *morabor, & in electis eius mittam radices, & in populo honorificato* (Deum honorante) cuius hæreditas iam eſt in conſpectu Dei mei, *radicabo.* Eccli. 24.

O Deus! ſi Charitas ergo iam eſt adeò remota, adeò elongata à mortalium cœtu, quæ tamen eſt ipsâ luce clarior, ipſo igne ardentior; quomodo, aut vbi reliquæ virtutes parebunt? Heu nos miſeros! Patrem noſtrum innocentiſsimum, & amātiſsimum *Filium Dei* indies vitiis noſtris crucifigere denuo non ceſſamus. (Heb. 6.) matrem autem (charitatem) ſanctiſsimam expellere, inque exilium agere non erubeſcimus! Quot enim hodie pro auro charitatis amplecti putas ſtercora tenebrarum harum? An ignoras illud Thren. 4. *Qui veſcebantur voluptuosè interierunt in viis: qui nutriebantur in croccis, amplexati ſunt ſtercora?* Nempè à charitate exciderant, nec ad eam redire ſtuduerant.

Hinc meritò conqueritur & magnoperè minatur Dominus exercituum: Ezech. 22. *Fili hominis; verſa eſt mihi Domus Iſraël in ſcoriam, omnes iſti æs* (id eſt duræ ceruicis homines) *& ſtannum* (adulteratè quaſi & fictè albi, ſeu boni) *& ferrum* (peccatis ſcilicet indurati) *& plumbum* (pigri videlicet, & peccatis grauiores omni plumbo) *in medio fornacis ſcoria* (ſiue recrementū inutile) *facti ſunt. Propterea hæc dicit Dominus Deus; eò quòd verſi eſtis omnes in ſcoriam* (hoc eſt à charitate ad vitia, & vias ſæculi defeciſtis)

Terribilis comminatio Dei ad eos, qui charitate exciderunt.

ciſtis.) *Ecce, ego congregabo vos in medio Ieruſalem; congregatione argenti, & æris, & ſtanni, & ferri, & plumbi, in medio fornacis* (inferni ſcilicet, aut certè purgatorij) *vt ſuccendam in ea ignem ad conflandum: ſic congregabo in furore meo, & in ira mea, & requieſcam. Et conflabo vos* (peccatores) *& congregabo vos, & ſuccendam vos in igne furoris mei, & conflabimini in medio eius; vt conflatur argentum in medio fornacis* (heu quãtus igitur ignis ad talem conflationem requiretur!) *Sic eritis in medio eius: & ſcietis* (ſed nimis ſerò) *quia ego Dominus, cùm effuderim indignationem meam ſuper vos.*

Igitur ô bona & dulciſsima mater Charitas, quæ Deum homini, & hominem Deo reconcilias; quæ terreſtria & cæleſtia pacificas: quæ ſiue foueas infirmos, ſiue exerceas prouectos, ſiue arguas inquietos, diuerſis diuerſa exhibens; mitis tamen ſemper manes; quæque in blandiendo, pieque ſæuiendo ſimplex es; in ira patiens, in indignatione humilis; in correptione denique benigniſsima; ne obſecro nos miſellos *proiicias omnino à facie tua: ſed veni, noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ: veni* Domina amantiſsima, *veni, & viſita vineam noſtram; veni de Libano,* candidiſsima, veni, ô virtutum obſtetrix; vitiorum necatrix; pugnantium virtus, palma triumphantium; quies, concordia & tranquillitas mentium; ſocietas electorum, fide concepta, ſpe nu- *Charitatis inſignia encomia.*

trita: Veni *ſalua nos & ſalui erimus;* libera nos & liberati ſumus.

MEMBRVM III.

De gaudio in particulari.

ETſi multiplex ſit gaudium, nos tamen potiſsimùm hîc de gaudio illo acturi ſumus, quod non de aliquo bono creato, ſed ipſomet creatore cõcipitur; quodque poſt charitatem inter 12. fructus Spiritus ſancti numeratur. Quo quidem modo gaudium nil aliud eſt, *quàm complacentia, tùm in diuino ipſius Dei bono, tùm etiam in bono proximi.* *Verum gaudium quid.*

Hinc D. Hieronymus in cap. 5. epiſt. ad Epheſios, ex Euangelio ſecundùm Hebræos, illam Chriſti ſententiam affert: *Nunquam læti ſitis, niſi cùm fratrem videritis in charitate.* Item, *qui ſeminat, & qui metit gaudet.* Et *qui ſeminant in lachrymis in exultatione metent.* Pſal. 125.

Vnde haud incongruè nos gaudiũ in Arietis ſigno collocaſſe, vel inde patet: quòd ſicut aries bis in anno dicitur mutare latus in dormiendo: ſic anima verè hoc Spiritus ſancti Dono dotata; primò ipſius Altiſsimi contemplatione, ſuauiſsimo gaudij ſopore ſopita, quaſi in dextro latere conquieſcit. Hoc gaudij ſopore Dauid pſalm. 76. quieſcebat. *Renuit conſolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus ſum; & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.* Et iterùm Iſa. *Conceptus de gaudio.*

61. *Gaudens gaudebo in Domino; & exultabit anima mea in Deo meo.*

Deinde anima gaudio Spiritus ſancti ſuffuſa; latus quaſi mutat, à dextra ſcilicet ſeſe vertendo in ſiniſtram; dum nempè non tãtùm de ſuo, ſed & proximi bono intrinſecè iubilando & gaudendo, ſuauiter obdormit. Vide quàm inſigniter & appoſitè hanc ſiniſtri lateris mutationem, & obdormitioné gaudij, ob proximi bonum ſcilicet orti expreſſerit Iſaias 29. *Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto exultabunt: quoniam defecit qui præualebat; conſummatus eſt illuſor, & ſucciſi ſunt omnes, qui vigilabant ſuper iniquitatem: qui peccare faciebant homines in verbo: & arguentem in porta ſupplantabant, & declinauerunt fruſtra à iuſto.*

In hoc ſiniſtro latere gaudij (nempè de proximi bono exultando) ſuauiſsimè etiam recubuit D. Ioan. cap. 3. *Gauiſus ſum valdè venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ, ſicut in veritate ambulas. Maiorem horum nõ habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare, &c.*

Iterum anima, in latere gaudij fruitioniſq; ſui proprij boni, haud exiguè internè conquieſcit, quaſi in latere ſiniſtro. Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælo.* Et iterum Lucæ 10. *Gaudete quòd nomina veſtra ſcripta ſint in cælis, &c.* Quod autem anima gaudij dono à Spiritu ſancto repleta, modò in dextro latere cumbat (nepè gaudium de Creatore concipiendo) modò in ſiniſtro conquieſcat (videlicet de proximi bono lætando) affirmat S. Bernardus in quodam Sermone: *Illud*, inquit, *eſt verum ac ſummum gaudium, quod non de creatura, ſed de Creatore concipitur, quod cùm acceperis, nemo tollet à te; cui aliundè comparata omnis iucunditas mæror eſt: omnis ſuauitas dolor eſt: omne dulce amarũm eſt: omne decorum fœtidum eſt: poſtremò quod delectare poteſt, moleſtum eſt, &c.*

In quibus maximè nobis fit gaudium.

Tandem de gaudio alterius lateris (hoc eſt quod de proximi bono prouenit.) idem D. Bernardus in Cant. Serm. 49. loquitur: *Gaudendum in bono alieno magno magis eſt, quàm in proprio paruo.*

Alteram arietis proprietatem aiunt eſſe, quod in capite ipſe geſtet vermem, quo excitatur ad generoſitatem, ad reſiſtendum omni ſibi obuenienti duro, &c. Profectò gaudiũ in hoc denuo haud abſimile arieti videbitur; ſi conſideremus quidnam verum gaudium geſtet in fronte: quippe nil aliud, niſi eum, qui Pſalm. 21. non erubuit ſe dicere vermem: *Vermis*, inquit, *ſum & non homo*: ſine Chriſto enim nullum poteſt verum eſſe aut ſubſiſtere gaudium; hic vermis ſanctiſsimus excitat plenum gaudium in animâ ad reſiſtendum omni duro, ſcilicet diabolo, carni & mundo, &c. Vnde benè Dauid pſal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Et Propheta Baruch cap. 3.

Conceptus elegans.

iam

422

iam ante Chriſtum etiam natum, hunc ſacroſanctum vermem in fronte gaudij ſui geſtabat: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo, &c.* Si itaque ille SS. *vermis Iacob*, antequàm in carne veniſſet, tantam vim habuit excitandi gaudium in corde Prophetæ; quid obſecro virtutis obtinebit modò, poſt ſuam ſcilicet incarnationem tempore gratiæ in anima eius ſanguine redempta?

Sine Chriſto nullum verum gaudium. Probatur autē eum nullo modo verè poſſe gaudere, qui hunc SS. *vermem Iacob* Iſaiæ 41. (hoc eſt Ieſum Chriſtum) non in ſua gaudij fronte ſemper præfixum gerit: *Nam ſine me* (inquit ipſe Chriſtus) *nihil poteſtis facere.* Si nihil Domine, ſine te poſſumus facere, quomodo ergo verè ſine te poterimus gaudere? & tamen mundus ſine te gaudens, verè ſe gaudere putat, &c. At gaudium quidem verum promittit hic SS. *vermis Iacob* Chriſtus Ioan. 16. ſed non ſine præuiâ mæſtitia: *Amen amen dico vobis*, inquit, *quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos verò contriſtabimini; ſed triſtitia veſtra conuertetur in gaudium.* Quando, vel quomodo Domine? tūc vtique quando *iterum videbo vos, gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, &c.* Itaque *petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum, &c.*

Denique admirandum quidpiam de natura arietis narratur: videlicet eum ſub linguâ habere quaſdam venas; quæ nempè ſi albæ ſint denotent eum generare agnos albos; ſi nigræ, nigros, ſi variæ, varios: econtra, ex agnorum filiorum colore, facilè etiam cognoſci arietis parentis, ſub lingua exiſtentium venarum colorem; ita vt ſi nigri ſint agnelli, nigras parentis linguares venas denotēt; ſi albi, albas; ſi denique varij, varij etiam eſſe coloris arguant.

Iam gaudium diximus eſſe fructum è duodecim fructibus ſeptem Donorum Spiritus ſancti; *Conceptus notabilis.* adeoque gaudium haud aliud erit ac riuulus, ſeu vena à Spiritus Dei ore emanans. Vnde benè illud hîc quadrare videtur: *Ego ex ore Altiſſimi prodiui*, Eccleſ. 24. Igitur vena gaudij, ſi fuerit ſub linguâ mentis, & animæ cādida, alba & ſimplex; proculdubio optimos & candidos fructus bonorum operum in homine denotat: ſi verò nigrore ſæcularis gaudij variegata, certo ſigno eſt, fructus talis hominis non eſſe adeò puros candidoſque, ſed varios, variis maculis humanis fœdatos. Denique ſi fuerint penitus nigræ venæ gaudij ſub lingua cordis tui, hoc eſt, omnino vanæ, tùm euidentiſsimo argumento eſt, te non dignos fructus pœnitentiæ agere, aut generare; ſed tales, quales penes ſtagnum Sodomorum generantur, fructus proferre: videlicet plenos fœtore peccatorum; plenos puluere vanæ gloriæ, ſuperbiæ, & vanitatum; plenos denique nigrore iniuſtitiæ, &c.

Et econtrà, venis veri gaudij ſpiritualis bonos fructus, intrinſecum candorem, & verum alborem conſcientiæ in anima denotari, indubitatum eſt, prout ex malis nigror conſcientiæ, & vani gaudij concluditur. Denique ex operibus & fructibus mixtis, ſcilicet partim bonis, partim malis; mixtum etiam & varium intrinſecum gaudium, & conſcientiæ candor variegatus colligitur: Id quod ab ipſomet Verbo veritatis confirmari videtur, Matth. 7. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Item Matth, 12. *Ex fructu arbor agnoſcitur, &c.*

Quem vermem geſtēt in frontibus peccatores.

Iam vice verſâ alium vermem geſtant peccatores in frontibus mentium ſuarum, videlicet vermem malæ conſcientiæ, qui eos perpetuò corrodit, neque verè gaudere ſinit, iuxta illud Iſaiæ 66. *Vermis eorū non morietur*: quem quidem vano gaudio huius ſæculi nugarum & vanitatum conantur quidem ſupprimere & quietare, ſed fruſtrà, &c.

Bene Iob cap. 24. *Dulcedo illius vermes.* Et lib. 2. Mach. cap. 9. *De corpore impij vermes ſcaturiunt, &c.* Sed omnium optimè Ibi. 1. Mach. cap. 2. vermem peccatorum innuit Scriptura, & qualis ſit deſcribit. Nam *Gloria*, inquit, *eius* (peccatoris) *eſt ſtercus & vermis*: rectè quidem; nam vermes ſemper ſterquilinium ſequuntur: cùm ergo peccatores in hac vitâ adeò animas ſuas ſterquilinio peccatorum commaculent, ita vt nec infernali igne ſint ab eo purgandi, mundandiq́ue; mirum non eſt, vermes etiam in inferno eos ſequi, quos in vitâ genuit mala conſcientia eorum, qui Marci 9. & Iſaiæ 66. *nunquam moriuntur.*

Denique *dixerunt impij cogitantes apud ſe non rectè: exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, &c. Venite ergo & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creaturâ, tanquam in iuuentute celeriter: vbique relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ; quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc ſors noſtra, &c.* Sap. 2. Sed videamus nūc mercedem talis gaudij impiorum. *Tenent tympanum & citharam,* inquit Iob. 21. *& gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, &c.*

TROPOLOGIA, ET

DIGRESSIO

Contra vanum gaudium & ſuperbiam ſæculi, maximè mulierum, &c.

O Deus! quot hodie effundunt ſe totos in riſum lætitiæ, ſæculariſq́ue gaudij! plus gaudij ſcilicet de aureo torque, de annulo, gemmâ fulgente, de pectorali, lapidibus pretioſis diſtincto capientes, quàm de ipſo ſummo Bono, conſcientiâ purâ, & pectore

Vitia fœmi-narum.

ctore nullâ peccati aſpergine fœdato. In hoc vitio vani gaudij maximè fœminæ notantur; neque enim vnquam *eſt finis acquiſitionis earum, &c.* vt namque in vanitatibus, & ſuperbiis enutriantur, & ita enutritæ in iis à viris ſuis foueantur, ita ſunt ſtudioſæ, ita ſollicitæ, vt mille artibus quidquid vana delectatio dictat, quidquid ſuperbia perſuadet, à viris obtinere extorquereque haud neſciat, adeò vt hoc modo planè merum, & verum in viros imperium obtineant, &c. Id quod reuerà eſt indigniſsimum in viro, velut imagine Dei & Chriſti Ieſu Filij eius: ſubuertitur namque tam præpoſtero, & adulterino ordine, ordo ipſius altiſsimi Dei: qui Gen. 3. Non viro dixit: *ſub poteſtate mulieris eris, & ipſa dominabitur tui, &c.* Sed mulieri, vt palàm eſt. Cur ergo viri tãtopere excæcati ſunt hodie quod à Deo ſibi datum priuilegium, non modò non cuſtodiant, verùm inſuper ſeſe ſpontè mulieris imperio duriſsimo, & intollerabili ſubdant? eius inquam à quâ Eccl. 10. *peccatũ duxit initium: & per quam omnes nos viri morimur, &c.*

Profectò optimè D. Auguſtin. libr. 8. Soliloquiorum. *Nihil eſſe,* inquit, *ſentio quod magis ex arce deiiciat animum virilem, quàm blandimenta fœminæ, cordiumque ille contractus, ſine quo vxor haberi non poteſt.* Et iterùm idem D. Doctor in quæſtion. ex vet. Teſt. *Mulier nec docere poteſt, nec teſtis eſſe, nec fidem dicere, nec iudicare, quantò magis non poteſt aut debet imperare.* Hæc velim notari ab effœminatis quibuſdam; qui & ſui, & ſuorum omnium imperium vxoribus, pro vaniſsimâ mercede complacentiæ reciprocant, venduntque; nec non virilem à Deo datum honorem adeò proſtituũt, commaculant, & denigrãt. E contrà ita imperium fœminarum, ſibi ſuperinducunt, vt nil ipſis ampliùs deeſſe videatur, quàm vt etiam ſub virili habitu, fœmininum hominem latitantem, & à fœminis turpiter mercatum, defædatumque, tandem etiam fœmininis veſtimentis cõtegant, aut potiùs prodant. Vnde benè Iſidorus: & habetur 30. qu. 5. Fœminæ: *Fœminæ,* inquit, *dum maritantur, ideò velantur, vt ſe nouerint ſemper maritis ſuis eſſe ſubditas, & humiles;* ſed non è contra, &c.

Aurea ſententia Auguſtini contra imperium fœminarum in viros.

Notatu digna.

At quòd hodie totum contrarium fiat, meritò Dominus Deus grauiter conqueritur apud Iſaiam cap. 3. his verbis. *Populum meum* (viros ſecundùm imaginem meam creatos) *exactores ſui ſpoliauerunt; & mulieres dominatæ ſunt eis, &c.*

Sed iam audiamus ſententiam Domini, eodem mox loco contra fœminarum audaciam, & ſuperbiam latam: *Et dicit Dominus, pro eo quòd eleuatæ ſunt* (plus iuſto à viris, vt hodie prô dolor! vbique videre eſt) *filiæ Sion; & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibãt & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis & compoſito gradu incedebant* (quam

bene depinguntur mores fœminarum noſtri æui!) *decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit*(ô iuſtam & proportionatam pœnam!) *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes* (nunquid & ex auribus defluentes?) *& mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſyndones, & vittas, & theriſtra*, &c. Neſcio profectò, an etiam acu quis fœminarum noſtratiũ ornamenta hodierna, nugaſque & vanitates, magis depingere potuiſſet, quàm hîc Spiritus ſanctus per Prophetam deſcribit.

Notanda pro fœminarum luxu.

Sed quid? itáne totaliter pauperes fœminæ remanebunt ſpoliatæ & denudatæ? minimè, verùm aliis è contra à Domino induentur: quibus ergo? Quippè *erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium*, &c. *Viri autem*(qui talia fœminis permittunt & cõcedunt, ſeſeque ita mulierum imperio ſubiiciunt) *gladio cadent, & fortes in prælio peribunt*, &c. Ita Dominus Deus exercituum, terribilis, & zelator honoris virorum, fortis & iuſtus, &c.

Hæc bene velim notata, tùm à viris, cùm & à fœminis, quorum profectò neque hæ, neque illi iudicia Dei effugient, at nec comminationes terribiles ab altiſsimo eis ſuprà fulminatas, niſi emendati euitabunt. Si namque viri iuſtum ſuum imperium manutenerent ſibi, & nonnihil fœmineos inordinatiſsimos impetus, inque omnem luxum proniſsimas furias retraherent, cohiberentque; profectò inde fieret, vt infinitæ ſuperbiæ, vanitatumque exorbitationes, fœminis hodie familiariſsimæ contra conſciẽtiam, & ipſum Deum pugnantes, prohiberentur euitarenturque.

Audiant eiuſmodi viri D. Auguſtinum in li. Gen. & habetur in 33. qu. 5. *Eſt ordo*, inquit, *naturalis in hominibus, vt ſeruiant fœminæ viris, vti & filij parentibus, quia in illis hæc iuſtitia eſt, vt ſeruiat minor maiori.* Et iterùm S. Ambroſius ſupra primam epiſt. ad Corinth. *Mulier debet velare caput, quia nõ eſt imago Dei, ſed vt viro oſtendatur ſubiecta, & quia præuaricatio per illam inchoata eſt, hoc ſignum debet habere in Eccleſia, propter reuerentiam epiſcopalem, &c. Et propter peccatum originale, ſubiecta debet videri.*

Idem S. Ambroſ. in Hexam. in tract. diei 4. & habetur etiam qu. 5. vocabulo *Adam*: *Adam*, inquit, *per Euam deceptus eſt, non Eua per Adam: quemque vocauit ad culpam mulier, iuſtum eſt vt iam in gubernationem aſſumat; ne iterùm fœmineâ facilitate labatur*, &c. Addo ego, & ſimul denuò virum in perniciem pertrahat. Vt autem viri ſibi vxoribusque ſuis magis proſpiciẽdi cauendique

diq́ue habeant occaſionem, eaſque à nimio luxu & ſuperbia, *quæ militant aduerſus animam*, & ipſum Deum auertendi, maiorem animũ induant, placuit D. Chryſoſtomi ſententiam in ſermone de decollatione S. Ioannis Baptiſtæ, hîc pro coronide, non fœminas bonas ſpernendi, quod abſit: ſed malas tantùm cohibendi cauſâ ſubnectere.

„ Quid quis dicat, inquit, aut „quomodo quis enarret mulierem „illam crudelem & malitioſam? „ego quidem exiſtimo nullam eſſe „in hoc mundo beſtiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter „quadrupedia leone ſæuius? ſed nihil hâc ferocius. Quid inter ſerpentes dracone acrius? nec hic „quidem cum muliere mala conferri poteſt. Nam leo & draco in „malo inferiores ſunt. Danielem „leones in lacu veriti ſunt: iuſtum „verò illum Naboth Iezabel interfecit. Cetus Ionam in ventre cuſtodiit: Dalila Samſonem dolis & „illecebris, raſo etiam eius capite „deformatumq́ue alienigenis tradidit. Ioannem Baptiſtam in deſerto viuentem, dracones & aſpides ſubditâ feritate tremuerunt; „Herodias verò eidem caput abſcidit; & tanti viri mortem in pretium ſaltationis accepit, &c. O „malum ſummũ, & acutiſsimum „telum diaboli mulier! Per mulierem Adam ab initio in paradiſo „cecidit, mulier ipſum exterminauit. Per mulierem munitiſsimus ille Dauid, ſuum militem innocentem Vriam, epiſtolæ dolo occidendum hoſtibus præſentauit. Mulier ſapientiſsimum Salomonem in præuaricationis ſacrilegium præcipitauit. Mulier fortiſſimum Samſonem raſit, raſumq́ue excæcauit, *imò occidit*. Mulier caſtiſsimum Ioſeph vinculis alligatum in carcerem truſit. Mulier Ioannem totius mundi caput, capite truncauit.

Quid dicam de hominibus? cùm mulier Angelos de cælo depoſuerit? Mulier malitiâ omnes proſtrauit, omnes iugulat, omnes interficit, omnes elidit; mulier impudẽs nemini parcit. Non Leuitam honorat, non Sacerdotem reueretur, non Prophetæ defert. O malum omni malo peius mulier mala! ſiue illa pauper ſit, ſiue diues: ſi facultates habet, cooperatrices ſunt malitiæ ſuæ. O malum intollerabile, vipera irremediabilis, venenum inſanabile mulier mala! ſi iniuriam patitur, inſanit: ſi honorem accipit, extollitur: Si potentis vxor ſit, non ceſſat nocte ac die callidis ſtimulare ſermonibus: blanditur nequiter, & quod vult importuna, rapit violenter. Si pauperem habeat virum, ipſum ad iracũdias & rixas incitare non deſinit. Si vidua ſit, omnes paſsim deſpicit, & ad omnem audaciam ſuperbiæ inflatur. Timor Dei non refrænat linguam ſuam, nec irata, futurum iudicium perſpicit, nec ad Deum attendit. Hæc D. Chryſoſt.

„ſoſt. de malitiâ mulierum; ſan„ctiùs, meliùs, an veriùs, neſcio ſanè.

Huic conſentit etiam S. Petrus Chryſologus ſerm. 127. *Hæc eſt*, inquit, *mulieris antiqua malitia, quæ Adam eiecit è Paradiſi deliciis; hæc cæleſtes homines fecit eſſe terrenos: hæc humanum genus miſit in infernum: hæc vitam abſtulit mundo, propter vnius arboris pomum; hoc malum quod homines ducit ad mortem: hæc pueritiam perdit, iuuentutem allicit: & inquietat mortuam ſenectutem*, &c.

At quanta denique in muliere mala pertimeſcenda, diſce ex verbis Anaſtaſij Nicæni, quæſt. 63. *Quid eſt*, inquit, *mulier? in terra naufragium, animarum exitium, cordis lancea, centrum inferorum*, &c. Vnde benè verſus:

Adam Samſonem, Petrum, Salomonem, Dauidem,
Decepit mulier, quis modò tutus erit?

Quantum verò iam etiam ab oculis, manibus, linguâ, & cantu fœminarum cauendum ſit, ſcitè his verſibus explicatum habes:

Regulus vt viſu, Siren Acheloia cantu,
Et necat affrictu Theſſala ſaga leui:
Sic oculis, manibus, ſic vrit fœmina cantu;
Sic trifidum fulmen, Veſuius eſſe queat.

Etſi verò plerique Auctores, & SS. Patres, in ſequiorem fœminarum ſexum ſæuiant; id tamen non eò fieri intelligendum eſt, vt inde probæ damnari, vituperarique intelligantur; ſed improbas ſolùm & malitioſas hîc notari, ſtringique exiſtimandum eſt. Nam prout Herodiades, Iezabeles, & Dalilæ meritò calamo ſtringuntur: ſic Marthæ, Magdalenæ, Annæ, & Eliſabethæ, ſuas & vtique laudes merentur. Enimuerò (Prouerb. 5.) *Mulier gratioſa inueniet gloriam*, prout malitioſa vituperium & confuſionem. Non eſt verò denique iam noſtri inſtituti, nos in mulierum etiam laudem è contrario effundere; ne ſuperbiendi quodãmodo inde noua illis præbeamus incitamenta. Bonæ namque ſeipſis laudantur, malæ ab omnibus notantur. *Nuſquam enim* (vt ait S. Chryſoſt. hom. 20. in Geneſ.) *catalogum mulierum ſingulariter exarat ſacra Scriptura, ſed potiùs cauet, ne quid ſuperfluum proferat*, &c. Idem & nos obſeruantes hiſce concludimus & calamum ad alia conuertimus.

ANAGOGE III.

De Pace.

MEMBRVM I.

Pacis è Spiritus ſancti 7. Donis profluentem effectum, ſuprà in Geminorum ſigno collocatum, hîc fuſiùs nonnihil proſequi placuit: vtpotè quã à Chriſto ſatore, & ſeruatore noſtro, ex hoc mundo ad Patrem remeante

te, teſtamenti loco accepimus, his verbis: *Pacem meam do vobis; pacem relinquo vobis; non quomodo mundus dat ego do vobis.* Vnde benè S. Gregor. Nazianzen. Orat. de pace: *Pacem,* inquit, *reuereamur; quam nobis hinc diſcedens Dominus quaſi teſtamento reliquit,* &c. Quis namque filiorum legitimorum non omnimodam curam, diligētiam, & modum adhibet, vt patris teſtamentum illæſum ſeruetur, exequaturque? Cùm itaque nos profiteamur filios eſſe Chriſti, æquum eſt, vt etiam teſtamentum eius omni ſolicitudine & curâ obſeruemus, ſeruemuſque; *Teſtamentum,* inquam, *Pacis,* Eccl. 45. Quod dæmon, cane peius & angue odio habet: illudq; euertere continuò ſtudet; quietéq; non tam internam quàm externā nobis ſubfurari indies conatur; eo quòd noſtra pax reuera ſit illi bellum: vt bene expendit Tertullian. lib. ad Marc. cap. 1. *Inueniat,* ait, *vos munitos diabolus, & concordiâ armatos, quia pax veſtra bellum eſt illi,* &c.

Pax nobis teſtamento à Chriſto relicta.

Pacis multiplex diuiſio.

Et verò multiplex eſt pax, vti bene S. Auguſtinus libr. 19. de Ciuitate Dei cap. 13. tradit, videlicet alia corporis; *quæ eſt ordinata temperatura partium.*

Alia animæ irrationalis: *quæ eſt ordinata requies appetitionum.*

Alia animæ rationalis: *quæ conſiſtit in ordinata cognitionis, actioniſque conſenſione.*

Alia pax eſt corporis, & animæ ſimul: *quæ eſt ordinata vita, & ſalus animantis.*

Alia pax eſt hominis mortalis, & Dei immortalis, *ordinata in fide ſub æternâ lege obedientiæ.*

Alia pax hominum, *quæ conſiſtit in ordinata concordia.*

Alia pax Domus, *quæ eſt ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium.*

Similis eſt pax Ciuitatis, reſpectu Ciuium & Magiſtratus.

Alia pax Ciuitatis cæleſtis, *quæ conſiſtit in ordinatiſſima, & concordatiſſima ſocietate fruendi Deo, & inuicem in Deo,* &c.

Aliam denique pacis partitionem tradunt SS. Patres, nempè in pacem perfectā & imperfectam: hæc iuſtorum eſt in hac mortali vmbrâ, illa beatorum in alterâ vitâ; eſtque vltimus finis noſter, in quem S. Auguſtinus libr. 9. de Ciuitate Dei, expendit illud Pſal. *Qui poſuit fines tuos pacem,* &c. quapropter etiam patria cęleſtis, Hieruſalem, hoc eſt viſio pacis, nominari conſueuit.

Nos hac forſan in alium locum remiſsâ pace, priori inſiſtemus, ſcilicet imperfectæ paci iuſtorum in hac vita, quam habent boni primò cum Deo, obſequendo illius voluntati in omnibus: ſecundò cum ſeipſis intrinſecè, reſiſtēdo propriis cupiditatibus; conſentiendo acquieſcendoque Spiritus ſancti inſpirationibus: tertiò denique cum proximo, alendo fouendoque vnionem & concordiam, &c.

De prima pace cæleſtis Hieru-

Pax cæleſtis Hieruſalem. ſalem dicit Iſaias 32. *Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis; & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Iterùm Baruc 5. *Nominabitur tibi nomen tuum, à Deo in ſempiternum. Pax iuſtitiæ, & honor pietatis*, &c.

De pace autem iuſtorum in hac vitâ cum Deo loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 2. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum*, id eſt, qui naturam humanam cum diuinâ in vnâ hypoſtaſi vniuit, &c.

De pace interna, & quiete conſcientiæ ait Dauid pſalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Denique de pace cum proximo, Chriſtus apud S. Marcum loquitur: *Habete pacem ad inuicem*, &c. Et iterùm: *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Ioann. 14.

Pax cur in ſigno Geminorum ponatur. Iam igitur, ſuprà pacis fructũ, ex ſeptem Spiritus ſancti Donis orientem, in ſigno Geminorum collocauimus; vtpotè ſereno valde, aëreo & benigno: deinde quòd Gemini perpetuo conſenſu naturæ, in rectitudine, & ſimplicitate conueniant. Sic ergo rectè & meritò pacis fructus in ſigno Geminorum locatus intelligitur: primò quidem, quòd pax vera nunquam ſit ſola, ſed perpetuò gemellam ſororem, nempè iuſtitiam comitem indiuiduam habeat: vt bene Dauid exprimit: *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Et ex ſuprà citatis Iſaiæ 32. facilè apparet, quàm ſemper coniuncta ſint pax, & iuſtitia. *Et erit opus iuſtitiæ, pax.* Et iterùm Baruc 5. *Nominabitur tibi nomen tuum, à Deo in ſempiternum; Pax Iuſtitiæ, & honor pietatis.* Sunt igitur hæ duæ gemellæ perpetuo, indiſſolubili, indiuiduoque nexu ita copulatæ, ita connexæ & coniunctæ, vt vna ſine alterâ eſſe nequeat. Hinc impoſsibile eſt, vnâ earum gemellarum, verbi gratiâ pace exulante, illicò non & alteram, hoc eſt, iuſtitiam exulare.

Cùm igitur in mundo hodie nulla prorſus pacis ſpicula nobis affulgeant, ſed meræ turbationes nos premant; meræ diſcordiæ affligant: quomodo poſsibile eſt inueniri apud nos iuſtitiam? Quin & adeò pax & iuſtitia ſeſe à nobis, prô dolor, elongarũt, vt non ampliùs in Geminorum, ſed ad ſignum contrarium, videlicet duriſsimum Sagittarium tranſlatæ videantur; dum hæc vbique gladio opprimitur; illa vndique & vndique, duriſsimis bellorum ſagittis & ictibus, non ſolùm ſauciatur, verùm totaliter necatur. Quid igitur inde concludendum? nil aliud, niſi quòd *non ſit pax impiis*, Iſaiæ 8. Impietatis ergo nos argui manifeſtum eſt, quia dum pacem deſtruimus, diſcordias diſſeminamus, reuera impietatis nos reos conſtituimus.

At, inquies, quomodo non eſt pax impiis, cùm tantam ſæpiùs eorum cõcordiam videamus? Reſpondeo; *Qualis ſit pax impiis.*

ſpondeo; eſſe quidem quendam conſenſum impiorum in malum, ad deſtructionem iuſtorum, ſed nullâ ratione in bonum. Talem namque conſenſum, & pacem analogicam & potiùs ferã, quàm veram, ad perdendum genus humanum, inter ipſos etiam dæmones eſſe, indubitatum eſt. Id quod ipſe Chriſtus Dominus expreſsè inſinuare videtur, Matth. 12. *Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & intrantes habitant ibi; & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus*, &c.

Tali etiam pacis fœdere iuncti fuere impiiſsimo, filij Iacob aduerſus fratrem innocentiſsimum Ioſeph conſpirantes, adeò firmo, adeò tenaci, vt neque tempore 20. annorum, patri de venditione Ioſeph conſtiterit, neque ei detecta fuerit. Iterùm Saducæi & Phariſæi, quamuis inter ſeſe diſsidentes, in Chriſti tamen necem omnino vnanimes fuere: iuxta illud Pſal. 70. *Conſilium fecerunt in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius*, &c.

Denique & Pilatus & Herodes, quamuis diſsiderent ab inuicem, cõtra tamen Chriſtum amici fiunt. Idem eſt hodie de hæreticis contra Eccleſiam Romanam; quamuis enim perpetuo ſeſe odio perſequantur mutuò; nullo tamen tempore aduerſus Eccleſiam Catholicam non vniti inueniuntur; vti enim canes, etſi rarò inter ſeſe verè conſentiant; in venatione tamen, & in inſectando ceruos facilè vniuntur atque conueniunt; ita & hæretici perpetuò inter ſe quidem diſsidentes, ſemper tamen vnanimes contra Eccleſiam noſtram inueniuntur, inſtar vulpium Samſonis, caudis inuicem colligatis, meſſes incendentium, &c. Id quod veriſsimum ſignum eſt hæreſeos: ſcilicet impugnantes Eccleſiam Romanam, eſſe de poteſtate illâ, & portis inferorum, nullo tamen modo aduerſus eam præualituris. Sed ad noſtram veram pacem, ſcilicet animæ internam cum Deo, & ſeipsâ redeamus.

Simile.

Quale ſignum hæreticorum.

Signum Geminorum dicitur totum aëreum, ſerenum, iucundum, calidum, & fertile; adeò vt ſol in eo exiſtens, mundo plurimas cõmoditates afferat. Sic pax in Geminis à nobis ſuprà locata, profectò eſt vera ſerenitas mentis, vtpote charitate feruidiſsima, iuſtitiâ fertiliſsima, vt optimè in rem noſtram D. Auguſtin. ſerm. 57. de verbo Domini loquitur.

Elogia Pacis.

Pax, inquit, eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, conſortium charitatis. Hæc eſt, quæ ſimultates tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat: cunctis eſt placida, neſcit extolli, neſcit inflari; hanc qui acceperit teneat, qui perdiderit, repetat (*ô vtinam eſſet ſemel & apud nos reparabilis!*) qui amiſerit

 exqui-

, exquirat: quoniam qui in eâ non , fuerit inuentus, à Patre abdicatur, , à Filio exhæredatur, & à Spiritu , ſancto alienus efficitur: nec ad , hæreditatem Domini poterit ve- , nire, qui teſtamentum pacis no- , luerit obſeruare, &c.

TROPOLOGIA

Ad pacis hoſtes.

QVid ergo fiet de illis, qui nil minùs quàm pacem meditantur? nunquam vel rarò de eâ reacquirẽdâ ſedulò cogitant? quin & ipſas poteſtates portaſque inferorum, ad diſsipandam pacem inuocant. Hoc videlicet illis pertimeſcendum erit, quod S. Auguſtinus ſerm. 169. De tempore comminatur pace deſtitutis. Quippè, *meritũ Chriſtianæ virtutis penitus apud eos iam vileſcere; neque vocabulo filiorum Dei nominandos olim eſſe*, nam ſolummodò *Pacifici beati; & filij Dei vocabuntur*, teſte ipſo Chriſto: *Qui non manet in me* (Rege verè pacifico) *mittetur foras*, &c. *& colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*, &c.

Quid pacis hoſtibus ſit tandem metuẽdum.

Profectò magis religioſos hac in parte fuiſſe olim Romanos videtur, quippè qui adeò pacis amatores, ſectatoreſque fuerunt vt & publicis templis, pacis nomini dicatis, quantùm pacem amauerint, quæſierintve, teſtatum noſtram in confuſionem reliquerint.

Romani veteres pacis ſtudioſi.

Notum namque eſt templum pacis dudum in vrbe ædificatum, & à Veſpaſiano in viâ, quondam ſacra dicta, inſtauratum: cuius & hodie rudera ſatis teſtantur, quantæ fuerit olim ſuperbiæ, adeò vt nullum in vrbe vnquam viſum fuerit ædificium præſtãtius: quod argumento eſt, nil Romanis magis in pretio, quàm pacem fuiſſe. Deinde iterùm in monte Palatino Romæ, fuiſſe quondam templum Cõcordiæ & paci dicatum, auctor eſt Baldus libr. 2. de Roma inſtaurata. Si itaque ipſimet Gentiles ac infideles tantoperè colebant pacem, *Deum pacis* tamen ignorantes; quid nos facere oportebit, teſtamento pacis, ipſiuſque pacis Regis, & Magiſtri Chriſti nomine gloriantes?

At verò non eſt qui conſideret, *qui recogitet corde*, plerique *enim in viam Cain*, homicidiorum & malorum abiiſſe videntur, vtpotè non ea quæ pacis publicæ, ſed quæ ſua ſunt ſectantes. Cumque prorſus impoſsibile ſit, aliquid fieri in rerum naturâ ſine causâ; impoſsibile etiam erit, non certam latere cauſam, quod tot annis perpetuò illud fruſtra circumferamus, optemus, & proclamemus, *pax, pax*, & tamen non ſit vnquam pax. Cauſam igitur huius ſacra Scriptura, Iſaiæ 48. ſatis clarè ſubindicare videtur. *Vtinam*, inquit, *attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua*, &c. & iterùm Baruc 3. *Si in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique in pace ſuper terram*, &c.

Quæ ſit cauſa quòd non ſit nobis pax.

Cùm

Cùm ergo in mediis bellorum, turbationumq́; fluctibus grauiſſimè merſi natemus; neque vnquam pacis litus appellere poſsimus: argumento haud leui eſſe videtur, nos *in viâ Dei* non *rectè ambulare*, neque ſedulò *attendere mandata Domini*: ſed potiùs in exilium pellere amicam & ſororem chariſsimam pacis, *iuſtitiam*, veram ſcilicet & Chriſtianam; pacemque ſine iuſtitia quærendo, *in viam Gentium* quaſi *abire* (nam & Cain profugus pacem quæſiuit, ſed iuſtitiam non coluit) non obſtante illâ dehortatione Chriſti, Matth. 10. *in viam Gentium ne abieritis*, &c. Hinc bene S. Auguſtinus de verbis Domini illud pſal. 84. *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt*, in rem noſtram expendens, ait. *Duæ ſunt amicæ* (quaſi gemellæ) *Iuſtitia & pax. Tu fortè vnam vis, & alteram non facis? Nemo eſt qui non velit, ſed non omnes volunt operari iuſtitiam. Interroga omnes homines, vis pacem? vno ore reſpondebit tibi genus humanum: opto, cupio, amo, volo. Ama igitur iuſtitiam, quia duæ amicæ ſunt iuſtitia & pax: ipſæ ſe oſculantur. Si amicam pacis non amaueris, non te amabit ipſa pax, nec veniet ad te*, &c.

Quæramus, igitur *primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & cætera omnia adicientur nobis*: Si omnia; ergo & pax: ſi iuſtitiam ſectamur, illicò & eius gemellam ſororem, pacem videlicet, obtinebimus; eo quòd hę duę ſorores geminæ, perpetuò ſe mutuo amplexu foueant, & neceſſariò quaſi comitentur.

Et verò, multos ſanè adhuc hodie optimos Principes inuenias, qui ad nil aliud, quàm pacem anhelant, pacem meditantur die noctuque; nuſquam tamen eam reperientes. Quam ob cauſam? quia non videtur Deus permittere velle, vt ſinceri, & recti corde Principes cum iis pacem ineant; *Qui loquuntur* quidem *pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus ſuis*, pſal. 27. Quorumque *lingua eſt ſagitta vulnerans, dolum & pacem cum amico ſuo loquens, & occultè inſidias ponens ei*, Ierem. 9. His tamen terrori; illis verò (pacificis) ſolatio ſit exemplum quod extat 1. Reg. 24. & 26. Saülis videlicet cum Dauide pacem ſimulâtis: quem quidem Dauid, vtpotè pacis verus cultor, toties hoſtiliter perſequentem, prudenti fugâ ſæpiùs declinabat; & cùm poſſet lædere, noluit: ſed tantùm oram chlamydis eius latenter abſcidit, & aliàs haſtam & ſcyphum ſecùs caput illius poſitum abſtulit: vt hoc iuſtiſsimo & benigniſsimo furto, Saüli fidem faceret, ideò ſeſe parcere vitæ perſecutoris ſui; vt eſſet quo cum tandem in gratiam, & concordiam rediret; malens pientiſsimus Dauid Saülis odium bonitate ſuâ placare, quàm iuſtâ vindictâ vlciſci. Hinc & Deus eum velut pacis & patiētiæ verum cultorem adeò exaltauit, vt Saülem quidem propriæ ſuæ haſtæ & gladij mucrone perire; Dauid verò in eius

Multi boni Principes hodie pacem quærunt, nuſquam inueniunt, & cur.

Solatio quid eſſe poßit iuſto bello oppreßis.

eius locum & regnum ſuccedere & ſuffici voluerit, &c.

Nota eſt iterùm patientia & pax dicti ſanctiſsimi Regis erga perditum & proprium quidem filium Abſalon, nimis hoſtiliter patrem perſequentem; cui tamen Dauid magis pacem, quàm mortem volebat. Nam *eſtne pax*, inquit, *puero Abſalon?* &c.

Denique Rex Ioſias in pace colligitur, quam & Dominus ei promiſit, qui tamen in bello occubuit. Vt inde inſtruamur, internam illam, & veram noſtram pacem cum Deo, neque bellis externis tolli, neque morte auferri poſſe. Exemplo nobis iterùm ſit ſanctus Propheta Hieremias, quē etſi inuictiſsimum, & inſuperabilem futurum pollicetur Deus, furore tamen nequiſsimo Iudæorum lapidibus obrutus, corpore ſolùm amiſſo, animum in cælum victorem reportat.

Ex neceſſitate virtus. Ita & nos neceſsitatem in virtutem commutantes, agamus; vt videlicet adeò vndique bellorum motibus oppreſsi, tot inſidiarum & hoſtium, ſemper noua & noua in noſtram perniciem machinantium fluctibus agitati, externâ pace, prô dolor deſtituti, imò inuiti ſpoliati, ſaltem internam, & meliorem cum Deo habere conſeruareq́ue ſtudeamus.

Et Deus pacis ſemper erit nobiſcum; noueritq́ue ſuo tempore Saülinos conatus, furores, inſidias, & machinationes à nobis auertere, inq́ue caput proprium inimicorum noſtrorum conuertere, iuxta illud: *Conuertetur dolor eius in caput eius*, &c. *Habeamus* ſolummodò *pacem inter nos*, Marc. 9. *Et quæ pacis ſunt ſectemur*, Rom. 14. *In pace enim vocauit nos Deus*, 1 Corint. 7. Et non in confuſione, diſſenſione, & diſcordia: *Pacem*, inquam, *habeamus, & Deus pacis erit nobiſcum*: vti ipſe nobis firmiter per Ieremiam cap. 29. promittit.

Ego enim (inquit) *ſcio cogitationes; quas ego cogito ſuper vos: cogitationes pacis, & non afflictionis; vt dem vobis finem & patientiam; & inuocabitis me, & viuetis, & orabitis, & exaudiam vos: quæretis me, & inuenietis, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro*, &c.

Acquieſcamus igitur conſiliis Domini, *& habeamus pacem*, quantum poſſumus, *& per hæc habebimus fructus optimos*, Iob. 22. *Conſolemur inuicem in verbis iſtis: Et pax Dei exuperans omnem ſenſum, cuſtodiat corda, & intelligentias noſtras in Chriſto Ieſu Domino noſtro*, &c.

ANAGOGE IV.

De patientiâ, in ſigno Tauri locatâ.

MEMBRVM I.

CVm patiētiam Chriſtus Dominus, & verbo, & exemplo tantoperè neceſſariam nobis demonſtret

monſtret ſalutemque non niſi mediante illâ, nos acquirere poſſe, illis verbis Hebr. 10. innui videatur: *Patientia autem vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem*: operepretium erit, hîc etiã aliquid in particulari de patientia contexere: demonſtrareque rectè eam à nobis ſuprà in Tauri ſigno fuiſſe locatam. Cùm enim patientia ſecundùm Tullium, *nil ſit aliud, quàm virtus, ſeu tolerantia fortiſſima, æquanimiter contumeliarum, & omnis aduerſitatis impetus portans*: hinc meritò in ſigno Tauri, iugifero, forti, terreo, ſicco, nocturno, domoque Martis, & Lunæ, collocari debere videtur. Id quod etiam ab etymologia Hebræi vocabuli, patientiam ſignificante, haud iniucundè probabo.

Patientia quid.

Mira etymologia vocabuli hebrei patientia.

Nam סבל *Sabal* Hebræis patientia, idem eſt ac *baiulauit, portauit onus graue*, ſiue *grande ſibi impoſitum geſtauit*: ſic apud Ieremiam Threnor. 5. verſu 7. reperitur.

Quando autem in *Piel* pro participio paſsiuo ſingulari ſumitur: vt Pſalm. 144. tunc ſic ſcribitur כמסבל *Meſebal*, quod idem eſt, ac *taurus, ſiue bos oneratus, fortis & potens ad ferendum trahendumque onus.* Vnde & vocabulum סכל *Sebel onus.* סאן *Saan* verò ex primâ initiali ס *S* vocabuli סבל *Sabal, anguſtiis affici, affligi, & pugnare* ſignificat. At vocabulũ בוס *bos* ex ſecunda litera dictionis *Sabal* deductũ; idem eſt ac *ſpernere, calcare, premere.* Denique vltima ex סבל dictio, לאה *laah*, idem eſt *ac fatigari, moleſtè ferre, & laborare.*

Igitur miro myſterio vocabulum hebræum *Sabal*, id eſt *patientia*, ex tribus verbis compoſitum videtur, ita vt cuilibet literæ vocabuli סבל dictio aliqua aut verbum, ab eâ literâ incipiens, correſpondeat; hoc modo: (legendo ſcilicet hanc tabulam modo hebræo, à dextrâ ad ſiniſtram.)

l	ab	as
ל	ב	ס
לאה	בוס	סאן
haal	ſoB	naas
hoc eſt	hoc eſt	hoc eſt
laborare	*ſperni*	*pugnare*
fatigari	*calcari*	*anguſtiari*
moleſtari	*premi*	*affligi*

Itaque

Itaque admirandum arcanum in vocabulo *Sabal* latere videtur. Si enim quamlibet literam ex tribus סכל, initialem aliorum trium vocabulorum tribus itidem elementis coaleſcentium conſtitueris; hæc tria vocabula, in ſuperiori tabella, tribus dictis literis ſubalternata, miro modo totam eſſentiam vocabuli *Sabal*, hoc eſt patientię, tibi aperiet. Videlicet verbum *Saan* מאן ſub, & à literâ מ incipiens *pugnas, anguſtias, & afflictiones.* כום *Bos*, quaſi ipſum *Taurum*, ſiue *bouem multis tribulationum oneribus onuſtum*; Item ex quibus patientia ortum & radicem ducat, videlicet ab *oppreſsione, calcatione, & deſpectione*, &c. Denique verbum לאה *laah*, à literâ ל initium trahens; *laborem, fatigationem, & moleſtiam*, vocabuli *ſabal*, ſiue *patientiæ* denotat.

Admiranda arcana in vocabulo hebreo Sabal ſiue patientia.

Quid enim vocabula *pugnæ, anguſtiæ, afflictiones*, ſub primo verbo *Saan* ſignificant? & quid ſub ſecundo verbo *Bos*, *oppreſsio, calcatio, & deſpectio?* & denique ſub tertio *laah*, quid *labor, fatigatio, & moleſtia* aliud denotant; quàm materiam circa quam patientia verſatur? Eſt etenim reuerà huius ſanctiſsimæ virtutis, patientiæ, materia proxima nil aliud quàm *mæſtitia, afflictio, & animi moleſtia*: Has enim paſsiones in anima aut ab extrinſecâ, aut internâ quâdam causâ ortas, patientia vel planè comprimit, vel moderatur ſaltem: ſui quandam ſimilitudinem, veluti formam ei imprimēdo, & ita eam temperando, vt rationis dictamen rectè fieri præſcribit; & patientem virum decere videtur: videlicet, vt ſui plenè compotem rationem, imperturbatamque relinquat; ne aliis virtutibus, ſuis in officiis obicem ponat, &c.

Officia patientia.

Deinde verba exteriora, geſtus actionesque extrinſecę, ſunt quaſi materia remota patientiæ, quæ ita ab ea temperantur reguntur-que, vt in eis internè latens moderatio perpulchrè eluceat: ita vt nihil prorſus indecorum foris agat, dum per afflictiones & triſtitias intrinſecè exercetur; ſed cuncta, etiam ſibi contraria mala, æquiſſimo ſe intus animo ferre, aforis oſtendat. Nam ſicuti *impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius* (ſi D. Auguſtino in Regula credimus.) Ita moderatæ ſedatæque actiones extrinſecæ, moresque compoſiti externi internæ collectionis, patientiæ, ſerenitatisque conſcientiæ ſunt indices.

Materia remota patientia.

Denique & ipſa extrinſeca mala; vtpotè, *oppreſsio, perſecutio, labor, & defatigatio*, &c. ſunt quaſi remotiſsima materia patientiæ: non quòd patientia eis formam ſeu modū virtutis imprimat (quam ſolum communicare cenſetur affectionibus internis, & actionibus ſuis extrinſecis) ſed quia ſunt cauſæ triſtitiæ, eiusque obiectum, vtpotè quæ proxima patientiæ videtur materia; ſicut pericula mortis, priuationis honoris, & diuitiarum,

tiarum, &c. dicuntur materia fortitudinis, &c.

Vides ergo quàm appoſitè patientia in Tauri ſigno collocetur? requiritur enim in patiente dorſum flexibile, durum ac fortiſsimum, ad ſuſtinenda tam grauia onera, quales adeò tauri Indici habere dicuntur, vt etiam ſilicea omnia, quin & ipſa tela retūdant. Ita & patientia in ſigno Tauri, omnia malorum, perſecutionum, anguſtiarum, triſtitiæ, & tribulationum tela, fortiſsimè non tam ſuffert, quàm reſpuit retunditque.

Conceptus.

Patientia de cælo orta oſtenditur.

Et verò dico ego patientiam non terrâ, non mari, non aëre aut igni, ſed ipſo cælo profectam genitamque eſſe. Si enim anima cælitùs nobis impreſſa eſt, & *in patientia noſtra*, ceu in vaſculo, iubemur Chriſtum cuſtodire, & poſsidere *animas noſtras*; quomodo non & ipſum continens animam, id eſt *patientia*; itidem à cælo orta intelligatur? Quicni de cælo ortum ſuum traheret patiētia? cùm quem cæli ipſi, & terra capere nequeunt, videlicet ipſum Deum Trinum & vnum, vero, etſi arcano, miro, & myſtico modo in ſeſe planè concludere videatur: Hoc tibi periucundè demonſtraturus ſum; ſi nonnihil hebraicare nobis liceat.

Vocabulum hebræum Sabal, id eſt patientia, in ſe myſterium Trinitatis continet.

Dico ergo, in Hebræo hoc vocabulo סבל *Sabal*, id eſt *patientia*, totius ſacroſanctæ Triadis myſterium miro modo comprehenſum latere. Nam ſi has tres literas, omnes initiales feceris: &, vti in tabulâ infrà poſitâ, collocaueris, ex fontibus linguæ ſacræ, ſtupendas voces elicies, adeò exactè Patri, Filio & Spiritui ſancto in ſignificatione reali conuenientes, vt mirum planè videatur. Sic autem agito.

Sume primam literam à dextris videlicet ס, & *Patri* attribue. Secundam ב *Filio*. Tertiam ל *Spiritui ſancto*.

Paracletus 3	Filius 2	Pater 1
ל	ב	ס
לוית *Nexus*	בן *Filius*	סבה *Cauſa prima*
לשית *lingua flamea*	בוקר *Paſtor*	סחיש *ſponte à ſe oriens*
להב *flama*	ברלח *lapis, Petra*	סלח *Veniæ largitor, propitiabilis*
למר *Præceptor, Doctor*	בעליל *Dominus Terræ*	סגר *Princeps magnus,*
לאן *Nuntius Dei*	בכר *Primogenitus Angelus*	סגרר *Purus.*
	בב *Cibus*	

Expoſitio vocabuli Sabal ſeu patientiæ.

Habes ergo in columna prima *Sabal*, in columna media & altera & *Patris* ſub ס prima litera vocabuli *Sabal* ſiue patientiæ, hæc nomina. *Sibah*: hoc eſt, *cauſa prima omnium rerum*, quia Patri attribuitur creatio. Secundò *Sabiſch*: hoc eſt, *ſeipſo exiſtens*; quia Pater æternus neque generatur, neque ſpiratur, ſed à ſeipſo eſt. Tertiò *Salah*: id eſt *veniæ largitor*, *propitiabilis*; qualem ſemper nominat Eccleſia. *Deus veniæ largitor*, &c. Et Pſal. 24. *Propitiaberis peccato meo*, &c. Et iterum Pſal. 129. *Quoniam apud te propitiatio eſt*, &c. Quartò *Sagan*, hoc eſt *Princeps Magnus*: quidni magnus? *cùm excelſior cælo*, *latior. terrâ*, *profundior abyſſo*? Iob 11. & 22. cuius *magnitudinis non eſt finis*, Pſal. 144. & quidni Princeps? cùm ipſe ſit *Princeps Pacis*? Iſa. 9. An non magnus Princeps ille, qui non modò *reprobat conſilia*, ſed etiam *aufert ſpiritum Principum*? Pſal. 32. & 75. &c.

Quintò, vocabulum *Sagur*, id eſt *Purus*. Deus enim eſt Actus vtique puriſsimus, etiam ſecundùm Ariſtotelē, & omnes Theologos: *Purus* vtique, *apud quem non eſt trāſmutatio, aut viciſsitudinis obumbratio*, Iacob. 1. cap. 17. *Purus*, vtpotè *ſimpliciſsima, omniſque compoſitionis expers entitas; immutabilis*, *æternùm ſtabilis*, *immenſa*, *infinita*, *inperſcrutabilis.* Habes ergo iam ſub litera ס vocabuli סבל *Sabal* ſiue patientiæ, latitātia myſteria, quoad Patrem æternum, & ingenitum: ſed iam ad Filiū eius vnigenitū veniamus.

Sub ſecunda litera ב vocabuli quinque etiam voces reperies, Filio Dei ad amuſsim congruentes. Vtpotè primò vocabulum בן *Ben*, id eſt *Filius*: nam Pſal. 2. *Filius meus es tu ego hodie genui te*. Secundò *Bokar*, id eſt Paſtor. Nunquid ille Paſtor, qui de ſe teſtatur: *Ego ſum Paſtor bonus*? Ioann. 11.

Tertiò vocabulū *Bedolah*, idem eſt ac, *lapis*, *petra*: verè enim Filius Dei eſt ille *lapis angularis reprobatus quidem* primò, ſed poſteà *factus in caput anguli*, Pſal. 117. & Luc. 20. & 1. Petri 2. deinde dicitur *Petra*: non illa Petra, quæ à Moyſe percuſſa aquas protulit; verùm *Petra* aquarum viuentium *quæ eſt Chriſtus Dominus*, 1. Cor. 10.

Quartum vocabulum *Bangalil*, hoc eſt, *Dominus Terræ*. An non Dominus terræ ille; *cui data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra*? Matth. 28. & cui dixit Pater, Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ, reges eos in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes eos*, &c. An non admirabilis Dominus terræ ille, cui Pater hoc mandato omnes ſubiecit Reges terræ? *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino* (veſtro Chriſto, & meo Filio) *in timore, & exultate ei cum tremore*, &c. Magnus profectò Dominus cui & Reges omnes terræ, etiam in tremore, & timore ſeruire iubentur, & *ſub quo curuantur qui portant orbem.* Iob 9.

Quin-

Quintum vocabulum eſt *Bechor*, hoc eſt *Primogenitus Angelus*; duplici quidem modo Chriſtus poteſt intelligi *Primogenitus*: primò reſpectu generationis æternæ à Patre, quo modo dicitur potiùs vnigenitus: ſecundò reſpectu generationis ſecundùm carnem, à Matre. *Et peperit filium ſuum Primogenitum*, Lucæ 2. Dicitur autem Angelus primogenitus, id eſt Miſſus, & Legatus primarius Patris, in mundi ſalutem, &c. Nam *Exiuit à Patre, & venit in mundum*, Ioan. 16. &c.

Vltimum vocabulum eſt בן *Ban. Cibus*, ſiue *Panis*, iuxta illud, *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendit*, Ioann. 6 An non verè cibus, quem qui *manducat*, *viuet in æternum*. Et iterùm Ioann. 6. *Caro mea verè eſt cibus*, &c. Denique optimè cantat Eccleſia, *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum*, &c. Itaque iam etiam habes in vocabulo *Sabal patientiæ*, Filium Dei comprehenſum, & inſigniter adumbratum.

In tertia denique columna, *Paracleti*, ſub litera ל, itidem quinque vocabula, ab eadem literâ incipientia, ſubalternata reperies: videlicet לוית *liuiat*: hoc eſt *nexus*. Reuerà enim Spiritus ſanctus Paracletus, cùm à Patre, & Filio per Amorem procedat vtriuſque nexus & eſt, & dicitur communi Theologorum ſententia.

Secundum vocabulum eſt לשון *laſchon*, id eſt *lingua flāmea*, ſeu ignita: quæ optimè quidem Spiritui ſancto conuenit, ipſe enim, Actor. 2. Apoſtolis, *in ſpecie linguarum ignitarum apparens*, ſubitò adeò eos ſui diuini Amoris flammis incendit inflammauitque; vt ignem illum Deificum intrinſecè conceptum non ampliùs cōtinere, ſed in momento, variis linguis loquentes, prodere coacti fuerint, &c.

Alio modo meritò Spiritus S. flammeæ linguæ comparari poteſt: dum tam mira & feruida per Prophetas, & Prædicatores loquitur, ac indies nobis in conſcientia ardentiſsimè loqui non ceſſat; vt benè Dauid Pſalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquitur pacem in plebem ſuam, & in ſanctos ſuos; & in eos qui conuertuntur ad cor*, &c. Iterùm *ignitum eloquium tuum vehementer*, Pſalm. 118.

Tertium vocabulum להב *lahab flammam* ſignificat. Nam, *vox Domini intercidentis flammam ignis*, Pſal. 28. & lampades eius (diuini Amoris.) *lampades ignis, atque flammarum*, Cant. 8. & denique benè Eccleſia Spiritum ſanctum inclamat. *Veni ſancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui Amoris in eis ignem accende*, &c. & iterùm. *Qui Paraclitus diceris donum Dei Altiſsimi, fons viuus, ignis, charitas, & ſpiritalis vnctio*. Denique in Hymnis Matutini eadem S. Mater ita cantat: *De Patris ergo lumine, decoris ignis almus eſt, qui fide Chriſti pectora, calore verbi compleat*. Tandem & in Laudum Hymno Pentecoſtes: *Ignis*

vibrante lumine, linguæ figuram detulit: verbis, vt eſſent profluì, & charitate feruidi, &c.

Quartum vocabulum למד *Lamed*, idê eſt ac, *Præceptor, & Doctor*. Quis dubitat illum maximum eſſe Doctorem, atque Præceptorem qui Ioan. 14. *omnia*; imò capite 16. *omnem veritatem* docturus, à Chriſto nobis promittitur. Hinc benè Eccleſia ab hoc ſanctiſsimo Præceptore, velut fidelis & humilis diſcipula inſtrui petit, & quidem in ſummâ, & verâ Theologia, quam impoſsibile eſt ab alio Pręceptore & Magiſtro quàm Spiritu ſancto haurire. *Per te ſciamus da Patrem, noſcamus atque filium; te vtriuſque ſpiritum credamus omni tempore*, &c. An non Spiritus ſanctus, ſe optimũ Magiſtrum eſſe oſtendit, in eo, dum totum mundum per ſimplices ſolummodo piſcatores, planè idiotas conuertit? Verbum carni, in vtero BB. Virginis Mariæ, tam ſtupendo modo vniuit? tot, & tam inſignes Diſcipulos effecit: vtpotè Auguſtinos, Ambroſios, Hieronymos, Gregorios, Cyrillos, Chryſoſtomos, infinitoſque legis, & ſacræ Scripturæ Doctores.

Quintum denique & vltimum vocabulum ſub ל eſt לאך *lach*, hoc eſt, *Nuntius Dei*. Scilicet verus Legatus Patris & Filij, poſt reſurrectionem Chriſti Ioan. 16. promiſſus. *Quæ ventura ſunt annunciaturus nobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*, &c. Spiritus ſanctus ergo rectè dicitur Nuntius Dei, &c. Et ſic iterùm habes in vocabulo סבל *Sabal*, ſiue *patientiæ*, tertiam SS. Trinitatis Perſonam: adeoque myſticè totam ſanctiſsimam Trinitatem comprehenſam.

Vides ergo, nos haud ineptè ſuprà patientiam cælo ortam & deductam aſſeruiſſe? hinc mirum haud eſt, Chriſtum Dominum adeò nobis patientiam commendaſſe & inculcaſſe, adeoque Apoſtolus dicere non dubitarit. *Patientia vobis neceſſaria eſt ad ſalutem, vt reportetis promiſſiones*. Qui enim patientiam veram poſsidet (cùm illa Deum ipſum in ſeſe quodammodo includat) & ipſum Ter Opt. Max. Deum poſsidere neceſſe eſt. Econtra, qui animam ſuam, non in patientia poſsidet: profectò neque Deum poſsidere poſſe videtur.

TROPOLOGIA.

MEMBRVM II.

Contra impatientes.

HEu quanta igitur mala vnico impatientiæ actu committimus! quia expellêdo patientiam, expellimus quodammodo ſimul & ipſum Patrem; eam amittendo, ipſum amittimus Dei Filium: illam à nobis arcendo, ipſum Spiritum ſanctum excludimus: Quid ergo erit homo ſine patien- *Patientia amiſsione ipſũ Deum amittimus.*

patientia? id videlicet: quod eſt nauis ſine remige, & gubernatore in mediis Oceani vaſtiſsimi fluctibus: auis in aëre ſine plumis: corpus in terra ſine anima & vita: dies denique ſine lumine, & ſole, &c. *Væ enim his qui perdiderunt ſuſtinentiam*, Eccli. 2.

Econtra patientia ſola hominem cæteris omnibus denudatum & deſtitutum Deo conſeruat, imò fortiſsimo & indiſſolubili vinculo nectit. Prodeat Iob ille in teſtem, patientiſsimus quidem, ſed nudus; quin & toto corpore ſanie, & vlceribus repletus; & dicat quid ei patientia profuerit: Nũnquid ipſius Altiſsimi teſtimonium & gratiam per patientiam promeruit? An non Deus ob patientiæ virtutem, cuncta amiſſa ei reſtituit, imò reduplicauit? Cogita patientiam Iſaac Gen. 22. imò ipſius Filij Dei, *qui tanquam Agni ad occiſionem ducti ſunt*; quorum neque hic Patri æterno, neque ille patri Abraham, vel minimùm contradixit: & nos, vix ſine impatientia, vnum verbum ſuſtinemus? heu! *tanguntur namque montes, & ſubitò fumigant*, &c. Pati nolumus cum Chriſto, ſed omnes quidem cum eo regnare anhelamus. At hoc ſine illo nunquam profectò obtinebimus: Nam *ſi compatimur, tunc & conglorificabimur*, & non aliter; boni volumus eſſe in cælis; & impatientes, ac mali in terris: quomodo hæc cõueniant, non video. Optimè S. Gregor. in homil. Non eſt, inquit, *perfectè bonus, neque vnquam erit, niſi priùs quis fuerit etiam cum malis bonus: bonus enim non fuit, qui malos & mala tollerare recuſauit*, &c.

Patientia quid profit.

Sed quid remedij contra impatientiam noſtram? Paucis habe. Tauros ſub arbore ficus alligatos ſubitò manſuefieri ferunt. Ecce patientiam in Tauri ſigno conſtitutam iam habes: quæ ſi forſan viperæ impatientiæ feriatur ictu: *& mugire* incipiat, *ſicut taurus* (Ierem. 50.) eam ſub arbore ficus dulciſsimâ *crucis Chriſti*, ſcilicet alliga, & ſubitò mitigabitur. Nam *ſedebit vir ſubtus vitem ſuam. (Ego ſum vitis vera*, inquit Chriſtus) *& ſubtus ficum ſuam, & non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum locutũ eſt. Quia omnes populi ambulabunt, vnuſquiſque in nomine Dei ſui: nos autem ambulabimus in nomine Dei noſtri in æternum & vltrà*, &c.

Conceptus elegans.

Vides ergo quomodo Tauros ſilueſtres, *impatientes*, illâ ſanctiſsima & dulciſsimâ *arbore crucis*, & ſuauiſsimâ eius nominis ficu mitigentur? Quod ſi te firmiter huic ſanctiſsimæ arbori alligatum tenebis, illud & firmiter ſperare poteris, quod Dominus exercituum eodem cap. Micheæ 4. promittit. *In die illa dicit Dominus, congregabo claudicantem* (in vtramque partem, & patientiæ, & impatientiæ) *& eam quam eieceram: colligam*, (animam probandam purgandamq; putat) *& quam afflixeram* (patientiæ & tribulationum ignibus) *po-*

nam claudicantem in reliquias (cæleſtis theſauri) *& eam quæ laborauerat* (multis anguſtiis & tribulis) *in gentem robuſtam. Et regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion, ex hoc nunc & vſque in æternum*, &c.

Quid ergo dubitamus patienter cuncta aduerſa pro Chriſto ſufferre? *Si enim* 1. Pét. 3. *Cõmunicantes Chriſti paſſionibus*, in hoc mundo, *gaudemus*, etiam in altero, *& reuelationis gloria eius exultantes gaudebimus. Et ſi exprobrabimur in nomine Chriſti, beati erimus: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus ſuper nos requieſcet*, &c.

Exeamus igitur ad eum (Chriſtum Deum noſtrum) extra caſtra (lætitiæ, & ſæculi) *improperium eius portantes*. Hebr. 13. ſcilicet in monte Olíueti: in domo Caiphæ, Pilati, & Herodis: denique in ipſo monte Caluariæ: nam, *ſi ei compatimur, & conglorificabimur*, &c. non enim eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum: ſi ergo *Chriſtum oportuit* tanta *pati, & ita intrare in gloriam ſuam* propriam: quid nos oportebit facere, vt adipiſcamur iam non noſtram, (quia per peccatum perdidimus) ſed hæreditatem Dei, & Chriſti? Ecce pro concluſione quid te oporteat facere, vt adipiſcaris tandem hæreditatem Chriſti, te inſtruam.

Tauros ferunt, de die non verſus terram, ſed verſus caput & cælum potiùs erectos gerere & habere pilos ſuos, &c. Sic & tu agito; erigas in diebus vitæ tuæ diligenter per patientiæ virtutem actionum, paſsionum, & cogitationum tuarũ pilos ad caput tuum Chriſtum, *ſuſpice pendentem in patibulo crucis; cælum ſcrutare in altum*, &c. ſurſum actiones & cor tuum dirige, *conuerſatio tua in cælo ſit*, & mirum in modum mitigaberis, teq́ue *accipiet ad ſeipſum & recipiet, illuminabitq́ue Chriſtus*.

Conceptus. Quid pro regno Dei adipiſcendo nos oporteat facere.

Namq́ue miro modo tauros ſilueſtres à venatoribus capi aiũt. Arborem nẽpè in ſilua ſanguine humano cruentare & illinire venatores dicuntur; quo viſo, impetu ſpontaneo ita tauros duobus cornibus in arborem impingere, vt illicò infixi & affixi, tam diu hærere cogantur, donec à venatoribus capiantur, &c.

Conceptus quomodo Chriſtus agat quaſi venatorem.

Ita reuera Chriſtus Dominus nobiſcum agit, vt nos veluti *tauros elatos*, Eccleſ. 6. humiliet, tandem capiat vincatq́ue ſibi; ſcilicet in arbore crucis, & patientiæ, pretioſiſsimum ſuum ſanguinem pro nobis effuſũ exhibet nobis monſtratq́ue; & ſic cornibus (noſtræ voluntatis & intellectus in obſequium Chriſti affixis) ab eo tandem capimur vincimurq; vti ait, Ioann. 16. *Confidite; ego vici mundum*, &c. iuxta illud, *tanquam tauro deuicto inſultabit ei*, &c.

Si igitur forſan patientiã tuam in feram ſilueſtrem, impatientiæ ſcilicet conuerti animaduerteris, arborem crucis ſanguine Filij hominis, Ieſu Chriſti Domini tui, conſperſam ſubitò oppone, & illi-

cò

cò māſuefiet taurus ille ſilueſter, motus nempè impatientiæ tuæ, capieturque. Nam *habemus redemptionem per ſanguinem Chriſti, remiſsionem peccatorum*, Coloſſ. 1. *Et ſi ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quantò magis ſanguis Chriſti qui per ſpiritum ſanctum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortis ad ſeruiendum Deo viuenti?* Hebr. 9.

Igitur (inquit Apoſtolus Heb. 12.) *Deponentes & nos omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum; qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ, atque in dextera ſedis Dei ſedet. Recogitate enim eum* (ſuſpicite in arborem illam cruentatam, crucis Ieſu Chriſti) *qui talem ſuſtinuit aduerſum ſemetipſum à peccatoribus contradictionem; vt ne fatigemini animis veſtris deficiētes. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes*, &c. Atque hæc de quatuor principalioribus fructibus Spiritus ſancti dicta ſufficiant.

ANAGOGE V.

MEMBRVM I.

De Benignitate, Bonitate, Longanimitate, Manſuetudine, & Modeſtia.

CVm Benignitas ſecundùm Diuum Thomam 2.2. quæſtione 80. nil aliud ſit *quàm habitus voluntariè benefactiuus, ad loquendum & ad mores dulciter*: atque ipſum vocabulū Benignitatis, hominem ſpontè ad benefaciendum paratum, & dulcem ad eloquium, nec non in moribus ſuauem dicere videtur. Hinc rectè Benignitatis donū in Aquario collocauimus, vtpotè ſigno fluentiſsimo, & maximè humido: in quo Aſtronomi portarum apertionem fieri aſſerunt; hoc eſt munificētiæ pluuias & inſigniores aëris mutationes, &c. ſic in hoc ſigno *Benignitatis*, portarum fit ſæpè apertio, diuinæ ſcilicet in nos benignitatis: vt & nos inſtruamur, & ad benignitatis ad inuicem virtutem inuitemur, iuxta illud: *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*, Matth. 5. quippè à Deo fit magna benignitatis portarum apertio: vt videre eſt Geneſ. 18. vbi Dominus propter quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis Sodomæ inueniendos, *omni loco* parcere & *dimittere*, Abrahæ promittit. An non & por-

Benignitas quid ſit.

Exempla diuinæ benignitatis in homines.

portarum apertio diuinę benignitatis apparuit in Loth & filiabus eius? Geneſ. 19. In Tobia & filio ſuo? Tob. 5. Iterùm in Daniele,& tribus pueris miſsis in fornacem? Dan. 14.& 8. in Petro, Maria Magdalena, & latrone,& infinitis peccatoribus ad pœnitentiam tam benignè receptis?

Nunquid denique non & maxima portarũ apertio diuinæ benignitatis in nos factæ enituit: dum *cæli deſuper rorarent; & iuſtum* Saluatorem *nubes depluerent*? Iſa. 45. Igitur *benignus & miſericors eſt Dominus, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia*,&c. Quem nos filij eius meritò in benignitate ſequi iubemur, Matth. 5. Nam *eſtote & vos perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*, &c. Quin & Gentilium exempla nos ad benignitatem inuitant. Aiunt enim *Veſpaſianum filium* cùm quondam in cœna recordaretur, quòd nemini quidquam ea die boni præſtitiſſet, in hæc verba prorupiſſe. *Amici, perdidi diem*, &c. O vtinam, & nos non tot perdamus dies, non ſolũ nemini boni quidquam præſtando, verùm potiùs plurima mala etiam proximo inferendo, &c. Timendum igitur eſt Gentilem illum Philoſophum in die iudicij contra eiuſmodi generationem conſurrecturum, qui aiebat: *Amicum egenti amico dantem, non donare, ſed reddere ſolùm quod debeat, remque adeo alienam detinere aſſerebat eum, qui egenti amico pecuniam non ſuggereret*,&c.

Exempla benignitatis Gentilium.

Bone Deus! quot hodie rei alienæ erunt detẽtores? cùm pauciſsimi inueniantur egẽtium ſubleuatores, ſed ſolummodò proprij commodi inhiatores. Aliter Apoſtolus nos hortatur Epheſ. 4. *Eſtote inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem; ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis*,&c. Quod ſi obſeruaturi eſſemus, proculdubio diuinæ clementiæ & benignitatis ſinus magis nobis quandoque pateret, quàm hactenus patuit. *Beati* enim *miſericordes* & benigni, quia à Domino *miſericordiam* & benignitatem *conſequentur*. Matth. 5.

Et hæc quidem breuiter de benignitatis fructu: cui bonitatis donum ita cognatum videtur, vt vnum ſine altero vix eſſe poſſe videatur; proindeque ſuperfluum duximus, nos hîc vlteriùs diffundere; à bonitate enim benignitas, liberalitas, beneficẽtia, & clementia, velut riuuli à fonte defluere, & deſcendere videntur. Bonitas enim nil mali, aut cogitare, aut confingere nouit, ſed in omnes ſeſe, quandoque etiam cum ſuo incommodo, diffundit; vnde meritò eam in ſigno Cancri aqueo & retrogrado collocauimus: vtpotè ſemper retrogradientem, reſpicientem, & ſtantem ad proximi vtilitatem, commodumque. *Speremus igitur in Domino, & faciamus bonitatem vt inhabitantes terram, paſcamur in diuitiis eius*, Pſal. 36. Denique perpendamus, *& videamus bonitatem & ſeueritatem Dei; in eos quidem*

Bonitas riuus multarum virtutum.

dem qui ceciderunt, ſeueritatem (Angelos apoſtatas, & peccatores) *in nos autem bonitatem Dei; ſi permanſerimus tamen in bonitate, alioquin & nos excidemus*, &c. Rom. 11.

MEMBRVM II.

De Longanimitate.

IAm & longanimitatem paucis habe: quæ quidem ſecundùm Diuum Thomam 1. 2. qu. 70. artic. 3. dicitur *virtus quâ habetur animus, tendendi aliquid diſtans in longinquum*: & magis ſpem quàm timorem, audaciam vel triſtitiam reſpicit, prout etiam magnanimitas. Hinc puto haud ineptè nos hanc virtutem in Sagittarij ſigno collocaſſe. Sicut namque Sagittarius altilia non ex propinquo ſagittâ ſuâ, ſed in diſtans potiùs intendit, ſic longanimitas, ſpei ſuæ ſagittas in ipſum cælum & remotiſsima futura tempora emittit, ad ſagittandum capiendumque vera altilia, cæleſtiū à Deo immittendorum donorum, &c. Vnde Apoſtolus Coloſſ. 1. ambulare nos monet, *dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei, in omni patientia & longanimitate cum gaudio, gratias agentes Deo, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine*, &c.

Quid longanimitas.

Quantùm verò diuina Clementia longanimitatis virtutem ſibi gratam acceptamque habeat, facilè patet Geneſ. 25. Abraham enim longiſsimo tempore ex Sara prolem expectans, tandem iam centenarius accipit. Simeon iuſtus, Lucæ 2. tanto tempore conſolationem Iſraël expectans; *reſponſum à Spiritu ſancto recipit, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini*, &c.

Exempla longanimitatis eiusq; fructus & effectus.

Suſanna innocentiſsima, à nequam illis, & adulteris ſenibus, falſiſsimo crimine adulterij accuſata, flens longanimitatis ſuæ telum ad ipſum Deum longiſsimè in cælum emittens, miraculo à ſententiâ mortis liberatur eripiturque, Dan. 13.

Patientia & longanimitas Iob cap. 13. quid in eo operata fuerit, ipſa luce dieque magis notum eſt, &c. Itaque ſectemur & nos obſecro, longanimitatis virtutem: expectantes *beatam ſpem, & aduentum Domini, &c. ſatagentes immaculati & inuiolati ei inueniri in pace; & Domini noſtri longanimitatem ſalutem arbitremur*; iuxta hortamenta D. Pauli, 2. Pet. 3. *Quoniam longanimis, & multum miſericors eſt Dominus*, Pſalm. 102.

MEMBRVM III.

De manſuetudine.

MAnſuetudinis fructum & virtutem in ſigno Piſcium collocatam; Ariſtoteles libr. 2. Rhetor. *Repreſsionem & ſedationem iræ* definit. Quam & Gloſſa in caput Matthæi, his verbis explicat.

Manſuetudo definitur.

cat. *Manſuetudo eſt dulcedo animi, quam non vincit amaritudo: moderatur enim manſuetudo iram, ſubiiciens rationi appetitum inferiorem, ita vt etiam oblatis, quæ irritarent in iram non prorumperet*, &c. Igitur huius virtutis, *manſuetudinis*, proxima materia eſſe videtur ira, cui à ratione præſcriptum modum veluti formam quandam inducere cenſetur; videlicet vt ſciamus, cui, quando, quantumque, quomodo, & quam ob cauſam iraſcendum & indignandum, etiam ſine peccato, iuxta illud pſalm. 4. *Iraſcimini & nolite peccare*, &c.

Iam ſignum Piſcium proportionatum eſſe locum manſuetudinis, vel inde patet, quòd ſicut piſces plerumque & communiter ſunt lenes, & valde tractabiles, ſemper in aquis circumnatantes, ſic manſuetudinis virtus maximè eſt tractabilis, & leniſsima, nemini præbens offendiculum: haurit autem continuò aquas tribulationum vt piſces, ſine quibus velut potentiam iraſcibilem oppugnantibus, manſuetudo eſſe haud quidem poteſt: id quod S. Auguſtinus in Sermone Domini in Mon. innuere videtur. *Mites*, inquit, *& manſueti ſunt, qui cedunt improbitatibus, & non reſiſtunt malo; ſed vincunt in bono malum*, &c.

Conceptus de manſuetudine.

Piſces raró lædunt ſe lædentes & capientes: ſic manſuetudo variis modis læſa, irritata, & prouocata, non tamen lædit, neque malum pro malo reddit, vt benè Iſidorus in Soliloq. 2. *Magna eſt manſuetudinis virtus, ſi non lædas, à quo læſus es, magna eſt fortitudo, ſi etiam læſus remittas; magna eſt gloria, ſi cui potuiſti nocere parcas*, &c.

Deinde ſicut natura piſcium nimis fluidam ſubſtãtiam & carnem, ſpinis intrinſecis firmat; extrinſecè verò contra hoſtes armat quandoque: ſic manſuetudo intrinſecùs tribulationum ſpinis cõſtat, quaſi materia, ſine quibus quidem manſuetudo nulla cenſetur: armatur autem & foris contra virtutum oppugnatores; ſpinis & dentibus iuſtæ iræ, & zeli Dei: *Nam iraſcimini & nolite peccare*, Pſalm. 4. &c.

Denique piſces dicũtur pluuiâ pingueſcere: ita & manſueti pinguefieri cenſentur pluuiis aduerſitatum & perſecutionum: hinc & veteres manſuetudinem piſcis figurâ, hieroglyphicè exprimere conſueuerunt.

Conceptus iucundus.

Tandem piſces infinita parturiunt oua. Quot autem putas parturire fructus, manſuetudinis virtutem? plurimos ſanè & eos inſignes. Primò enim profert fructum remiſsionis peccatorũ in anima: Nam *ſi remiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cæleſtis peccata veſtra*, Matth. 5.

Conceptus maximi fructus manſuetudinis.

Secundò profert fructum viſionis beatificæ in homine. Nam *manſueti poſſidebunt terram*, id eſt veram terram promiſsionis, & viuentium in altera vita, pſal. 36. & iterùm pſal. 149. *Exaltabit manſuetos*

tos in ſalutem, &c. denique pſal.75. *ſaluos faciet omnes manſuetos terræ*, &c.

Tertiò reddit animā ſecuram in omnibus actionibus, inque die tremenda iudicij: enimverò *diriget manſuetos in iudicio*, pſalm.24. id eſt ſecuros reddet in iudicio iuſtos & manſuetos, iuſtus Dominus, &c.

Quartò profert manſuetudo gratiam Dei in homine, eumque filium & amicum Dei conſtituit. Nam Prouerb. 3. *Manſuetis dabit gratiam*. Et pſal. 146. *ſuſcipiens manſuetos Dominus*, &c.

Quintò habilitat animam, ſerenat, redditque aptam percipiendæ virtutis, & verbi Dei, quam ira ècontrà à bono maximè impedit conturbatque. Hinc benè S. Iacobus 1. cap. ait: *in manſuetudine ſuſcipite inſitum vobis verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras*. Et optimè S. Auguſtinus libr. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 7. *Opus eſt*, inquit, *miteſcere, neque contradicere diuinæ Scripturæ, ſiue intellectæ, ſi aliqua vitia noſtra percutit: ſiue non intellectæ; quaſi nos meliùs ſapere, veriuſque percipere poſſimus: ſed cogitare potiùs & credere, id eſſe melius & verius quod ibi ſcriptum eſt, etiamſi lateat; quàm id quod per nos ipſos ſapere poſſimus*, &c.

Denique & ſextò, manſuetudo dulciſsimum fructum vitæ veræ in hac vita etiam tranquilliſsimæ, in nobis producit, pacemque admirabilem & delectabilem animæ affert. Enimverò *manſueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*, pſal. 36. Moyſes ob manſuetudinem ſuam (vt benè ait D. Dionyſius epiſt. 8. ad Demophilum) diuinâ familiaritate, & amicitiâ Dei potitur. David manſuetudine ſecundùm cor Dei efficitur: Nam pſalm. 131. dicitur *Memēto Domine David & omnis manſuetudinis eius*. Quin & ipſe māſuetudinis fons Chriſtus, Mat. 11. nos tam verbo quàm exēplo ad manſuetudinem inuitat hortaturque. *Diſcite à me*, inquit, *quia mitis ſum & humilis corde*, &c. Idque ſuo exēplo 1. Petr. 2. Quia *cùm malediceretur non maledicebat: cùm pateretur non comminabatur*, &c. ſed potiùs *tradebat ſe iudicanti iniuſtè*, &c. Ab hoc igitur Magiſtro manſuetudinem diſcamus; hunc audiamus; hunc ſequamur, *& tandem inueniemus requiem animabus noſtris*, &c.

Exempla manſuetudinis efficacium.

MEMBRVM IV.

De modeſtia.

Modeſtia in ſigno Capricorni moderatiſsimo, ſolſtitiali, & infimo collocata, definitur à Theologis: *virtus quâ quis ſe continet intra modum & limites ſui ſtatus, ingenij & fortunæ: eſtque ſuo modulo contentus; neque aliis inuidet*, &c. Cicero verò libr. 3. Rhet. eam *moderationem & continentiam cupiditatum* nominat.

Quid ſit modeſtia.

Igitur ſicut ſignum Capricorni ſemper eſt imum, neque ſurſum *Conceptus.*

in Cancrum mutari petit: ſic modeſtia ſemper ſuâ ſorte contenta, in humilitate conquieſcit. Vnde benè D.Bernardus: *In te conſiſtito, non infrà deiici petas, non ſuprà attolli, non euadere in longius, non extendi in latius; ſed inferiorem, aut medium tene, ſi non vis perdere locum, nam talis locus tutus eſt*, &c. Et S.Leo in ſerm. de Pentecoſte: *Melior eſt*, inquit, *gradus lentior per iter rectum, quàm velocitas feſtina per deuium*, &c.

Quomodo autem modeſtia ſit in ſolſtitiali ſigno, docet Caſſ. ſer. 1. *Modeſtia*, inquit, *eſt cultum & motum, & omnem noſtram occupationem vltra defectum, & citra exceſſum ſiſtere*. De qua etiam Horatius:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines;
Quos vltra citràque nequit conſiſtere rectum.

Vnde Apoſt. Philipp. 4. nobis adeò modeſtiam inculcat, vt velit *eſſe notam omnibus hominibus*, quod quidem fiet, ſi, vt benè monet B. Ambroſ. noſtros ſermones proferamus prius librâ iuſtitiæ examinatos, vt ſit grauitas in ſenſu, in ſermone pondus, atque in verbis modus: temperantia cordis habeat animi munditiam, iuſtitia miſericordiam, prudentia pacem, & denique fortitudo manſuetudinem. Nihil enim turpe faciendum bono viro, etiamſi ex omni parte lateat. Igitur modeſtia verè

Promptuarium virtutis eſt modeſtia ſola
——Vbique pulchrum quid
Et gloriam bonam inter mortales affert, &c.

MEMBRVM V.

De Continentia.

CVm Continentia, & Caſtitas immediationem quandam, ſiue potiùs indiuiduam videantur cum manſuetudine & modeſtia ſortiri ſocietatem, connexionem & cohærentiam, de iis priùs, quàm de fide agendum duximus. Connectitur verò ita continentia in genere, cum caſtitate, vt perpetuò quaſi ſimul eſſe intelligantur. *Quid ſit continentia.* Quàuis enim in communi *continentia ſit omnium rerum malarum refrænatio*. ſecundùm D. Hieron. in epiſt. ad Damaſum Papam, vtpotè cohibitio gulæ, luxuriæ, cupiditatis, auaritiæ, ambitionis & ſuperbię, &c. propriè tamen *verſatur tantùm circa cõcupiſcentias tactus*: ita D.Thom. 2.2.qu.143. deſumitur enim continentia à verbo *contineo*; id eſt quaſi inuitum, & repugnantem teneo: & ideo eius contrarium eſt incontinentia.

Et verò continentia, quatenus cum caſtitate coincidere intelligitur, ſpeciale eſt donum Dei: vt videre eſt, Matth. 19. Nam *non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*, &c. *ſunt enim eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter Regnum Dei, qui poteſt capere capiat*, &c. Iterùm commendatur continentia nobis 1. Cor.

Corinth. 7. & ad Gall. 5. & ad Titum 1.

Conceptus. Cenſetur igitur continentiæ virtus, quaſi complexiua omnium virtutum, & è contra refrænatiua omnium vitiorum; quam quidem in ſigno Libręſuprà conſtituimus. Sicut enim Libra diem & noctem æquat, ſigna ſuperiora ab inferioribus diuidit: Autumnum cum infinitis fructibus coruſcum affert: ita continentia potentiam rationalem, & concupiſcibilem ſic adæquat, vt hæc nullo modo illam ſuperare aut obruere queat. Vnde optimè D. Hieron. *Continentiam*, inquit, *non ſolùm in caſtitate debemus accipere, ſed etiam in cibo, & potu, in ira quoque & vexatione mentis, & detrahendâ libidine*, &c. Et licet nonnunquam etiam pro ſola caſtitate ſumatur continentia: in eo tamen ab illa hęc differt, ſecundùm D. Anſelmum; *quòd continentia ſit in luctamine & bello*, videlicet dum adhuc ei aduerſa voluptas obſiſtit; *Caſtitas verò in pace*, &c.

Librat igitur, & quaſi cribrat continentia omnes motus, tum intrinſecè, cùm externè contra potentiam rationalem inſurgentes: ſicque quaſi ſigna ſuperiora ab inferioribus diuidit. *Eſt* enim *continentia* ſecundùm Ariſtotelem *mediæ & mixtæ naturæ*, hoc eſt rationalis potentiæ, contra inordinatas ab irrationali inſultantes concupiſcentias, fidiſsima cuſtos; haſque ab illa omninò dirimit & auertit. Vnde Pythagoras dicere ſolebat, *nil egregiũ in ratione comparari, quod continentiæ labor non præcederet, aut mediaret*, &c. Hinc eſt quod Apollonius frugalitatem, & continentiam commendabat: *non quòd*, aiebat, *res viles ac minimè ſumptuoſas tanti faciamus, ſed vt continentiâ animi magnitudinem commendemus*, &c. *Sententia Pythagoræ de continentia.*

Et Alexandri Magni auream ſententiam à multis hodie effœminatis vellem benè notatam. Dum enim inuitaretur vt Darij filias (quæ miræ formæ & pulchritudinis prędicabantur) inuiſeret: renuit ire; quippè, nullo modo ſibi committendum aut agendum aiebat: vt cùm tot inſignes viros & heroes viciſſet, à mulieribus tandem vinceretur, &c. Vides quantâ continentia vim dirimendi, arcendíque inferiores & irrationales potentiæ paſſiones, à ſuperioribus & rationalibus, in homine etiam Ethnico habuerit? vt quid non ergo haberet in Chriſtiano? *Aurea ſententia Alexandri Magni de continentia.*

Denique ſicut ſole in Libræ exiſtente ſigno, plerique fructus colliguntur: ſic anima in ſigno continentiæ conſtituta mille fructus congregat colligitque: vtpotè veram caſtitatem, puritatem mentis & corporis, & conſequenter in corpore humano vitam angelicam. Benè Thalaſius quidam ad Paulum Presb. *Sicut*, inquit, *concupiſcentia & ira peccata multiplicant, ita humilitas, & continentia eaſdem* *Conceptus.*

dem exinaniunt, & virtutes augent. Denique & Cicero libr. 1. de leg. *Vt cupiditatibus & vitiis infici ſolet ciuitas, ita emendari & corrigi continentiâ,* &c. ditat ergo multum continentia ſuos cultores. Enimuerò Socrates quondam interrogatus, *quo quis pacto opulentus euaderet?* reſpondit, *ſi continens & cupiditatum fuerit inops*, &c. Eſt itaque continentia pulcherrima virtus, vtpotè prauas animi affectiones atrociſſimos hoſtes euincẽs enecanſque.

MEMBRVM VI.

De Caſtitate.

Quid ſit caſtitas.

CAſtitatem meritò in ſigno Virginis collocatam Diuus Thomas definit: *Virtutem ita dictam à caſtigatione concupiſcentiæ tanquam pueri*: eò quòd inordinatos motus concupiſcentiæ reprimat; & velut puerum ſub diſciplina rationis contineat. Propriè igitur caſtitas puritatem quandam ab actibus & voluptatibus carnalibus alienam ſignificat: in quibus peculiaris quædam latet impuritas & turpitudo. Hinc eam S. Auguſtinus definit *virtutem ſub iugo rationis impetum libidinis refrænantem.*

Diuidunt autem SS. Patres trifariàm caſtitatem: videlicet in Virginalem, Vidualem, & Coniugalem. Prima ſecundùm D. Cyp. ad virgines ſpectat, ſecunda ad viduas, tertia denique eſt cõiugum. At S. Auguſtinus de virginitate, Caſtitatem Monachorum & Clericorum voto obedientiæ & paupertatis voluntariæ coniunctam, propter votum Deo ſolemniter factum, perfectiſsimam aſſerit. Et videtur confirmari quidem Apocalypſ. 14. *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocunque ierit*, &c.

Caſtitatis voluntariæ prærogatiua.

Quis ob hanc ſolam promiſſionem nõ perpetuam caſtitatem voueat? quis non propter regnum Dei ſeipſum caſtret? Quis pro hâc nobiliſsimâ & elegãtiſsima ſponſa obtinendâ, non totam ſubſtantiam ſuam ſeque ipſum impendat? vtpotè quæ, vt ait S. Cyprian. de 12. abuſion. 2. cap. *Eſt ornamentum nobilium: exaltatio humilium: nobilitas ignobilium: pulchritudo vilium: ſolamen mœrentium; augmentum omnis virtutis & pulchritudinis: minoratio criminum: decus Religionis: multiplicatio meritorum: Creatoris omnium Dei amica*, &c.

MEMBRVM VII.

Mira expoſitio vocabuli Caſtitatis hebræi טהרה *ſiue Taborah, eiuſque myſtica ſignificatio.*

VOx Caſtitatis hebrça טהרה *Taborah*: ortum ſuum trahit à radicè verbi טהר *Tabor*, quod idem eſt ac, *purgatus à ſordibus, mundus fuit*, &c. In coniugatione *kal* verò ſi-

Etymologia hebræi vocabuli caſtitatis.

rò ſignificat *mundare, purificare*; item *munditiem nitentem*, &c.

Iam videamus an non ſicuti *Iuſtitia*, ita & caſtitas de ipſo cælo orta proſpiciat? id veriſsimum quidem eſſe ex ſequenti ratiocinatione taliter à me expenſa conſtabit. Si enim verbum radicale טהר *Tabor* ad trutinã arcanorum ſacræ linguæ reduxeris, totum SS. Trinitatis myſterium iterum myſtico & miro modo, in eo latere deprehendes: quod vt fiat, hoc modo operemur.

Reſoluamus ſingulas literas iam dicti verbi *Tabor*, & vnamquamq; literam aliarum vocum initialem conſtituamus, & videbimus, quod ſicut SS. Nomen Dei Tetragrãmaton originẽ ſuam à radicali verbo היה *Haiah*, id eſt, *Eſſe à ſe*, trahit: ita & vocabulum טהרה *Taborah*: id eſt *Caſtitas* à radicè טהר *Tabor* ortum ſuum deſumit: comprehenditur autem in hoc myſterium SS. Trinitatis: ergo & in illo. Caſtitas igitur de cælo proſpexit, à Deo originem ſuam trahit; ergo nobiliſsima; igitur ſanctiſsima & incomparabilis eſt virtus.

Caſtitas de cælo quaſi orta cenſetur, & Patrem in diuinis, myſticè ſe continet.

Minorem ſic probo: vocabulum טהר *Tabor* habet tres literas, quarũ prima à dextris (hoc enim modo Hebræi procedunt in ſcribendo legendoque) id eſt ט Patrem æternum: ſecunda ה, Filium à Patre genitum: tertia denique ר Spiritum ſanctum denotant. Nam vocabula incipientia à litera ט Patris, ſunt טוב *Tof*, id eſt, *bonus*. Quippè *nemo bonus niſi ſolus Deus*, teſte ipſo *Chriſto*.

Secundò טטף *Totaph*, id eſt, *frontalis*, *primus in ordine*, ſiue idem ac *in fronte quid poſitum*, *aut in capite*. Hoc modo Pater æternus ordine *prima* & *frontalis* eſt Perſona in diuinis. Cumque Iudæi, non niſi vnicam Perſonam, ſcilicet Patris agnoſcant; mirâ tamen religione ſuis illis frontalibus, (nominibus ſacris Dei inſcriptis) frontibus & brachiis alligatis, vel inuiti etiam & ignari Patrem æternum, vt primũ quidpiam, ad ſecundam & tertiam aliquam Perſonam relatum ſignificant. Vnde benè in Apocalypſi: *Ego primus & nouiſsimus*, *alpha & omega*. Secundùm Hebræos verò Ego ſum א, Aleph & Tau ט (ſunt enim literæ ת *Th*, & ט T, in pronunciatione indiſtinctæ & quaſi eædem) quod eſt quaſi idem dicere ac Ego ſum א, id eſt אב, *Pater* primus, & ט hoc eſt טוב *Tof*, Bonum vltimum, & finis omnium rerum. Siue ſum טטף *Totaph*, id eſt *frontalis*, & prima Perſonarum ad intra, ad extra prima omnium rerum cauſa cum Filio & Spiritu ſancto.

Tertiò à litera ט *T* Patris, incipit oriturque nomen טפסר *Tiphſar*, hoc eſt *Dux*, *Princeps*, *Bellator fortis*. Nunquid Dux Magnus, qui cuncta à non eſſe ad eſſe duxit? Vnde Deut. 32. dicitur *Dominus ſolus Dux fuit*, ſcilicet filiorum Iſraël

Mira arcana ex voce hebrea caſtitatis.

raël per deſertum, &c.

Princeps eſt autē omnis Dux, ergo & Pater æternus. *Bellator fortis* quidem, cùm eum toties S. Scriptura *Dominum exercituum nominet*. An non *bellator ille fortis* eſſet, qui vnâ nocte (4 Reg. 19. & 2. Machab. 8.) *centum octoginta quinque millia hominum in Senacherib* interfecit? Totum mundum aquarum diluuiis ſubmerſit? Sodomam & Gomorrham igni ſubuertit?&c. hem bellatorem fortiſſimum, & terribilem in conſiliis ſuper filios hominum! Sed iam ad ſecundam literam ה vocabuli שהר progrediamur.

Stupenda nobis hæc litera, Filio à Patre genito propriiſsima affert vocabula. Nam nomen הרן *Horon* idem eſt ac *Genitus, & Natus*, quod quidem vtrumque admirando modo Chriſto, ſecundæ ſanctiſsimæ Triadis Perſonæ conuenit: in generatione æternâ primùm, quoad Patrem genitorem, à quo diuinam eſſentiam participat, iuxta illud Pſal. 2. *Filius meus es tu ego hodie genuite*. Et iterùm. *Ante Luciferum genuite*, Pſal. 109. Sed nota, ſub vnico vocabulo hebræo *Horou*, latere tres literas, ad denotandum tres temporis differentias, ſcilicet præteriti, & futuri in vnicum perpetuò præſens collectas: adeò vt hæc SS. generatio nunquā pręterita, nunquam (quoad Deum) futura, ſed perpetuò præſens intelligatur, &c.

Arcana in nomine hebræo Horon Filium Dei referentia myſticè.

Alterum ab ה inceptiuum nomen eſt הדר *Hadar*, ſiue *decor, ſplendor, ſeu pulchritudo*. Quid Filio autem Dei magis, obſecro, poſſet appropriari reſpectu Patris; quàm *vt ipſe ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia Verbo virtutis ſuæ?* Hebr. 1. Et ideò meritò Dauid Pſalm. 89. hunc ſanctiſsimum ſplendorem his verbis ſuper nos exoptat; *Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos*, &c. Denique idem S. Romana Eccleſia cantat in hymno de S. Michaële Archangelo:

Tibi Chriſte ſplendor Patris
Vita, virtus cordium,
Votis, voce pſallimus,
Alternantes concrepando
Melos damus vocibus, &c.

Tertium ex ה inceptiuum vocabulum eſt הד *Hed*. Quod idem eſt ac *Echo*. Sic ſymbolycè, Filius eſt quaſi Echo Patris, videlicet *ſplendor, imago & figura ſubſtantiæ eius*. Sicut enim vocabulum echone ab ore clamantis ſiue intonantis, iiſdem prorſus articulis, iiſdem numeris, eodem ſono redit, & ſeſe obiectu ad clamantem reflectit; ita Pater æternus, cognoſcendo, intelligendo, intuendoque ſeipſum, *Verbum* eiuſdem ſecum ſpeciei, eiuſdem ſubſtantiæ, potentiæ & naturæ producit, quod ita productum, planè iiſdem omnibus numeris & perfectionibus completiſsimum, vt ſic loquar, ſeſe ad Patrem reflectit, cùm ſit *Verbum mentis eius*. qua de re ſi plura

Conceptus mirabilis.

plura deſideres, Theologos conſule, &c.

A ſimili verò rem totam difficillimam hanc miro, ſed ſuo tantùm modo metiri poteris. Nunquam verbi gratiâ quidnam protuleris, vel dixeris, intelligere potes, niſi verbum à te prolatum per ſonum & echo ſe illicò ad te reflectat, quod tamen verbum non eſt idem formaliter cum echo & ſono ad te reflexo, cùm echo obiecto pariete vel valle foris cauſetur, verbum autem tuum à lingua tua formetur, &c. Sic Filius Dei, *Verbum* quidem eſt Patris, ſine quo Pater æternus nec ſe comprehendit, nec intelligit: non tamen idem cum Patre eſt perſonaliter, etſi eſſentialiter indiſtinctus, &c. Quòd ſi iam totam SS. Trinitatem per echo ſymbolicè velis adumbrare; proferens verbum aſsimilabitur Patri: ipſum verbum prolatum, Filio: & tandem echo, Spiritui ſancto. Enimuerò ſicuti echo, ſuum principium obtinet à proferēte, & verbo prolato ſimul & in inſtanti quaſi (neque enim poſsibile eſt vel echo fieri ſine verbo vel verbum ſine dicente) ſic Spiritus ſanctus à Patre qui dicit, & Filio Verbo eius ſimul procedit, neque ſine Verbo vllo modo procedere poteſt, &c.

Iucundo conceptu declaratur myſterium SS. Trinitatis.

Quartum vocabulum ab initiali litera ה eſt הוד *Hod*, ſiue *Robur*, *Potentia*, *Fortitudo*, *Celebritas*, *Gloria*, *Dignitas*, *Maieſtas*, &c ſic inuenitur Pſalm. 21. verſu 6. *Potentiam & decorem impones ſuper eum*, &c. Et ideò Iſaiæ 30. verſu 30. non ſine myſterio ſic habetur: *Et audire faciet Dominus* את הוד *potentiam & gloriam vocis ſuæ* (Verbi ſui ſcilicet Chriſti) *& terrorem brachij ſui oſtendet in comminatione furoris & flammæ ignis deuorantis*, &c. Quod de Filio Dei in die iudicij venturo intelligi poteſt. Eſſe verò Filium brachium Patris ex Ioann. 1. ſatis deducitur; *omnia* enim *per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil*, &c.

Tandem literam tertiam radicis טהר, id eſt ר *R*, examinemus, quæ quidem plurimas ſub ſeſe alternatas voces Spiritui ſancto familiares & proprias comprehendit, quarum breuitatis cauſâ, duas tantùm hic adducere placuit: videlicet: רוח *Ruach*. Quod idem eſt ac *Spiritus Paracletus*. Id quod proprium eſt Spiritui ſancto; nam paſsim ferè nominatur in ſacra Scriptura hâc voce *Ruach*.

Alterum nomen ab ר inceptiuum eſt רחם *Rachem*, id eſt *Amor*, *Bonitas*, *Miſericordia*. Eſt vtique Amor Spiritus ſanctus; tùm quia ipſe eſt nexus Patris & Filij; cùm etiam quia ipſi peculiariter attribuitur amor & bonitas, &c. Vnde cantat Eccleſia: *Accende lumen ſenſibus, infunde amorem cordibus*, &c.

Spiritus S. in caſtitatis vocabulo myſticè latet.

Habes ergo qualiter tota SS. Trinitas in hâc voce טהרה *Taborah ſiue Caſtitas* myſtico quodam & arcano modo comprehendatur: mirum igitur non eſt, eam tantoperè nobis commendari: ita vt omnis

omnis ponderatio non æſtimetur digna continentis, & caſtæ animæ, &c. Eccli. 26.

Hæc enim ſola, homines Angelos velut conſtituit; vnde Chriſtus Dominus *in reſurrectione*, inquit, *neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo*, Marc. 12. Hæc ſola verbum Patris, ſummo cæli cacumine delapſum ſuo Virgineo ſinu recipere, geſtare, & parere meruit. Hæc Ioſephum Patriarcham dominum totius Ægypti conſtituit: Ioannem Chriſto omnium diſcipulorum dilectiſsimum effecit: Suſannam à ſententiâ mortis liberauit; tot ſanctos & ſanctas fecit. Sola Agnum quocumque ierit comitatur & ſequitur. Quid igitur caſtitate pretioſius; cùm, vti probatum eſt, ipſa ipſum ſummum Deum in nominis ſui etymologia myſticè comprehendat? Quid coram Deo & hominibus magis decorum? quid magis odoriferum? quid denique magis glorioſum, quàm vita & anima caſtitatis virtute coruſca?

Caſtitatis effectus.

Benè S. Bernardus: *Quid*, inquit, *caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter ſe homo & Angelus, ſed felicitate, non virtute: nam etſi caſtitas illius felicior; huius tamen cognoſcitur eſſe fortior. Sola autem caſtitas eſt quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore, ſtatum quendam immortalitatis gloriæ repræſentat*, &c. Hæc D. Bernardus.

Cùm igitur *voluntas Dei ſit ſanctificatio noſtra; vt abſtineamus nos à fornicatione, & vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore*, 1. Theſſal. 4. & denique adeò pulchra ſit *caſta generatio cum claritate vt immortalis memoria illius & apud Deum, & apud homines nota futura ſit*, Sap. 4. Quid non eam toto conatu ſectemur; ſummis à Deo precibus impetremus; ſingulari denique ſtudio impetratam conſeruare conemur, vt perpetuò illis aſſociari mereamur, *qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, & ſequuntur Agnum quocumque ierit*, Apocal. 14. & *quoniam felix eſt ſterilis, & incoinquinata* (ſcilicet anima) *quæ neſcit vti thoro in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum*, Sap. 3.

Lætamini igitur quotquot caſtæ animæ propter Deum eiuſque regnum, voluntariè hâc nobiliſsimâ caſtitatis gemmâ, Virginis Filio Ieſu Chriſto deſponſatæ, & copulatæ eſtis. *Eò quòd enim caſtitatem amaueritis, & poſt virum veſtrum & ſponſum Ieſum Chriſtum, alterum neſcieritis, eritis benedicti in æternum*, Iudith. 15.

MEMBRVM VIII.

De Fide, & eius ſigno in Zodiaco myſtico.

EX 7. Spiritus S. Donis enaſcentibus fructibus vndecim iam vtcumque expenſis, inque zodiaco

zodiaco myſtico ſuis ſignis & locis collocatis, tandem etiam paucis duodecimum, ſcilicet fidem percurramus, & in quo potiſsimum ſigno zodiaci myſtici aptè locari queat videamus.

Fidei definitio. Et primò quidem Fides ab Apoſtolo, Hebr. 11. dicitur *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentiũ*, &c. Et S. Auguſtinus de fide loquens in Enchiri. ait. *Fides credit, ſpes & charitas orant, ſed ſine fide eſſe non poſſunt, at per hæc & fides orat*, &c. Cumque fides ſpes & charitas in anima Deo grata, perpetuò concatenatæ, & radicatæ cenſeantur quibus mediantibus ſpirituali quâdã copulâ Deo Conditori ſuo copulatur; hinc ſimul in illa collectæ, haud ineptè pretioſo alicui annulo cõparari poſſent. Nam ſicut tria ſunt in annulo, ſcilicet gemma, aurum, & figura; ſic fides, ſpes, charitas, in anima radicatæ quaſi nobiliſsimum annulum repræſentant, quo videlicet ea Conditori ſuo ſuauiſsimè deſponſatur: iuxta illud Oſeæ 2. *ſponſabo te mihi in fide*, &c. Videtur igitur charitas ſimilis auro in annulo, ſpes figuræ rotundæ, & fides gemmæ in auro contentæ: nam hiſce non ornata anima nequaquam diuino ſponſo placere poteſt, *ſine fide* enim *impoſsibile eſt placere Deo*, Heb. 11. neque etiam ſola gemma fidei ſufficit, niſi auro quoque charitatis ſit ornata & aſſociata. *Nam ſi habuero omnem fidem*, inquit Apoſtolus 1. Corinth. 13. *ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, &c. Vbi autem Fides & charitas, illic etiam ſpes adeſt animę deuotæ, eamque cum fide & charitate in Deum erigit & Altiſsimo gratam efficit. Nam *Benedictus vir qui confidit in Domino*, Ierem. 17. Item Prouerb. 16. *Qui ſperat in Domino beatus eſt*, &c. Eſt igitur fides gemma nobiliſsimá cælitùs generata, *Dei enim donum eſt*. Epheſ. 2.

Fides, ſpes, charitas ſimiles annulo pretioſo.

Cumque ſignum Scorpij Aſtronomi aſſerant tonitruorum, & fulgurans, non ineptè fides in eo myſticè collocari poteſt. Sicuti enim fulmen in igne cælitùs delapſum, quæ tangit mortificat & incendit: ſic hæc nobiliſsima fidei gemma, hic lapis in igne charitatis cælitùs in animam delapſus, eam quodammodo mortificat, ſcilicet vt emoriatur ſibi, peccato, & mundo: inflammat verò eam per charitatem, vt Deo viuat, &c. *Fides comparatur fulmini.*

Alio etiam modo, fides quaſi mortificare & iterùm viuificare intelligi poteſt: ſic mortificabat legem antiquam eiuſque cultores: vnde Apoſtolus Rom. 7. *Itaque fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti vt ſitis alterius qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo*, &c. Poſtquam igitur hæc diuina gemma in flamma charitatis cælitùs deſcendit, ſubitò Synagoga mortua & ſublata eſt; Eccleſia verò orta, &c. Beati gitur qui hâc nobiliſsima gemma ornati ſunt;

viuâ inquam fide decorati; nam hac deſtitutus cæleſti ſponſo nequaquã deſponſari, aut placere poteſt quiſquis ille ſit; *ſine fide* enim *impoſsibile eſt placere Deo*, Hebr. 11. Ab hac igitur dependere cenſetur tota noſtra ſalus. Vnde benè Euſebius Emiſſ. hom. 2. de Symbolo. *Fides Religionis Catholicæ*, inquit, *lumen eſt animæ, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ. Quicumque hâc derelictâ, velut peſsimum ducem proprium ſequitur intellectum, ſic facit, quomodo ſi abſque fundamento ædificet domum, aut ſi prætermiſſo oſtio, velit introire per tectum, vel ſi nocte ſine lumine inferat greſſum, totum ſe clauſis oculis vrgeat in profundum*, &c.

Fides Catholica oſtium vitæ æternæ.

Iterum cur fidem in ſigno Scorpij collocemus, liceat & aliã cauſam adducere, videlicet quod, vti hoc ſignum igneę & tonitruoſæ naturæ cenſetur; ita & fides perpetuò igni charitatis debeat eſſe ſociata, tunc enim & homini viatori proficua, & Deo grata cenſetur, vt benè Apoſtolus Galat. 5. *In Chriſto Ieſu*, inquit, *neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur*. Ergo quæ per charitatem non operatur nil proderit: quod idem Apoſtolus confirmat, 1. Corinth. 13. *Si habuero*, ait, *fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum*, &c. Quid minùs autem eſſe poteſt quàm nihil? Quomodo igitur illi in ſua fide aliquid ſe eſſe ſibi perſuadere poſſunt, qui charitatis opera aut omninò verbis; aut ſaltem per contraria opera & factis tacitè ad ſalutem eſſe neceſſaria negant?

Certè fides hâc in parte haud videtur abſimilis Scorpio. Nam ſicut Scorpius in oleo oliuarum conditus, contra cuncta venena ferè, & ictus venenatarum beſtiarum præſentiſsimum antitodum eſſe perhibetur: ſic fides oleo bonorum operum condîta, maximè ſalutifera & contra diabolicos, & aliarum tentationum ictus præſentiſsimum remedium eſſe cenſetur. Vnde S. Petrus ſuâ epiſtolâ cap. 5. nos hoc ſalutari antitodo muniendos monet, contra ictus ſerpentis tortuoſi, ſcilicet diaboli. *Fratres*, inquit, *ſobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquã leo circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide*, &c. Vides quomodo fidem ſobrietate, vigiliis, & bonorum operum oleo contra dæmonis ictus doceat condîri & muniri?

Fides bonis operibus ſociata cui ſimilis.

At ſanctus Iacobus 2. cap. ſuæ epiſtolæ idem & magis confirmat; aſſerendo fidem, ſcilicet extra oleum bonorum operũ mortuam eſſe, & nullius valoris apud Deum. *Vis*, inquit, *ſcire ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Abraham pater noſter, nónne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? vides quoniam fides cooperatur operibus illius, & ex operibus fides illius conſummata eſt? Et ſuppleta eſt Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam*,

Fides ſine operibus mortua.

iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt, &c.

Et iterùm idem S. Apoſtolus Iacobus cap. 1. dictæ epiſt. confirmat. *Quid*, ait, *proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autẽ non habeat? nunquid poterit fides ſaluare eum?* Non certè. *Non enim omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei*, &c. inquit Chriſtus, Matth. 7. Enimuerò apud Deum ſola fides *quæ per charitatem operatur* locum habet, ſi Apoſtolo ad Galat. 5. credimus. Quid autem fidem per charitatẽ operari aliud eſt, quàm cum fide bona opera per charitatem coniuncta habere? Deum ſcilicet *fide noſſe, & factis non negare*: vt benè Titum Apoſtolus cap. 1. docet. Multi quidem & hodie *profitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*; glorientur nomine Chriſtiano & Catholico, cùm nil minùs vel agant, vel cogitent quàm quæ veri hominis Chriſtiani, & Catholici eſſe cenſentur. An non Chriſtus Dominus paſsim hinc inde Phariſæos de eorum operibus arguit? Quin adhuc hodie Lucæ 6. arguere & nos haud ceſſat. *Quid*, inquit, *vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Quid igitur aliud dicit, vultque Dominus à nobis niſi vt *ſeruemus omnia quæcũque mandauit nobis*, Matt. 28. Et vt *curam omnem ſubinferentes, miniſtremus in fide noſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientiâ autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim ſi nobiſcum ſint, & ſuperent, non vacuos & ſine fructu nos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui enim non præſtò ſunt hæc; cæcus eſt, & manu viam tentans obliuionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum*, &c. 2. Pet. 1.

Quot igitur hodie cœcos eſſe neceſſe eſt, cùm paucis iam dicta D. Petri præſtò ſint? Cùm igitur Chriſtus in die cognitionis ſuæ, ſiue iudicij, principaliter omiſsionem bonorum operum iudicaturus ſit, & non niſi adimpletionem eorum præmiaturus, vti conſtat Matth. 25. quid ergo acturi ſunt tunc illi, qui ita in fide ſua viuunt, vel ita credunt, quaſi bona opera minùs ad ſalutem ſint neceſſaria; & qui nil minùs cordi habent, quàm vt *per bona opera certam* ſuam *vocationem & electionem faciant?* 2. Petr. 1. Audiant hæc vaſa vacua ſine fructibus & bonis operibus in fide ſua tam ſecurè ambulantes S. Gregorium in homil. Aſcenſ. Fortaſsis, inquit, vnuſquiſque apud ſemetipſum dicat. Ego iam credidi, ſaluus ero. Verum dicit, ſi fidem operibus tenet: vera etenim fides eſt in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicat. Hinc eſt enim quod de quibuſdam falſis fidelibus Paulus dicit: *Qui con-*

fitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Hinc Ioannes ait. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt*, &c.

Hæc notent, qui ſub ſpecie falſa, ſiue ad excuſandas excuſationes in peccatis, aſſerendo ſcilicet Dei mandata aut nō omninò, aut difficulter ſeruari poſſe: omnimodè ſe à ſuaui, & non graui Domini iugo & onere ſubtrahunt, aut ſaltem ſub illo dignè operari negligunt, ſuæ ſcilicet pigritiæ, negligentiæ, & peruerſæ volūtatis opera, hoc falſiſsimo figmento ſubdolè tegentes, & excuſantes, olim tamen, ſed ſerò & ſeriò nimis, toti mundo manifeſtanda: & quando? tunc ſcilicet, quando (Apoc. 10) *Aperientur libri conſcientiarum*, &c. Et quando ſcilicet, *in fine hominis erit denudatio operum illius*, Eccli. 11. Denique quando *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris, redditurus vnicuique ſecundùm opera eius*, Matth. 16. Et tandem: quando *nos omnes manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum*, &c. 2. Corinth. 5.

Fides Catholica ſimilis lapidi philoſophorum.

Proinde ſi diuinum hunc lapidem, fidem Catholicam nempè, iam etiam lapidi, qui dicitur philoſophorum, comparemus, haud ineptire cenſebimur. Sicuti enim lapidis philoſophici virtute (ſed non ſine igne & fornace) ferè cuncta metalla, hoc eſt plumbum & ſtagnum, æs & argentum, &c. in purum aurum conuerti dicuntur: Ita & hoc vero lapide, ſcilicet fide quæ per charitatis ignem operatur, cuncta noſtra opera, alias in ſe quaſi nulla, inſtar plumbi & æris vilia & grauia, in pretioſum aurum meritorūm apud Deum conuerti cēſentur. Nunquid enim non hic pretioſiſsimus lapis, fides ſcilicet, totum hominem luteum quaſi, in aurum Deogratiſsimum conuertit? *Omnes enim*, inquit Apoſtolus Galat. 2. *filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu*, &c. Pet. 1. *Probatio veſtræ fidei multò pretioſior eſt auro*, &c. & denique Hebr. 11. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Vides igitur qualiter hic myſticus lapis philoſophicus, fides inquam viua operetur in anima, eâ verè decorata?

Fides oleo bonorum operum condita contra venena ſpiritalia.

Iam iterùm fidem oleo bonorum operum conditam, eſſe antidotum contra omnia quaſi ſpiritalia venena confirmat Apoſtolus, Epheſ. 6. *In omnibus*, inquit, *ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere*, &c. Hinc & benè etiam propoſito noſtro accedit Hilarius lib. 2. de Trinit. Vt quædam ait, medicamētorum genera, ſunt ita comparata, vt non in ſingulis tantùm ægritudinibus vtilia ſint, ſed omnibus in communi medicātur: habentque in ſe virtutem generalis auxilij: Ita & fides Catholica non aduerſus ſingulas tantùm peſtes, ſed contra omnes morbos opem medelæ impertit, non infirmanda genere, non vincenda numero, non

non diuerſitate tollenda, ſed vna atq; eadem aduerſus ſingula omniaque conſiſtit, &c.

Idem confirmat D. Chryſoſtomus in Babilam Martyrem. *Enimuerò*, inquit, *vt ſi adamantina, & in corruptibilia nobis corpora eſſent, neque ſcorpios, neque ſerpẽtes, neque ignem manibus formidaremus complecti: Ita cùm animas noſtras fide Chriſtus armauit, non eſt quòd timeamus etiam hoſtes tenentes venena. Nobis enim conceſſum eſt ambulare ſuper ſerpentes, & ſcorpios, & omnem diaboli tyrannidem, multò magis, & ſuper teredines, & ſcarabeos. Tam procul eſt ne qua parte nos offendant inſidiæ diaboli*, &c.

Et denique Auctor operis imperfecti apud eundem, homil. 19. perpulchrè demonſtrat, fidem noſtram oleo bonorum operum debere eſſe conditam. *Sicut*, inquit, *lucerna non quidem ex oleo accenditur, ſed per oleum nutritur; ſic fides non quidem ex opere naſcitur, ſed per opera nutritur*, &c. Vides igitur fidem ſine condimento & oleo bonorum operum mortuam eſſe, & nihil prodeſſe? Profectò ſi fatuæ illæ 5. Virgines Matth. 25. ſumpſiſſent oleum bonorum operum ſecum, haud excluſæ & repudiatæ fuiſſent à ſponſo. Tu ergo Chriſtum mitiùs acturum putas cum iis, qui aut bona opera omninò negant, aut ſaltem negligunt? Attende obſecro, quid acciderit eodem iam dicto capite Matth. 25. ſeruis illis, qui certa à Domino talenta acceperant, &c. Nam qui quinque acceperat, & in eis alia 5. ſuperlucratus eſt, non ſolùm laudatus, ſed & *in gaudium Domini ſui intrare iuſſus eſt*. Qui verò vnum ſolummodò acceperat, & ſine fructu otioſus *fodit in terram*, neque quidquam cum illo operatus eſt, ſpoliatus omnibus, velut ſeruus inutilis à Domino iubetur *eiici in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium*, &c. Fides ergo oleo bonorum operum condîta, eſt ſalutaris Deoque grata & accepta, eo verò deſtituta, mortua, & parùm proficua. Hinc illi qui nudâ fide ſalutem ſperant, vel nulla bona opera cum fide coniungunt, ſimiles mihi videtur arbori cuidam in Goano ſolo exiſtenti, quam ſcilicet *triſtem* vocant, eò quòd ſolummodò noctu florere, & ſuorum florum diuitias in tenebris tantùm oſtentare; exoriente ſole autem decidentibus floribus, omni ornatu exui, & triſtiſsimam faciem oſtendere perpetuò videatur. *Conceptus.*

Sic & in tenebris peccatorum, & huius vitæ vmbra, ſine bonis operibus multi in ſola fide florere hodie videntur, dum de veris floribus doctrinæ Euangelij gloriantes in arbore fidei nudæ ſecuros ſe putant de ſua ſalute. Exorituro autem ſole iuſtitiæ, & in die iudicij vnicuique ſecundùm opera ſua redditu ro, putatitiis floribus ſuis ſpoliabuntur, & in triſtitia perpetua relinquendi, quin & omninò in ignem mittendi ſunt. Hoc ipſemet

met Chriſtus Verbum Patris teſtatur, Matth. 3. *Omnis arbor*, ait, *quæ non facit fructum bonum* (ſed ſolis floribus ſine fructu vllo floret) *excidetur, & in ignem mittetur*, &c. Hinc & Apoſtolus nos, Epheſ. 5. monet: *Vt filij lucis*, inquit, *ambulate: fructus enim lucis eſt, in omni bonitate, & iuſtitia & veritate: probãtes quid ſit beneplacitum Deo. Et nolite communicare operibus infructuoſis*, &c. Vides ergo quomodo Apoſtolus eiuſmodi arbores infructuoſas, triſtes, ſolis floribus nudæ fidei florentes, depingat? Certè huiuſmodi arbores triſtes adhuc magis depinguntur Sap. 4. *Illos autem*, inquit Sapiens, *Dominus irridebit, & erunt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos, in perpetuum: quoniam diſrumpet illos inflatos ſine voce, & commouebit illos à fundamentis* (vides quomodo huiuſmodi triſtes arbores ſint eradicandæ?) *& vſque ad ſupremum deſolabuntur, & erunt gementes* (ô triſtiſsimam tunc faciem futuram talium arborum!) *& memoria illorum peribit. Venient in cogitationem peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates ipſorum*, &c.

Et iterùm Iſaias cap. 28. exactè eiuſmodi flores de arbore triſti decidentes deſcribit. *Væ*, inquit, *coronæ ſuperbiæ* (bona opera deſpicientes, & in ſola fide gloriantes videtur notare) *ebriis Ephraïm, & flori decidenti*, &c. quid aliud ſunt à fide Catholica deficientes, & ſine fructu bonorum operum in fide iam dicta viuentes, quàm flores à vera arbore vitæ, ſine fructu decidentes? Et quid aliud mero vanitatum inebriati, & quaſi plumbum, peccatis grauati, quàm *ebrij Ephraïm*, velut plumbum fundum interitûs perpetui petituri? Quibus eodem capite iam dicto Iſaias hoc comminatur. *Ecce validus & fortis Dominus, ſicut impetus grandinis, turbo confringens. Sicut impetus aquarum multarum inundantium, & emiſſarum ſuper terram ſpecioſam. Pedibus cõculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraïm. Et erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui eſt ſuper verticem vallis pinguium quaſi temporaneum, ante maturitatem autumni*, &c.

Denique & S. Iacobus primo ſuæ epiſtolæ capite, de eiuſmodi floribus ſine fructibus ad ſolis ortum decidentibus, ſic loquitur: *Exortus eſt enim*, inquit, *ſol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit*, (vides quàm triſtes eiuſmodi arbores futuræ ſint, floribus ſuo tempore deſtituendæ?) *ita & diues in itineribus ſuis marceſcet*, &c. putà qui ſolâ fide ſe ſat diuitem arbitratur, eaque vnâ, ſine bonis operibus diuitias cæleſtes in itinere huius vitæ ſuę ſe lucrari poſſe ſperat. Sed profectò, dum ſine operibus ſibi ſolâ fide cælum tam ſecurè promittũt, toto tamen cælo ab eo aberrant. Enimuerò haud ſine myſterio Chriſtus Dominus arborem fici ſine fructibus in via cum ſolis foliis inuentam maledixit, Matt. 21.

hoc

hoc enim facto ſignificare voluiſſe videtur pientiſsimus Dominus, quid ſcilicet de arboribus illis triſtibus *autumnalibus, & infructuoſis* de ſolis nudis foliis fidei, ſine vllo fructu bonorum operum ſuperbientibus, in die iudicij futurum ſit: videlicet planè eradicandas, & in ignem æternum proiiciendas eſſe, iuxta illud Matth. & Lucæ 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur,* &c.

Reſipiſcant igitur eiuſmodi *arbores autumnales, infructuoſæ*, ne olim ſole iuſtitiæ exorituro, omnibus foliis ſuarum inanium actionum infructuoſarum decidẽtibus, cum arbore fici infructuoſa, ęternâ maledictione feriantur, excidantur, & in ignem inextinguibilem mittantur, ibique æternùm ardeant, qui in vera fide per charitatem ardere noluerunt; ibi inquam tenebris exterioribus obcœcentur, qui hîc verâ luce fidei, & bonorum operum radiis lucere neglexerunt. Denique æterno fletu, & ſtridore dentium contriſtentur, qui in hâc vita veram fidem per charitatem operantem, aut habere non ſtuduerunt, cùm poſſent; aut eam negligenter coluerunt, vel omninò riſerunt, & contempſerunt, &c.

Itaque quicumque à charitate prima & bonis operibus forſan excidiſti, aut omninò in itinere non recto, hoc eſt vel peccatorum, vel in ſemitis nouis errorum, ambulas & oberras, *in partem*, obſecro, *vade ſæculi ſancti, cum viuis, & dantibus confeſsionem Deo* (ſcilicet cum iis qui in viua & vera fide confitentur Domino.) *Non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere viuens, viuus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum, & glorificaberis in miſerationibus eius: quia à mortuo quaſi nihil perit confeſsio*, &c. ſcilicet quando iam ibi clauſa erit ianua ad amplius bonum operandum aut promerendum, &c.

Econtrà intimo cordis iubilo lætamini, & vobis congratulamini, quotquot à vera arbore vitæ, viuæ ſcilicet Catholicę fidei, velut flores dependetis in ſalutifero, & odorifero horto voluptatis, Eccleſiæ Romanæ, à ſummo hortulano Chriſto, verbo & exẽplo plantatâ, ſanguinis ſui pretioſiſsimo fonte irrigata; flores enim veſtrorum bonorum operum charitate, & patientiâ in hac ſacra arbore fidei Catholicæ adeò fructificabũt vt exorituro ſole iuſtitiæ in fine mundi, non ſolùm non decaſuri, verùm fructum & æternum gloriæ pondus in nobis ſint operaturi, &c. 2. Corinth. 4.

Certè fides viua, & Catholica, eiuſque cultores haud abſimiles mihi videntur floribus & arbori à Græcis Polion dictæ. Hæc enim, vt aiunt, in aurora flores ſuos byſsi inſtar cãdidiſsimos procreat: tùm meridiano ſole eoſdem in purpureum colorem tranſmutat. Denique ad occaſum omninò ceruleos oſtentat, qui tãdem in fru- *Conceptus de fide arbori Polion comparata.*

ctus optimos denique generãtur, &c. Ita certè arbor fidei Catholicæ primò flores, hoc eſt filios candidiſsimos procreat, dum eos ab *operibus mortuis* viuificat, purgatos deinde paulatim, per variarum tribulationum flammas, purpureos, & inſtar ferri candentis exhibet (quia *regnum cœlorum vim patitur*, &c.) Deniq; ad occaſum, ſcilicet vitæ, omninò ceruleos, & cæleſtis coloris oſtentat; dum eos ſcilicet in cæleſtẽ Ieruſalem tranſmittit, &c. Vnde & videtur ſponſus alloqui ſponſam, Cant. 2. *Veni propera amica mea*, &c. *flores apparuerunt in terra noſtra*, *ficus protulit groſſus ſuos*, &c. Quod ſcilicet continget in terra illa viuentium: vbi futura *eſt merces operi noſtro*, Ierem. 31. Et quid mirum, ſi ità triplici colore dicti flores foliaq; fidei viuæ, & Catholicæ appareant, cùm & ipſe *Flos campi*, *& lilium conuallium* Chriſtus Deus noſter, hoc triplici colore apparuerit, ſcilicet in carne noſtra apparens? Nunquid enim primò hic SS. *Flos campi* omnino candidus apparuit, dum de radice Ieſſe *velut flos aſcendens* (Iſaiæ 15.) de puriſsima & candidiſsima Virgine incarnari, & naſci dignatus eſt, totumque mundum ſuo candore & luce illuſtrauit? vtpotè *candor lucis æternæ*, *& ſpeculum ſine macula Dei Maieſtatis*, *& imago bonitatis illius*, &c. Sap. 7. cuius & *candorem & pulchritudinẽ admirabitur* ſuo tempore *oculus*, Eccli. 43. &c. At licet tanti apparuerit candoris hic SS. Flos, mox tamen cœpit induere colorem purpureũ, ſcilicet dum in monte Olіueti, adeò pondere peccatorum noſtrorum preſsus, *factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*. Lucæ 22. Iterùm in domo Pilati; quando diriſsimè toto SS. corpore dilaniatus, & ſpinis coronatus apparuit. Denique in monte Caluariæ & cruce, dum perforatis SS. manibus & pedibus, latereque lanceâ aperto, totum pro nobis ſanguinem obtulit & effudit, &c. Verũtamen tandem à mortuis reſurgens, & ex monte Olіueti cælum aſcendens, totus ceruleus, hoc eſt, glorioſus, & cæleſtis apparuit, &c. Quem & Eccleſia tanquam ſponſa ſequi imitarique videtur ſuo modo. Nunquid enim in principio non tota candida inſtar byſsi apparuit? tum deinde tantâ ſanguinis effuſione martyrum quaſi totaliter depurpurata viſa eſt? & in hodiernum vſque diem, variis tribulationum aculeis, variis in locis ſauciata, ruborem purpureum ſui ſponſi nedum deponit, ſcilicet tum primùm lætiſsimè in ceruleum colorem tandem tranſmutanda, quando videlicet in militante conſtituetur triumphans æternùm cum ſponſo regnatura, &c.

Chriſtus ſimilis in ſua vita arbori Tolion.

Eccleſia imitatur in multis Chriſtum.

MEM-

MEMBRVM IX.

Expoſitio vocabuli hebræi Emunoh, *hoc eſt Fidei, eiuſque myſtica expenſio.*

VOcabulum אמונה *Emunoh*, ortum ſuum videtur deſumere à radice verbi אמן *Oman*, hoc eſt *nuntio, nutrio, educo*: vnde etiam vocabulum אמו *Imo*, ſeu *mater* deduci cēſetur: quod mater nutriat, & filium è ſordibus quaſi emundet, educatque. Similiter ortum videtur à nomine אמת *Emeth*, hoc eſt veritas, quid enim vera fides eſt aliud quàm veritas, à Veritate Chriſto? Hinc deductionem, myſticam dicti vocabuli *Emunoh* ſeu Fidei ſignificationem, haud iniucundè elicere liceat, cùm tres literæ, hoc eſt אמן vocis *Oman*, matres ſtatim in principio vocabuli *Emunoh* comprehendantur, vti conſideranti patebit. Fides enim vera profectò veræ & fidelis matris ſimilitudinem gerit, reſpectu credentium filiorum ſuorum, cùm eos, mandatorum Dei inſtructione, à ſordibus gentilium expurget, in via & præceptis Dei, vt mater fidelisſima enutriat: & ad regnum Dei ſingulariter habilitet; ad Patrem amantiſsimum Deum perducat; benedictionem æternæ hęreditatis ab eo recepturos: haud aliter quàm Iacob matris ſuæ conſilio, & auxilio, benedictionem à patre ſuo obtinuit: vti enim mater Iacob pellibus, & fragrantibus veſtimentis primogeniti Eſau indutū, patri optimo & Iſaac benedicendum adduxit, &c. ſic fides, fragrantiſsimis veſtimentis veræ doctrinæ, & mandatorum Dei eruditione nos inſtructos, æternâ benedictione à Patre Ter Opt. Max. benedicendos ad eum adducit, vt optimè Apoſtolus ad Galatas 3. docet. Nam *cognoſcite*, inquit, *quia qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ*, &c. & paulò infrà. *Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham*, &c. Quibus iam autem veſtimentis pro tali benedictione à Deo recipiēda, nos oporteat eſſe indutos, idē S. Apoſtolus. 1. Theſſ. 5. tradit. *Sobrij ſimus, induti loricam fidei, &c.* Vides ergo, non ſolam fidem ſufficere, niſi etiam ſobrietate (id eſt, vt cuſtodiamus nos ab omni cupiditate & ſæculari deſiderio) coniuncta ſit. Hinc & Eſau ſobrietate carens, & gulæ ſtudens, perdidit primogenituræ prerogatiuam, & benedictionem paternam: quam Iacob ſobrietate, & piloſis veſtimentis ſcilicet bonorum operum, fragrantiâque fidei conditis, indutus & ornatus ei abſtulit, &c.

Fides ſimilis matri fideli.

Conceptus.

Conceptus de bonis operibus cum fide iungendis.

Itaque haud ineptè Catholici, Acatholici, Iudæi & hæretici duobus fratribus Iacob, & Eſau, denotari, & adumbrari videntur; quorum quidem fratres Iacob, id eſt Acatholici per Eſau ſignificati, in ſolis vmbris, litteræque venatione

Catholici & Acatholici ſimiles Iacob & Eſau.

natione perpetuò occupantur, ſobrietatem ſcilicet bonorum operum, & mandatorum Dei obſeruationem parum curantes, dum præcepta Dei ſeruatu impoſsibilia, & ad regnum Dei, ſalutemque adipiſcendam non neceſſaria eſſe continuò, at falſiſsimè clamāt. Ex quo euidentiſsimè concluditur, eos, non attendentes *ad mandata Dei*, ſobrietate bonorum operum deſtitutos etiam cum Eſau fragrātiâ veræ fidei carere. Non credis? audi infallibilem veritatem, & verba ipſius Dei Eccleſiaſtici 31. *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam eius*, *&c.* Quæ eſt ergo doctrina Dei? illa ſcilicet, Lucæ 11. *Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt* (id eſt faciunt) *illud, &c.* Nam Eccleſ. 31. *qui quærit legem* (cum intentione recta eam adimplēdi, non cum imaginatione eam neque eſſe ad ſalutem ſeruatu neceſſariam, aut poſsibilem) *replebitur ab ea: & qui inſidioſè agit ſcandalizabitur in ea, &c.* An non hoc eſt ſcandalizari in lege, credere, & aſſerere legem & præcepta Dei non eſſe *onus leue*, vt Chriſtus Dominus tamen docet, ſed grauiſsimum, quin tam graue, vt ſeruatu ſit impoſsibile? &c. Quid hoc aliud arguit, quàm eos non credere verbis, & mandatis Dei? Dicit enim Dominus: *Iugum meū ſuaue eſt, & onus meum leue.* Econtra Acatholici aſſerunt iugum mandatorum Dei graue eſſe, quia ſeruari non poteſt. An non *fidelia* ergo *mandata eius?* Iam expreſsè probatur Acatholicos non credere verè, ſcilicet verâ fide ſaluante, ſed eius fragrantiâ cum Eſau eſſe deſtitutos, & conſequenter à Patre luminum (qui vera dicit aſſerendo onus legis ſuæ eſſe leue, hoc eſt ſeruatu facile) nullatenùs benedicendos, niſi fortè in pinguedine terræ, temporalium bonorum ad modicū huius vitæ tantùm. Nam *Qui credit Deo* (ſcilicet tenendo piè onus legis ſuæ debere ſeruari, eſſeque leue) *attendit mandatis, &c.* & iterùm. *Sapiens non odit mandata.* Denique: *Homo ſenſatus credit legi Dei, & lex illi fidelis, &c.*

Cùm igitur Acatholici non attendant mandatis, (ſi enim attenderent, facerent, neque ſolam fidem ad ſalutem ſufficere aſſererent) quomodo ergo credere Deo cenſendi ſunt? Vides ergo eos neceſſariò, & eo ipſo, quod ſobrietatem bonorum operum, & mandatorum Dei obſeruantiam ad ſalutem minùs neceſſaria aſſerāt, etiam fragrantiâ, *cinctorio, loricâ*, & veſtimento veræ fidei cum Eſau deſtitutos eſſe? quin (non dicam inſenſatos) ſed minùs ſenſatos cenſendos eſſe, cùm non credant legem, & præcepta Dei poſſe, aut debere ſeruari: hinc mirùm non eſt, eos etiam legem Dei minùs fidelem iudicare. Quomodo enim *lex fidelis* eis eſſe poteſt, quam ſeruatu impoſsibilem docent, non obſtantibus verbis Chriſti ęternæ veritatis ſcilicet, *ſi vis ad vitam ingredi*

443

gredi ſerua mandata, Matth. 19. & Ioann. 14. *Mandata mea ſeruate.* Et iterùm eodem capite : *Qui habet mandata mea , & ſeruat ea , ille eſt qui diligit me.* Ergo qui ea non ſeruat, & ſe ſeruare non poſſe aſſerit, non eſt qui diligit Chriſtum. Nam: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat*, &c. Ergo neque diligetur à Patre, neque Chriſtus ei ſeipſum manifeſtaturus eſt. Vides igitur, quàm miſeri ſint Acatholici: nam *qui non diligit manet in morte.* Ioan. 14. Acatholici diligere Deum non poſſunt, quia mandata eius ſeruare nequeũt; ergo *manent in morte.* Maior eſt infallibilis veritatis Chriſti: minor probatur eâdem authoritate. Nam : *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea , ille eſt qui diligit me ;* & *qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.* Acatholici neque ſeruant , neque ſeruari poſſe credunt; ergo non diligunt Chriſtum ; & conſequenter continuò *manent in morte.* Eſt ergo fides ſimilis matri fideli nos adducens ad Deum Patrem, æternam benedictionem cum Iacob recepturos. Optimè S. Chryſoſtomus, ſuper Symb. *Fides*, inquit, *Religionis Catholicæ , lumen eſt animæ , oſtium vitæ , fundamentum ſalutis æternæ*, &c.

Lætamini ergo, quotquot *induti loricam Fidei*, veſteque ſacra nuptiali Religionis Catholicæ & odoriferis bonorum operum , & obſeruantiæ mandatorum Dei cum Iacob ornati eſtis : vtpotè æternæ beatitudinis hæreditatem, à Patre Luminum reportaturi; theſaurus enim fidei veſtræ, hîc in ſpeculo & ænigmate quidem repoſitus, *æternæ gloriæ pondus operabitur* olim *in vobis*. Vt optimè D. Aug. de verbis Domini. *Nullæ*, inquit, *maiores diuitiæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla huius mundi maior eſt ſubſtantia, quàm eſt fides Catholica* (non dicit Lutherana , aut Caluiniana , aut alia à fide Catholica noſtra, &c.) *quæ peccatores homines ſaluat , cæcos illuminat , infirmos curat , catechumenos baptizat. Fides iuſtificat, pœnitentes reparat, iuſtos augmentat , Martyres coronat, Virgines, viduas, & coniugales caſto pudore conſeruat, clericos ordinat, ſacerdotes conſecrat* (nil certè horum inuenire eſt apud Acatholicos) *in æterna hæreditate cum ſanctis Angelis collocat*, &c. Igitur Fides Catholica teſte S. Ambroſio lib. de Virginit. *eſt theſaurus omnibus opulentior, virtutibus corporeis omnibus fortior , medicis omnibus ſaluantior*, &c. Quid enim, vt cum Diuo Bernardo ſup. Cant. loquamur, *quid, inquam, non inuenit fides? attingit inacceſſa, deprehẽdit ignota, comprehendit immania , apprehendit nouiſſima , ipſam denique æternitatem, ſuo illo caſtiſſimo ſinu quodammodo circumdedit*, &c.

Fides quã mira operetur Catholica.

Igitur nota vocabulum אמונה *Emunoh* ſiue *Fides* conſtare 5. literis , quarum ſi quamlibet aliarum dictionum cõſtituamus initialem, nulla ſuperflua erit, nulla myſterio carebit. Et prout in vocabulo patientiæ, & caſtitatis hebræo, SS. Trinitatis myſterium myſti-

In vocabulo hebræo Emunoh ſeu fidei myſteria multa latere.

myſticè latere ſuprà demonſtrauimus, ſic idem non minùs in hâc voce *Emunoh* demonſtraturi ſumus. Itaque in ſequenti tabella cuilibet literæ dicti vocabuli ſubalternatas vides voces, à qualibet litera eius incipientes cum ſuis ſignificationibus, quæ latere videntur myſticè in vno vocabulo *Fidei*, ſeu *Emunoh*, à dextris & א verſus ſiniſtram more hebræo legendo.

ה	נ ו *Nexus*	מ	א
הגן *via recta*	נקר *Paſtor*	מלך *Rex*	אב *Pater Dominus*
הכהן *Donum*	נאם *Verbum*	מגל *Falx*	אלוף *Princeps Magnus*
חהלה *lumen*	נזיר *Nazaræus*	מגר *Pretioſius auro*	אחב *Amor Charitas*
חר *Echo*	כצה *Flos*	מד *Cingulum veſtis*	
הלום *lapis pretioſus*	נהרה *Lux*		

Pater æternus myſticè latet, in vocabulo Emunah *ſeu* Fides.

Igitur ſub prima litera א ſeu *Aleph* ſunt hæ voces: *Ab, Pater, Dominus*; *Aluph*, hoc eſt, *Princeps magnus*; *Achab*, id eſt, *Amor charitas*. Quæ voces Patri æterno ritè competunt, ipſe enim non ſolùm eſt Pater reſpectu generationis æternæ, ſed etiam creationis. Dominus, quia *Dominus Dominantium*, &c. & Iſaiæ 45. *Nunquid non ego Dominus?* Princeps quidē eſt, à quo omnis principatus in cælo, & in terra oritur: an non & Princeps; qui etiā aufert ſpiritum principum? Pſal. 75. Denique vocabulum *Achab*, ſiue *Charitas* Patri æterno etiam conuenit: quia *Deus charitas eſt*, &c. licet principaliter à Theologis Amor tribuatur Spiritui ſancto; eo quòd à Patre & Filio per amorem procedat, &c. habemus igitur Patrem æternum, & Spiritum S. per primam literam א vocabuli *Emunoh*, ſeu *Fides* myſticè ſignificatū.

Spiritus S. latet in voce Fides.

Sub ſecunda litera ſcilicet מ reperiuntur hæc vocabula, ab ea incipientia, videlicet; *Melech* ſiue *Rex*. *Magal* ſeu *Falx*. *Magad*, hoc eſt, *Pretioſius quid auro*, *Mad*, id eſt, *cingulum veſtis*. *Mor* idem ac *Myrrha, aroma, odor pretioſus*, &c. Prima quidem vox *Melech* Rex optimè ſecundam SS. Triadis perſonam exprimere videtur, ſcilicet Regem illum pacificum Chriſtum, ſeu *Ieſum Nazarenum Regem Iudæorum*, &c. ſecundum vocabulum eſt *Magal*, ſiue *Falx*, ſcilicet falx fidei; quâ omnes errores hæreſeos præſcinduntur, & technę diaboli vincuntur. Hinc benè S. Petrus 1. ſuæ epiſtol. cap. 5. hortatur nos hâc falce contra diabolum pugnare debere. *Fratres ſobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes*

Filius Dei in vocabulo Melech & fidei myſticè.

fortes in fide, *&c.*

Et S. Cyprianus libr. 1. epiſt. 3. etiam rectè neceſsitatē huius falcis fidei tradit contra cunctos errores, &c. *Manere*, inquit, *debet apud nos fidei robur immobile, & ſtabilis, & inconcuſſa virtus, contra omnes incurſus, atque impetus oblatrantiū fluctuum, velut petræ obiacentis fortitudine & mole debet obſiſtere*, &c. Hâc falce S. Romana Eccleſia, Chriſti ſponſa, vtpotè verâ ei *fide deſponſata* iuxta illud Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in fide*, &c. omnes hactenus hæreſeos ſurculos præſcidit; vtpotè Arianos, Donatiſtas, Neſtorianos, Pelagianos, nuperq; à proximo elapſo ſæculo enatos & ſexcentos alios, &c. quod euidentiſsimo ſigno eſt veram fidei falcem, nullibi quàm in Eccleſia Romana & Catholica eſſe.

Fides ſimilis falci. Vera fides in Eccleſia R mana ſolùm eſt.

Hinc & vltimum vocabulum ſub litera ח hoc eſt *Halem*, nō abſque myſterio, *lapidem fortem*, *& pretioſum* ſignificare videtur, quia fides vera & viua, omni lapide eſt pretioſior, vt benè D. Chryſoſt. ſuper illud Matth. 13. *Inuenta vna pretioſâ*, &c. *Vna eſt*, inquit, *veritas, & non partita: & ſicuti qui margaritam habet, ipſe nouit quantùm diues eſt, & tamen multis poteſt eſſe non cognitus; ita & qui fidei margaritam, & veritatem detinent, noſcunt quod diuites ſunt: infideles autem theſaurum neſcientes hunc, diuitias noſtras ignorant, &c.*

Et verò, ſacroſancta hæc orthodoxa margarita fidei Romanæ, omnes alias adulterinas fides cōminuens hactenus; haud ſubobſcurè præfigurata videtur illo lapide Danielis 2. *de monte abſciſſo, ſine manibus; & teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum comminuente.* Profectò namque Catholicæ fidei lapis *de monte Caluariæ*, ſeu de monte & Petra Chriſto ſine manibus, hoc eſt ſolâ Dei virtute deciſus, ſubitò comminuit *aurum & argentum*, hoc eſt Synagogam eiuſque fidem olim quidem Deo acceptam, &c. *& teſtam, & ferrum, & æs*; ſcilicet, hæreſes varias & fides adulterinas partim ferreâ, & obſtinatiſsimâ duritie, partim teſteâ ceruice & firmitate tantùm conſtantes, parumque durantes, &c. Igitur *ſuper quem ceciderit lapis iſte, comminuet eum*, *Lucæ* 20. quod etſi principaliter Chriſtus de ſe intellexerit; tamen haud etiam ineptè pro lapide fidei Catholicæ de Petra Chriſto ſine manibus deciſo, reſpectu hæreſum ab eo partim iam comminutarum, partim & comminuendarum applicari poſſe videtur. Itaque ſuper quācumque fidem alienam à Romana hic fortiſsimus lapis ceciderit; hoc eſt quamcumque cōdemnauerit, pro certo cōminuenda, & pro damnatâ habenda eſt: condemnauit verò iam ſexcenta eiuſmodi dogmata, & vltimò tam Luthera quàm Caluini: ergo adulterina cenſenda ſunt, &c.

Conceptus inſignis. Fides Romana comparatur lapidi illi Dan. 2. abſque manibus de mōte abſciſſo.

Præterea ſub litera ט comprehenduntur vocabula *Magad*, ſcilicet idem ac *pretioſius auro*. Vera enim

Fides pretioſior auro.

enim fides auro multò pretioſior; vtpotè ſine qua nulla moneta bonorum operũ valet apud Deum. non credis? audi Apoſtolũ Rom. 14. *Omne autem quod non eſt ex fide peccatum eſt. Quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo*, &c.

Conceptus. Fides cingulo comparatur.

Quartum vocabulum ſub litera מ eſt *Mad*, ſiue *cingulum*, *cinctorium*, *veſtimentum*. Quid eſt autem aliud fides, quàm cingulum, & cinctorium, quo nos præcincti in hoc mortali via & vmbra, feſtinamus ad patriam cæleſtis Hieruſalem. Eſſe autem fidem quaſi cingulum, ſeu cinctorium, teſtatur Iſaias cap. 11. *Fides cinctorium renum eius.* Hoc autem ſanctiſſimum cingulum videbatur præfiguratum, quod in eſu Agni Paſchalis, Iudæi debebant eſſe præcincti, quaſi itineraturi. Et ſicut S. Petrus ſeſe præcingens, & in mare demittens etſi mergi videbatur, tamen ſubmerſus non eſt; ſic veræ fidei cingulo Eccleſia præcincta nullis errorum, aut hæreſum fluctibus vnquam mergitur: etſi enim in hâc lachrymarum valle & mare tribulationũ, & oppreſsionũ, ob tot eam hæreſum fluctus continuò agitãtes & ſubmergere machinantes impetus ſępiùs mergi videatur, nunquam tamen ſubmergitur; quia *fides cinctorium renum eius*, &c.

Conceptus iucundus. Eccleſia comparatur aquiambulis.

Profectò enim videtur mihi ſacra Romana Eccleſia, Mater noſtra chariſsima, ſimillima aquiambulis, liberè abſque ſubmerſionis periculo in mari, vt aiunt, ambulantibus; idque beneficio tam cinguli aëre ventoque inſtar follium inflati, & circa renes ligati, quàm etiam ope ponderis aut lapidis infra pedes ligati, cuius grauitate totum corpus, ne ſuperior eius pars pondere ſuo depreſſa mergatur, in æquilibrio ſuſtentatur, mediis aquis & fluctibus, &c. Ita certè ſacra Romana Eccleſia, primò fundata *ſupra firmam petram*, ſcilicet Chriſto inſiſtens, *lapidi angulari*, &c. in æquilibrio, perpetuæ & vniformis doctrinæ, perdurat, cingulo namque fidei (Spiritus sãcti ſcilicet imprægnata inſpirationibus) præcincta, in mediis huius ſæculi oceani fluctibus ſine vllo merſionis periculo ſecurè obambulat: nam *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eã*, Matt. 16. & optimè Caſsianus ſuper Pſ. *Nouit*, inquit, *Eccleſia beneficio Domini triumphare de ſuis hoſtibus & cladibus, ingrauata perſecutionibus; ſiquidem proficit, afflictionibus ſemper augetur: ſanguine Martyrum irrigatur, triſtitiâ magis erigitur, anguſtiâ dilatatur, fletibus paſcitur, ieiuniis reficitur: & inde potiùs creſcit, vnde mundus deficit*, &c. Vides ergo quàm ſecura in fluctibus huius ſæculi ambulet fidei cingulo præcincta.

Tandem in vocabulo hebræo *Emunah*, ſequitur litera ו quæ ſola habet vim connectiuam & copulatiuam, profectò Spiritus ſancti typum haud ineptè referens, vtpotè qui cùm à *Patre Filioque procedat*,

Spiritus S. myſticè in vocabulo hebræo fidem ſignificante latet.

cedat per amorē, propriè à Theologis nexus & Patris, & Filij dicitur, &c. Et ſicuti hæc litera in vocabulo iam dicto, medium tenet locum; ſic Spiritus ſanctus cenſetur latere, & ſuo modo reſidere in meditullio Fidei & Eccleſiæ Catholicæ, tanquam Magiſter, & cuſtos veritatis. Optimè S. Bernardus. *Spiritus ſanctus*, inquit, *ſpiritus rectus, ſpiritus dulcis, ſpiritus fortis, infirma fide roborans, aſpera planans, corda purificans*, &c.

Filius Dei myſticè in vocabulo Fidei.

Sequitur quarta litera נ cui ſubalternãtur nomina *Noked*, ſiue *Paſtor*. hinc Chriſtus ait: *Ego ſum Paſtor bonus*, &c. *Niem*, idem ac *Verbum. Et Verbum caro factum eſt*, Ioan. 1. *Nazir*, hoc eſt Nazaræus. *Quoniam Nazaræus vocabitur*. Iud. 13. & Matth. 2. *Nithſa* Flos. *Ego flos campi* dicit Sapientia, Cant. 2. *Nehara* lux: *Erat lux vera*, &c. Ioan. 1. & iterùm. *Ipſe enim lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ*, &c. 1. Ioan. 1. Igitur litera quarta נ vocabuli Fidei hebraici, Filium Dei optimè referre videtur.

Denique ſub vltima litera, ſcilicet ה reperiuntur vocabula *Hagan*, id eſt *via recta*. Quis enim dubitat fidem viuam & veram eſſe viam rectam, vtpotè perducentem hominem viatorem ad patriam cæleſtem? &c. Qui credit in me *non morietur in æternum*, Ioan. 11.

Alterum vocabulum eſt *Habehad*, hoc eſt *Donum*; reuera enim fides *eſt donum Dei*, quâ illuſtratus homo firmiter aſſentitur iis quæ à Deo per Spiritum S. Eccleſiæ dictata, promiſſa, & reuelata ſunt &c. Tertium vocabulum eſt *Halah* idem ac *lumen*. Quid autem fides aliud quàm lumē? hinc Dauid Pſalm. 4. *Signaſti ſuper nos lumen vultus tui Domine*, &c. hoc eſt in vera fide feciſti nos videre & cernere lumen vultus tui, id eſt filij tui fidem nobis traditam, &c. vnde: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat*. Et 1. Ioan. 2. *Verum lumen iam lucet*, &c.

Conceptus. Fides echoni comparatur.

Vltimò vocabulum *Hed*, idem ac *Echo*, nil aliud ſignificat quàm echonem verbi, ſcilicet verborum Filij Dei, & ſpiritûs eius: ſicut enim echo non niſi ſub ſenſum auditûs cadit, ſic fides eſt res quā non vides, ſed ſolùm, teſte Apoſtol, *oper auditum eſt* (Rom. 10) quaſi echo Dei: Echonem audimus, etſi nō videamus verba, & voces proferentem: tamen indubitatè credimus, echonem fieri non poſſe niſi à proferentis voce reflexâ, & replicatâ: ſic indubitanter credere oportet, illum SS. fidei echonem iā à Chriſto Verbo, &c. ad præſentis temporis inſtans dulciſsimè in Eccleſia Romana reſonãtem, non ab alio, quàm Filij Dei voce, olim in carne loquentis per Spiritûs S. auram, ad aures noſtras delatum proficiſci.

Conceptus.

Echo tamdiu fieri non ceſſat, quamdiu clamantis, loquētiſque vox ſonat. Cùm igitur Chriſtus Dominus nunquam quod ſemel per fidem nobis tradidit reuoca-

rit, aut per Spiritum S. nobis loqui ceſſauerit hactenus, ſed continuò adhuc loquatur nobis iuxta illud: *Ecce enim maneo vobiſcum vſque ad conſummationē ſæculi*, &c. Matth. 28. *Et Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*, &c. Ioan. 14.) quomodo ergo echo veræ fidei in Eccleſia potuit ceſſare? Vide ergo quid agas, quid hoc loco dicas, quiſquis aliud quàm Eccleſia Romana ſentis; ne in Chriſtum æternam veritatem arietes, & mendacij impiè, mendax ipſe, reum traducas: eum ſcilicet *apud quem non eſt tranſmutatio*, Iacob 1. quique mentiri non poteſt, &c. Et his, hactenus de myſtico zodiaco, & primo mobili ad Maieſtatis diuinæ maiorem gloriam, & tuam ædificationem qualitercūque dictis. *Memento*, obſecro, *Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placēt. Antequam obtenebreſcat Sol, & lumen, & lunæ, & ſtellæ, &c. Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes*. Fac bonum inquam, & declina à malo; *conuertere ad Dominum Deum tuum*; ſcilicet *antequam rumpatur funiculus argenteus, &c.* (hoc eſt antequam tempus benefaciendi ceſſet) *& conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota* (vitæ tuæ) *ſuper ciſternam*, (ſepulchri tui) *& reuertatur puluis in terram ſuam, &c.* Eccli. 12.

Exhortatio ad peccatores Eccleſiaſtis.

Igitur qui ibi non ſeriùs velit *conuerti cùm peccatoribus in infernum*, Pſalm. 9. hîc ſeriò conuertatur & viuet. Denique quiſquis aut in vera Catholica & Romana fide omninò non es, aut in ea exiſtens dignè non es, & minùs rectè in illa ambulas; finem loquendi Eccleſiaſtis audito. *Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo.* Nam certò ſcitò, *Deum cuncta quæ fiunt adducturum in iudicium, pro omni errato, ſiue bonum ſiue malum illud ſit, &c.*

CAPVT V.

Beatiſſima Virgo Maria, Eccleſia Catholica, & anima deuota, ſunt quaſi cælum myſticum.

PRÆPARATIO.

HActenus vidimus, qualiter cælum non ſolùm SS. Trinitatis myſterium ſuo modo exhibeat, verùm etiam & ſingularum diuinarum Perſonarum typum gerat. Nunc pariter videndum erit, quomodo etiam Mater Dei BB. Virgo Maria, ſpóſa Chriſti, & Anima Deo deuota, cælo myſticè comparari poſsint. Et quidem Anagoge primâ, de cælo Mariano myſtico; in ſecunda de cælo Eccleſiæ; in tertia de Animæ firmamento paucis acturi ſumus.

ANAGOGE I.

Qualiter cælum B.B.Virginem exprimat ratione ſuæ immenſæ altitudinis, pulchritudinis, & ornatûs.

MEMBRVM I.

De Dignitate & Excellentia B.Virg. cælorum amplitudine & pulchritudine repræſentata.

IN rerum natura oculo humano intuitu profectò nil iucundius, menti conſideratu nil delectabilius eſſe cenſetur quàm *cælum ſcrutari in altum*: ſunt namque, teſte Cicerone 2. de nat. Deor. homines quidem ex terra, non tamen vt puri incolæ & habitatores, ſed quaſi ſuperarum rerum, atque cæleſtiũ ſpeculatores. Cùm enim animus nobis ſit cœlitùs impreſſus, quid mirum, ſi occultâ quâdam virtute, & ſympathica vi ſursùm feratur, alliciaturque: id quod adeò olim, Ethnicis & infimæ etiam fæcis hominibus familiare fuit; vt teſte Plutarcho, etiam quidã Melon nomine, cùm priùs eſſet militiæ, & animaduerteret, ſe haud commodè poſſe contemplationi cælorum vacare: eam ſolùm ob cauſam inſaniam mentitus fuerit, atque etiam domum propriam flammis exuſſerit, vt vacationem contemplationis rerum cæleſtium impetraret, &c. ſic & Nigidiũ infimæ plebis homunculum, arteque figulum, rotæ ſuæ vel ideò valedixiſſe, Lucanus lib. 1. author eſt; vt rotæ cæleſtis contemplandæ eò aptiorem ſe redderet. vnde verſus eiuſdem Lucani:

Mirum deſiderium cuiuſdam contemplandi ſidera.

At figulus cui cura deos, ſecretaque mundi
Noſſe fuit, qui non ſtellarum Ægyptica Memphis
Æquaret viſu, numeriſque morantibus aſtra.

Quidni igitur homo Chriſtiano & Catholico nomine coruſcus nõ etiam quandoque contemplatione ad cælũ ſe libraret hoc viſibile, vtpotè à viſibili eius ornatu, ad inuiſibilia Dei conſcenſurus? nam per viſibilia facta cõmodiſsimè inuiſibilia Dei conſpiciuntur, teſte Apoſtolo. Conſpiciamus igitur mirum ornatũ, pulchritudinem, & altitudinem cæli, & quid nobis mutâ quaſi loquelâ innuat, facilè concludemus.

Et quidẽ cælum, maximè primum mobile, & firmamentum, multas habet prærogatiuas. Primò quidem quod ſit ſubſtantiæ puriſsimæ, ſubtiliſsimæ, incorruptibilis: totum mundum tegens, & fouens. Deinde quòd ſit immenſæ amplitudinis, & altitudinis. Tertiò quòd in medio ſui lucidiſsimum Solem, & omnes Planetas, velut vterus complectatur. Quartò quòd duodecim ſignis, & *Prærogatiua firmamenti.*

conſtellationibus ſit coruſcum. Quintò, quòd circà vnũ centrum, ſuper duos polos continuò vertatur. Et denique ſextò, quòd infinita ſtellarum multitudine, viâ lacteâ, luce & colore cæleſti ſit ornatiſsimum.

Certè ſi dignitatem, excellentiam, maieſtatẽ, pulchritudinem, puritatem, & denique infinitas virtutes, atque prærogatiuas BB. Virginis conſideremus, nil deerit, quin eam omninò cælum myſticum appellemus. Sicut enim cælum primò omnium Deus creauit ſubſtantiæ ſubtiliſsimæ, excellentiſsimæque: Sic BB. Virgo Maria ante omnes creaturas, à Deo electa cenſetur, vt ipſamet teſtatur, Eccli. 29. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*, ſcilicet, *primogenita ante omnem creaturam*, &c. hoc eſt, ab æterno pro Matre Dei electa. Quis igitur huius ſacroſancti cæli myſtici dignitatem, ſublimitatem, & excellentiam ſufficiẽter deſcribat? vtpotè quæ reuerà amplior & excelſior ipſo cęlo, profundior abyſſo, & latior vniuerſa terrâ eſt: *quia quem cæli capere non poterant ipſa ſuo* virginali *gremio contulit* & concluſit. Vnde optimè S. Bernardus in quodam ſermone. *O venter capacior cælis, diffuſior terris, latior elementis, qui illum continere valuit quem totus orbis comprehendere non potuit, qui tribus digitis molem terræ appendit.* Quo pacto igitur obſecro dignè laudes & magnitudinem tantæ Dominæ prædicare poterit infirmitas hominum, quæ gaudium & Regem peperit Angelorum? quo verbo calami noſtri imbecillitas eius excellentiam exprimi, quæ Virgo & Mater protulit Verbũ Patris? quæ lingua eius laudes efferat, quæ illum genuit, cui *omnis lingua confitetur; omnéque genu flectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum?* Vno verbo dicam, ſolum *Verbum Caro factum* dicere poteſt, quid ſit illa: quæ ſola verbo *Verbum* concepit Patris.

Conceptus & applicationes.

Optimè Petrus Damianus in quodam ſermone ſuper Euang. lib. generat: Hinc fratres, hinc ergo perpenditur, quibus laudibus digna ſit beata glorioſa Virgo Maria: quæ illum de caſtiſsimis ſuis viſceribus nobis genuit, qui nos de tam profundo gutture draconis eripuit. Ad eius namquè præconia digna efferenda, non Rhetoricorum diſerta facundia, non Dialecticorum ſubtilia argumenta, non acutiſsimorum Philoſophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum, ſi hæc ineffabilis Virgo, in ſuis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cùm & ipſam humani generis naturam, excellentiam, meritorum dignitate tranſcendat? non denique excellentiſsimus Patriarcharũ chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non Iudex Apoſtolorum ſenatus, non martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quiſquam ſequentium Patrum, huic beatiſsimæ Virgini poterit comparari. Quid enim

enim ſanitatis, quid iuſtitiæ, quid religionis, quid perfectionis ſingulari huic Virgini deeſſe potuit, quæ totius diuinæ gratiæ chriſmate plena fuit? ſicut namque, dum ab Angelo ſalutaretur audiuit: *Aue gratia plena, Dominus tecum*: quod ergo vitium iræ eius mentis, vel corporis vendicare potuit ſibi locum, quæ ad inſtar cæli plenitudine totius Deitatis meruit eſſe ſacrarium? Hæc Petrus Damianus, &c. Optimè igitur B. Virgo altitudini, & excellentiæ cæli comparatur, eiuſque puritati; vtpotè quæ ſine macula concepta, ſine labe genita, & naturâ mirante concepit genuitque ſpeculum ſine macula. Vnde S. Hieronymus in ſerm. de Aſſumptione. *Quid nos tantilli, quid actione puſilli, quid in eius laudibus referamus, cùm etiamſi omnium noſtrum membra verterentur in linguas, eam laudare ſufficeret nullus. Altior enim cælo eſt: abyſſo profundior cui laudes dicere conamur: ſi cælum, inquam, te vocem, altior es: ſi matrem gentium, præcedis: ſi formam Dei te appellem, digna exiſtis: ſi Dominam Angelorum, prima eſſe probaris. Quid ergo de te dignè dicam?*

Deinde ſicut cælum cuncta inferiora ſuâ amplitudine tegit, cuncta terreſtria rore, & pluuiis rigat, recreat, & viuificat: ſic BB. Virgo ſuo Virginali patrocinio, ſuoque materno auxilio, quaſi pallio, nos mortales ad eam confugientes, tegit, protegit, & fouet. Quis enim obſecro, huius Virginis Beatiſsimæ opem vnquam implorauit verè, & eam ſibi adeſſe non ſenſit? Quis ad ipſam vnquam confugit humiliter, & repulſus eſt? Quis denique eius auxilium expetiit, & illo deſtitutus fuit? nemo certè; adeò vt ſi loquatur cælum, teſtetur terra, dicat Purgatorium, ferant teſtimonium viui, fateantur mortui, quid ab hac SS. Virgine beneficij & auxilij receperint; arbitror nec calamum vllum illud exprimere, nec linguam ſufficienter prædicare aut efferre poſſe.

Tutiſsimum ergo aſylum habemus in BB. Virgine; nam ſicuti cælum neminem excludit, ſed omnes, & bonos & malos complectitur: Sic hoc SS. cælum Marianum, neminem ad ſe confugientem reiicit: ſed bonos fouet in bono; malos ſuo auxilio à malo auertit: tepidos in amore viaque Dei magis calefacit: pigros ſtimulat: cadentes erigit; mœſtos ſolatur; puſillanimes fortificat. In ſumma cælū eſt BB. Virgo, vt verbo dicam, *Verbi*, cuius in ſe contēti virtute omnia operatur. Hinc benè nos hortatur D. Bernardus in ſermone quodam: *Si*, inquit, *criminum immanitate turbatus, ſi conſcientiæ fœditate confuſus, ſi iudicij horrore perterritus, ſi barathro deſperationis abſorptus es, Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat à corde: non recedat ab ore. Nam ipſam cogitans non erras: ipſam cogitans non deſperas: ipſam ſequens non deuias: ipsâ tenente non corruis: ipsâ protegente non metuis: ipsâ* *Conceptus.*

duce non fatigaris: ipsâ propitiâ peruenis; & ſic in temetipſo experiri poteris, quàm meritò dictum ſit nomen Virginis, Maria, *id eſt maris ſtella*, &c. Vides ergo quam piè, hoc SS. cælum Marianum inferiores nos miſellos foueat, quàm clementer protegat; quàm benignè denique omnes confugiẽtes ad ſe complectatur? Vis ergo ſecurius cæli cælorum Dominũ in cælo beatè olim promereri? per Marianum cælum poteris: ſi enim hoc ſacratum cælum totius mundi ſaluti, ſalutis fontem olim rorare, & generare potuit, illum ſcilicet, quem tantis votis, & vocibus olim Prophetæ, & Patriarchæ his verbis deſiderarunt: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum*, &c. cur nõn idem modò, perfectiùs exiſtens poſſet in te ſolo, quod olim pro toto mundo potuit? non enim hoc SS. cælum Marianum eſt mutabile in deterius, non imperfectius redditum modò in cælis, quàm olim erat in terris: plus poteſt quàm Angeli omnes. Nam ſi Angelum Actorum 10. non latuerunt orationes & eleemoſynæ Cornelij Centurionis, &c. & Raphael Tobiæ bona opera & preces potuit offerre Deo Tob. 12. quidni igitur potiori iure BB. Virgo, Angelorum Regina, tuas poſsit neceſsitates repræſentare Altiſsimo? Quæ igitur impietas eſt hodie Acatholicorum hoc in Dei Matre, & Angelorum Regina negãtibus, quod ab Angelis factum S. Scriptura expreſsè tradit. Audi D. Bernardum in ſermone.

B. Virginem poſſe noſtras neceſsitates Deo repræſentare probatur.

Virgo, inquit, *regia, ipſa eſt via per quam Saluator aduenit: procedens de ipſius vtero, tanquam ſponſus de thalamo ſuo. Per te acceſſum habemus ad filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis: vt per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis, excuſet apud ipſum integritas tua culpam noſtræ corruptionis; & humilitas Deo grata, noſtræ veniam impetret vanitati: copioſa charitas tua, noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum: fœcunditas glorioſa, fœcunditatem nobis conferat meritorum*, &c. Et ſi S. Bernardus de BB. Virgine tam piè & ſanctè loquens, tamen loqui de ea ob reuerentiam tantæ Matris maximè etiam metuit; quomodo non & terreantur illi, qui non ſolùm non piè, non ſanctè, vt decet dignitatem & Maieſtatem tantæ Matris, de ea loquuntur; ſed impiiſsimè etiam eam blaſphemant: quibus vtinam verba D. Bernardi metum & reuerentiam incuſſura eſſent, ita in quodam ſermone loquentis *Nihil eſt quod tantùm me terreat, nec eſt aliquid quod tantùm me delectet, ſicut de beatâ Virgine ſermonem habere; terret, inquam, me indignitas propria, ſed me delectat Virginis laus, & excellentia*, &c. Quantâ igitur audaciâ multi de BB. Virgine minùs dignè intus ſentiunt, foris magis impiè loquuntur; de illa inquam: *terribili, vt caſtrorum acie ordinatâ, pulchrâ vt luna, electâ vt ſol*, &c. An non dementia eſt eam ſcilicet non reuereri,

uereri, quam tamen Angelus de cælis velut *gratiâ plenam, benedictam inter omnes mulieres* reueretur, Dominam, & Reginam cæli & terræ ſalutat? Filius Dei Matrem, Pater cæleſtis filiam, & Spiritus ſanctus dilectiſsimam ſibi ſponſam eligunt? ſolus ille brutalis homo eam nō reſpicit, minus dignè honorat, frigidè reueretur, qui non cogitat quæ Dei, ſed quæ carnis & mundi ſunt. Ex quo vel ipſo facto patet, quo ſpiritu Acatholici ducantur, Mariam Virginem Dei Matrem ſanctiſsimam, tantoperè renuentes reuereri, quamque vanè ſalutare eam negligant; quam tamen nomine totius Altiſsimæ Triadis, Angelus de cælo humillimè ſalutare non dubitauit. *Si filij Abraham eſtis*, inquit Chriſtus ad Iudæos, *opera Abraham facite*, &c. Sic ſi filij Dei eſtis, hâc in parte etiam factum ipſius Altiſsimi Dei imitamini. Ipſe Mariam per Angelum ſalutare, Spiritu ſancto obumbrare, & Matrem ſibi eligere dignatus eſt: vos vel ſemel etiam eam ſalutare, vel ſaltem in Patronam veſtram eligere omninò dedignamini. Quid reſtat, niſi vt ſuo tempore, etiam Filius Dei non dignetur vos filios agnoſcere, cuius Matrem honorare neglexiſtis. Quid vlterius dicam? cum D. Bernardo audacter concludo, aioque. *Sicut à te* (ô Maria) *deſpectus & aduerſus neceſſe eſt quod pereat, ſic ad te reuerſus, & à te reſpectus impoſſibile eſt quod pereat. Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc maxima fiducia, hæc tota ratio ſpei meæ*, &c. Et ego dico, cælum non facilè ſibi promittat, ſperètue, qui hoc SS. cælum Marianum ſpernit, &c.

Notent Acatholici.

MEMBRVM II.

Quid duo poli cæleſtes, centrum medium 12. ſigna, & ſtellæ, &c. in B. Virgine myſticè innuant.

SIcut cælum ſuper duos polos, arcticum, & antarcticum, circa centrum medium verti cenſetur, vt cunctis notum eſt: Sic & cælum SS. Marianum ſimiliter ſuper duos polos firmiſsimos, myſtico modo verti intelligitur, ſcilicet ſuper gratiam Patris, quia *gratiâ plena*, & ſuper obūbrationem & virtutem Spiritus ſancti. Nam *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi*, Lucæ 1. circa centrum verò, ſcilicet Filium Dei, quem velut centrum in medio ſui SS. vteri geſtauit, iuxta verba Angeli. *Quod enim naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*, Luc. 1. Quidni tribus iam dictis ſacroſanctis polis, & punctis, hoc admirandum cælum Marianum eſſet firmatum, ſignatumque, BB. inquam Virgo Maria? vtpotè, quia in templum viuum à Spiritu ſancto conſecrata eſt Filij Dei, quin & totius SS. Trinitatis? nam ita ſalutatur ab Angelo. *Aue Mariâ gratiâ plena*

Conceptus.

plena, Dominus tecum. Dominus ſcilicet totius creatæ machinæ vniuerſi. Bene S. Auguſtinus in ſerm. de Nat. B. Mariæ. *Aue Maria*, inquit, *gratiâ plena Dominus tecum: tecum in corde, tecum in ventre, tecum in vtero*, &c. vides igitur quàm ſtupendo modo hoc SS. cælum myſticum, tribus polis, hoc eſt tribus Perſonis SS. Trinitatis myſticè fulgeat? vnde appoſitè D. Hieronymus in ſerm. de Aſſumpt. *Quod natura*, ait, *non habuit, vſus neſciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cælum, ſtupet terra, creatura omnis etiam cæleſtis miratur. Hoc totum eſt quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nunciatur*, &c.

Conceptus. Aliter etiam tribus polis firmata cenſetur BB. Virgo; ſcilicet firmiſsimâ fide, à qua nunquam defecit; pleniſsimâ ſpe, à quâ nullo tempore excidit; & centro charitatis, quâ ſemper ſummè exarſit. Iterùm puritate & virginitate ſuperangelicâ, humilitate infimâ, pietate ſupremâ, &c. Alio modo coruſcat tribus punctis ſeu polis admirandis; ſcilicet virginitate ante partum, in, & poſt partum. Item, quod ſit virgo, & Mater, reſpectu centri, fructus ventris ſcilicet ſui benedicti. Tres autẽ hi poli ſeu puncti huius cæli myſtici, reſpiciunt miro modo tres ſtatus creaturæ intellectualis: primò angelos, quibus Regem, & lætitiam peperit: ſecũdò, iuſtos quibus gratiam enixa eſt; tertiò peccatores, quibus veniã ſuo partu obtinuit, vt bene cantat Eccleſia. *Quod Eua triſtis abſtulit, tu reddis almo germine*, &c. Et appoſitè S. Bernardus in ſerm. nobis accedit. *Beatam*, inquit, *me dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam tribuiſti. In te enim Angeli lætitiam, iuſti gratiam, peccatores veniam inueniunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benignè manus omnipotentis quidquid creauit, recreauit*, &c.

Iam quomodo in hoc SS. cælo & firmamento myſtico fulgeant infinitæ ſtellæ virtutum & gratiarum, nemo eſt qui ignoret. *Alius conceptus.* *Nihil* enim, inquit D. Hieronymus in ſerm. aſſumpt. *eſt ſplendoris, nihil eſt virtutis, nihil gratiæ, & nihil candoris, quod non reſplendeat in Virgine glorioſa*, &c. Et S. Ambroſius de Virg. lib. 2. abundè ſtellas virtutum huius SS. cæli Mariani enumerat. Quid enim, ait, nobilius Dei matre, quid ſplendidius eâ quam ſplẽdor elegit? quid caſtius, quæ corpus ſine corporis contagione generauit? Et vt de cæteris eius virtutibus taceam, Virgo erat non ſolùm corpore, ſed & mente; corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi peritior, legẽdi ſtudioſior, non in cumulo diuitiarum, ſed in prece pauperum ſpem reponens, intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis non hominem, ſed Deum quærere: nullum lædere, omnibus bene velle, maioribus aſſurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere, rationem ſequi

,ſequi & amare: quando iſta faſtidiuit humilem? quando riſit debilem? quando vitauit inopem? ,Nihil in oculis toruum, nihil in ,verbis procax, nihil in actu inue,recundum, non geſtus fractior, ,non inceſſus ſolutior, non vox ,petulantior, vt ipſa corporis ſpe,cies ſimulachrum fuerit mentis, ,figura probitatis; talem hanc E,uangeliſta monſtrauit, talem An,gelus reperit, talem Spiritus ſan,ctus elegit. Quid enim in ſingulis ,morer? quæ digna fuit ex qua Dei filius naſceretur, &c. hæc S. Ambroſius de infinitis ſtellis virtutum huius cæli myſtici. Continet verò viam lacteam hoc SS. firmamentum myſticum quia ipſa Regem Angelorũ lacte SS. vberum ſuorum enutriuit, & educauit, &c.

Conceptus. Iam quomodo etiam hoc SS. firmamentum ita infinitis gratiarum & virtutum ſtellis fixiſsimis coruſcum, in inferiora hæc mortalium ſidera errantia, & in ipſum etiam ſolem Iuſtitiæ quem in ſe continet, influat, S. Bernardus ſermone 98. innuit. *Maria, inquit, omnibus omnia facta eſt; ſapientibus, & inſipientibus, copioſiſsima charitate debitricem ſe fecit, omnibus miſericordiæ ſinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi: captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam: denique tota Trinitas gloriam, filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, vt non ſit qui abſcondat ſe à calore eius*, &c.

Deinde ſicut firmamentum *Conceptus.* 7. Planetas, & ſolem regem eorum intrà ſe concludit: ita BB. Virgo ſolem iuſtitiæ, Regemque regum; & Dominum dominãtium, cum 7. Spiritus ſancti donis, intrà ſe omnimodè concludere cenſetur. Si enim *gratiâ plena*, quomodo vel vnico dono gratiæ Spiritus ſancti poteſt eſſe deſtituta? vtpotè cui ſe totam infudit plenitudo gratiæ, vt benè ait D. Hieronymus, &c.

Iterùm, ſicut firmamentum, *Conceptus.* humile videtur in horizõte, quòd terram videatur attingere, in meridie verò altiſsimum, & eius ſolùm medietas cernitur. Sic BB. Virgo hoc cælum Dei viuum, in horizonte mortalis vitæ, humillima videbatur, in meridiano verò iam cæleſti conſtituta, ſublimiſsima: ſed non niſi eiuſmodi medietas cernitur à nobis, ſcilicet fidei oculis, quam tamen Hæretici perpetuò in ſolo horizonte ſpectant, & nunquã in meridie viſuri ſunt: vtpotè quia eã cæteris fœminis ſimilem aſſerunt, &c. Richardus in hom. 2. appoſitè innuit, quomodo hoc SS. cælum in horizonte humillimum, in meridiano verò, & alio ſenſu ſublimiſsimum cernatur. *Quæ eſt, ait, Virgo tam ſublimis, vt ſalutetur ab Angelo, tam humilis vt deſponſata ſit fabro?*

Denique duodecim ſignis BB. *B. Virgo cælum 12. ſignis myſticis zodiaci ornatum.* Virgo inſigniter claret: dũ nempè duodecim fructibus 7. donis Spiritus ſancti annexis, decorata eſt. Scilicet *charitate ad Deum & proxi-*

mum, gaudio, pace, potentiâ, benignitate, bonitate, longanimitate manſuetudine, fide, modeſtiâ, continentiâ & caſtitate. Vnde S. Bernardus ſuper illud. In plenitudine ſanctorum detentio mea. *Verè*, inquit, *in plenitudine detentio Virginis Mariæ, cui non defuit fides Patriarcharum, ſpes Prophetarum, zelus Apoſtolorum, conſtantia Martyrum, ſobrietas Cõfeſſorum, caſtitas Virginum, fœcunditas coniugatorum, ſed nec ipſa puritas Angelorum*, &c. Quid non omnibus donis & fructibus Spiritus ſancti repleta eſſet ea, quæ *gratiâ plena*, fontem gratiæ genuit, & puteum aquarum viuentium nobis effudit? quid Mariæ huic SS. myſtico cælo deeſſet, cui cæli & terræ Altiſsimus Patrator ſe totum infudit? Continet ergo B. Virgo duodecim in ſe myſtica ſigna, ſcilicet 12. fructus donorum Spiritus ſancti; & 7. Planetas, ſcilicet 7. dona eiuſdem, ſolem Iuſtitiæ, quem & nouem menſibus in ſuo SS. vtero geſtauit, &c.

Quæ ſint 12. ſtellæ quibus BB. Virgo coronata dicitur.

Alio etiam modo BB. Virgo duodecim ſigna myſticè in ſe continere cẽſeri poteſt, videlicet duodecim prærogatiuas, à S. Bernardo in Apocal. duodecim ſtellis comparatas. Prima eſt *Regia generatio.* Secunda, *angelica ſalutatio.* Tertia, *præcipua ſanctificatio.* Quarta, *mira conceptio.* Quinta, *integritas ſine corruptione in continendo*, &c. Sexta, *fœcunditas ſine commiſtione in concipiendo.* Septima, *facilitas ſine aggrauatione in filium ferendo.* Octaua, *ſuauitas ſine afflictione in pariendo.* Nona, *ſobrietas pulchrata in eloquio.* Decima, humilitas comprobata in animo. Vndecima, *acerbitas deguſtata in martyrio.* Duodecima, *credulitas cõſeruata in triduo*, ſcilicet mortis Chriſti. Vides ergo quã inſigniter hoc SS. cælũ myſticum duodecim ſignis decoratũ fulgeat? Quid igitur denique dicam? cum D. Hieronymo concludam. *Sicut*, inquit, *in comparatione Dei nemo bonus: ita etiam in comparatione Matris Domini, nulla inuenitur perfecta creatura: quamuis eximia virtutibus comprobetur*: Per hanc enim, vt ait D. Bernardus, cælum impletum eſt: infernus euacuatus: inſtauratæ ruinæ cæleſtis Ieruſalem, miſeris perdita vita reparata eſt, &c.

ANAGOGE II.

Cælum firmamentum aſſimilatur Eccleſia Catholica, anima, & creatura angelica.

MEMBRVM I.

Eccleſiam Romanam eſſe quoddam myſticum cælum & firmamentum.

CErtè vti firmamentum cælum immenſum, idem in ortu, idem in meridie, occaſu, Septẽtrione & Auſtro (& vel ideò expanſum dicitur, quòd omnibus inferioribus ſit longè lateque ſuperexpanſum.) Sic Eccleſia Catholica & Romana, eſt *columna & firma-*

firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. vndique per orbem terrarum diffuſa, vt benè Bern. libr. 3. cap. 11. *Diſſeminata eſt*, inquit, *Eccleſia ſuper omnem terram; columna autem & firmamentum Eccleſiæ, eſt Euangelium, & ſpiritus vitæ*, &c. Eſſe verò eandem & vniformẽ Eccleſiam in Oriente & Occidẽte, ſicut cęlum, ſuperexpanſã toti orbi, docet S. Hieronymus ad Euandrum presbyt. *Non altera*, ait, *Romanæ vrbis Eccleſia, altera totius orbis æſtimanda eſt, Gallia & Bithynia, & Perſis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, vnum Chriſtum adorant: vnam obſeruant regulam veritatis*, &c.

Eccleſiam Catholicam eſſe vniformem.

Conceptus. Deinde ſicut cælum firmamentum incorruptibile, & quaſi *ære fuſum* dicitur, infinitis ſtellis, & 12. Zodiaci ſignis ornatum eſt; ſic Eccleſia Catholica firmiſsima eſt, nullis machinis vnquã euertenda, tum quia à Chriſto *fundata eſt ſupra firmam petram*, tùm etiam quòd neque *portæ inferi præualebunt aduerſus eam*, &c. Matth. 16. Quàm firma verò ſit Eccleſia Catholica in ſoliditate doctrinæ, quàm ſtabilis in fiducia gratiæ & miſericordiæ Dei, Iſaiàs cap. 54. docet, vbi ex parte Dei ita Eccleſiam alloquitur. *Sicut*, inquit, *in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducerem aquas diluuij vltra ſuper terram: ſic iuraui vt non iraſcar, & non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur. Dixit miſerator tuus Dominus*, &c. Fruſtra igitur hoc SS. firmamentum firmiſsimum expugnãt Acatholici; nam quidquid contra hanc columnã & hoc firmamentum machinati fuerint, nullius firmitatis & roboris eſt: ſicut enim qui altiſsimum firmamẽtum lapidibus peteret, eſſet meritò inſanus cenſendus; eò quòd ob ſuam altitudinem nulla potẽtiã humanâ attingi; ob firmitatem & ſoliditatem nullis machinis deiici queat: Sic Acatholici profectò quidquid contra hoc altiſsimum & firmiſsimum firmamẽtum Eccleſiæ machinentur, nihil proficient: nimis enim hoc myſticum cælum altum eſt, vtpotè fundatum ab altiſsimo architecto Deo, iuxta illud Pſalm. 86. *Fundauit eam altiſsimus*, &c. Et *Fundamenta eius in montibus ſanctis*, &c. quidquid igitur agant & moliantur contra Eccleſiam Hæretici, ſemper iſtud reportabũt, à lapide angulari eius ſcilicet: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, &c. quò magis enim ei inſidiantur inimici, eò magis proficit, eò minùs læditur, vt bene Hilarius de Trinit. *Hoc habet*, inquit, *proprium Eccleſia: dum perſequitur floret, dum opprimitur, creſcit: dum contemnitur, proficit; dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc ſtat, cùm ſuperari videtur*, &c. Certè ſicut lapides fortè contra firmiſsimam columnam ex rabie emittentium à columna factâ repercuſsione, & reflexione, ſæpiùs lædunt capita: Sic hanc ſacroſanctam *columnam &*

Conceptus.

Acatholici nil contra Eccleſiam Romanam proficient.

Conceptus.

& firmamentum veritatis perſequentes, ſeipſos lædunt & perimunt: vt benè Dauid, Pſal. 7. *Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.* Et optimè quidam Poëta Billius. Anthol. Sac.

Qui tibi bella mouet, genitrix ſanctiſſima, non te
Lædit, at ipſe ſuum traiicit enſe caput.
Calce ferit ſtimulum, nam ſe miſer ipſe cruentat:
Quæque putat ſtimulo ſe dare damna, capit.
Atque eadem patimur, quæ rupi alliſa procella:
Alluitur rupes: frangitur vnda minax.
Fortior es cælo, cælumque & terra peribunt:
At tu, ſponſa Dei, tempus in omne manes.

Conceptus. Deinde ſicut firmamentum infinitas quaſi continet ſtellas diuerſæ claritatis: ita Eccleſia innumerabili fulget multitudine ſanctorum Doctorum & iuſtorum: Hinc Dan. 12. dicit S. Scriptura. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamẽti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates,* &c. Quis autem, obſecro, enumerabit ſtellas rubentes Martyrum huius SS. firmamenti Eccleſiæ? quis albicantem Confeſſorum & Virginum enuntiet cœtum? nemo certè, niſi is, *qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat,* &c.

Iterùm vti 12. ſunt ſigna, ſeu conſtellationes, & 7. Planetæ infrà firmamentum: ſic ſunt in Eccleſia 7. dona Spiritus ſancti: & 12. eorum fructus ſuprà iam enumerati. Vel per 7. Planetas intelligi poſſunt 7. Sacramenta, vel 3. Virtutes Theologicæ, ſcilicet fides, ſpes charitas: & 4. Cardinales, &c. Aut certè, 7. gradus & dignitates Ordinis ſacri; quibus quilibet Sacerdos Eccleſiæ Romanæ fulget, per ſepticeps ſcilicet illud candelabrum Moſaicum haud obſcurè præfiguratis, &c. *Eccleſia cõtinet 12. ſigna myſtica & 7. Planetas.*

Denique, ſicut intra firmamentum continetur ſol lucidiſsimus, cuncta ſuis radiis iucundiſsimè illuſtrans, noctis tenebras fugans; calorem & fructus in tellure procreans, &c. Sic ſol iuſtitiæ, myſticè in hoc continetur firmamento. *Ecce* enim inquit, *ego maneo vobiſcum omnibus diebus, vſque ad conſũmationem ſæculi,* Matt. 28. Et benè Hugo libr. 3. de clauſtro animæ, ait. *Tabernaculum Chriſti eſt Eccleſia.* *Conceptus qualis Sol myſticus Eccleſia.*

Poteſt etiam firmamentũ optimè comparari Eccleſiæ triumphanti: cuius Sol ſit Deus & Chriſtus, Luna B. Virgo, planetæ Sãcti, ſtellæ fixæ Angeli, qui ſeruarunt ſuum principatum. Duodecim ſigna, illæ duodecim portæ cæleſtis Ieruſalem, de quibus in Apocalypſi, ſeu 12. Apoſtoli, &c. Sicut enim palatium, & domus ſpecioſiſsima ad extra, ſatis indicat ornatum ad intra: ſic cælum ad extra ſuâ admirandâ pulchritudine, ornatu, & decore, *Eccleſia triumphans comparatur firmamento.*

decore, haud obſcurè innuit quid lateat ad intra. Si ergo neque oculus humanus videndo, neque intellectus contemplando cæli & aſtrorum decorem ad extra ſolùm non ſatiatur, quid erit obſecro, illud videre ad intrà? dum non ſolùm cælum empyreum, verùm & eius factorem, & quidquid diuitiarum in ſe continet, facie ad faciem viſuri ſumus?

Conceptus de ſublimitate & humilitate Eccleſiæ.

Cælum in Oriente & Occaſu, ſeu in Horizonte, apparet humillimum, & omninò terram attingere videtur: in meridie verò altiſsimum: Sic Eccleſia in ſuo exordio, tribulatione maximè erit depreſſa, eademque circa occaſum & horizontem mundi magis adhuc deprimenda eſt: tunc ſcilicet, quando *erit tribulatio magna, & talis qualis nunquam fuit, &c. & ſtellæ caſuræ ſunt de cælo, &c.* In meridie verò maximè exaltata erit ſcilicet, quãdo copulabitur ſponſo in cæleſti Ieruſalem, &c. Multa hic, & haud ſpernenda dici & applicari poſſent, quæ tamẽ beneuoli Lectoris ingenio potiùs relinquere, quàm nos latiùs diffundere placuit, &c. Vnum adhuc reſtat, ſcilicet, quod ſicut in firmamento ſunt duo poli, & centrum medium; ſic in Eccleſia eſt vera fides circa myſterium SS. Trinitatis, quod Synagogam latuit, vera ſpes & charitas in Deum, &c.

Pars II.

MEMBRVM II.

Multitudinem & pulchritudinem ſtellarum fixarum, repræſentare multitudinem & pulchritudinem Angelorum, vbi etiam de immenſitate Empyrei.

Nouem ordines & magnitudines ſtellarum fixarum.

ALij Aſtronomi 6. tantummodò ponunt ordines & magnitudines ſtellarum; nos ita nouo teleſcopio inſtructi, meritò nouem; ſcilicet 6. ordines earum, quę libero oculo ſpectari queunt, & tres quæ oculo armato & tubo ſolùm, & nequaquam libero oculo conſpici poſſunt; hoc eſt, maiores, medias, & minimas: ita etiam experientia te docebit, ſi enim nouo teleſcopio, nouâ induſtriâ elaborato, aut ambobus oculis aut vno, conſtellationẽ verbi cauſa ſolùm Orionis ſpectaueris, innumerabilem quaſi non ſolùm multitudinem, verùm & 8. magnitudinis ordines in ea numerabis, quibus ſi primæ magnitudinis adieceris, nouem ordines molium ſtellarum fixarum conflabis. Qui ordines, haud obſcurè videntur nobis exhibere nouem choros & ordines Angelorũ: nam ſicut ſtella claritate, & magnitudine differt à ſtella, ita Angelus ab Angelo, excellentiâ; quis enim dubitat ſupremam Hierarchiam, ſcilicet, Seraphinos, Cherubinos,

& Thronos, excellentiâ naturæ, & luminis gloriæ, omnes inferiores antecellere & ſuperare?

Innumerabilem multitudinem ſtellarum nouum teleſcopium monſtrat.

Certè magnopere veteres aſtronomi, circa determinationem numeri ſtellarum fixarum hallucinati ſunt; dum in vniuerſum ſolùm 1022. numerant (intellige autem quæ, libero ſolùm oculo cerni queunt) cùm tamen innumerabilem multitudinem eſſe earum, nouum teleſcopium apertè demonſtret; in ſola enim Orionis conſtellatione pluſquã 2200. ſtellas tantùm obiter ego numeraui. In via lactea verò inexplicabilem multitudinem; adeoque ad literam eſſe veriſsima S. Scripturæ illa loca, firmiſsimè aſſero (quia ita ex cælis deduco) aſſerentia ſcilicet, *ſtellas præ multitudine numerari non poſſe*, &c.

D. Thomæ ſententia de multitudine Angelorum.

Hæc ergo infinita quaſi ſtellarum congeries ad extra, innumerabilem certè exercitûs Angelici multitudinem cæli Empyrei ad intra innuere & ſignificare videtur. Et fauet nobis S. Script. Dan. 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*, &c. quibus verbis non aliquis certus, ſed potiùs innumerabilis & noſtris mentibus incomprehenſibilis Angelorum numerus innui videtur. Suadet hoc etiam non tã ratio, quàm diuinæ & ſupremæ Maieſtatis dignitas: nam *in multitudine populi dignitas regis*, Prou. 14. Cùm ergo dignitas Regis regũ, & Domini dominantium Dei, ſit infinita, immenſa, inexplicabilis, & incomprehenſibilis, æquum etiam eſt eius populum, & miniſtros, eſſe quaſi innumerabiles.

Certè D. Thomas. 1. p. qu. 50. artic. 3. expreſsè docet, ſcilicet quò ſubſtantiæ quæque ſint perfectiores, eò in maiori exceſſu à Deo eſſe creatas: ſiue exceſſus ille ſe habeat reſpectu magnitudinis corporeæ, vti in cælis videre eſt, quæ mole ſuâ inferiora hæc corpora incomparabiliter excedunt; ſiue ſit exceſſus ſecundùm numerum, intelligendo & loquendo de ſubſtãtiis incorporeis, quæ cùm corporeæ extenſionis non ſint capaces, neceſſe eſt earum exceſſum, nõ in mole corporea, ſed in multitudine potiùs cerni & conſiſtere. Cùm itaque Angeli ſint ſubſtantiæ immateriales, ſuperantes res corporeas toto genere; hinc concluditur omnino eos etiam maximo & ineffabili numero à Deo Ter Opt. Max. eſſe creatos.

Ingens numerus Angelorum.

Profectò S. Dion. cæl. Hierar. cap. 13. & 14. docet, *tantum eſſe Angelorum numerum, vt ſoli Deo ſit cognitus.* Item S. Ambroſius in caput 15. Lucæ aſſerit, *homines eſſe tantùm centeſimam partem reſpectu ingentis numeri Angelorum:* deinde quatuor ſuperiores ordines, ſcilicet Seraphinos, Cherubinos, Thronos, & Dominationes multitudine & numero 5. inferiores longè excedere. Et S. Gregorius Nicenus libr. de hominis opificio cap. 17. ait, *multitudinem Angelorum eſſe quaſi numero infinitam.*

452

infinitam. Certè Vaſq. 1.p.qu.5.art. 3.affert reuelationem B. Brigittæ: aſſerendo eidem (vti habetur lib. 4. reuelationum cap. 11.) reuelatum fuiſſe, Angelos ita hominum numerum excedere, vt cuique homini decem Angeli poſsint in cuſtodes aſsignari, &c. Hanc reuelationem, ob ſanctitatẽ vitæ B. Brigittæ, & Vaſquez, & alij magni faciunt, neque ſpernendam putant. Hinc eſt, quod quidam auctores aſſerant, eodem exceſſu & proportione Angelos ſuperari, & excedi ab Archangelis, quo Angeli ſuperant ſuo numero multitudinem hominum. Cùm igitur ſecundùm reuelationẽ B. Brigittæ, vni homini decem Angeli in cuſtodiã aſsignari queãt, eodẽ & proportionali exceſſu, poſſent dari pro vno homine 100. Archangeli; nam iuxta regulam auream: ſi vnum, ſcilicet vnus homo habere decem Angelos poteſt, & Angeli eodem exceſſu, ab Archangelis proportionaliter excedãtur, dabunt 10. Angeli centum Archangelos; mille Principatus, decem millia Poteſtatum; centum millia Virtutum, deciescentena millia Dominationum; decem milliones Thronorum: centum milliones Cherubinorum: mille milliones Seraphinorum, &c. Adeoque tali proportione ſe haberent homines ad Seraphinos vt 1. ad 1,000,000,000, id eſt, vt vnum ad mille milliones. Hoc idem docere videtur expreſsè S. Thomas 1.p.q.50. art. 3. dum ait: Angelorum numerum tantò magis in vnoquoque ordine multiplicari, quantò ordo ipſe eſt ſublimior & prçſtantior. Idem docet Renerus de Pont. libr. de Creat. Angelorum, & alii, &c.

Notatu digna de exceſſu Angelorum reſpectu hominum, & inter ſe.

Ex quibus iam hoc modo inſtituamus ratiocinationem. Si vni homini dari poſſent mille milliones Seraphinorum; quot Seraphini requirerentur pro omnibus hominibus, qui ab Adam ad vſque noſtra tempora vixêre, & vſque ad occaſum mũdi futuri ſunt? Cumque impoſsibile ſit tantam multitudinem capere, ſcire determinatè aut deſcribere, ſaltem aſſumamus numerum incertum, & minimum pro certo & maximo: & illicò infinitus quaſi numerus Seraphinorum patebit. Accipiamus ſolùm pro nunc SS. Martyres, qui ſub vno Diocletiano paſsi ſunt, quorum quidem numerus adeò ingens eſſe cenſetur, vt, ſi Cornelio de Lapide in Apocal. & aliis ſit fides habenda, quolibet mẽſe 17000, SS. Martyrum martyrio affecti ſint. Cùm ergo annus quilibet conſtet 12. menſibus; & hæc perſecutio durauerit 10. annis; ſi multiplicaueris 10. annos per 12. mẽſes conflabis 120. menſes, iam iterùm 120. menſes, in 17000. ducti, dabunt 2,040,000, hoc eſt, duos milliones, & quadraginta millia Martyrum ſub vno Diocletiano occiſorum. His ſi annumeres Societatem S. Vrſulæ, Thebæorum, S. Mauritij, Gereonis.

Ingens numerus Martyrum.

nis, Floriani, & alios innumeros per totum orbem martyres, Confeſſores, Virgines, Viduas, infantes mox in innocentia ſua recedentes, qualem numerum putas te collecturum?

Innumera multitudo Martyrum Vrbis Romanæ.

Certè S. Brigitta (cuius reuelationes ſcripſit Cardinalis de Turrecremata a ſummis Pontificibus etiam approbatas) libro 3. reuelat. aſſerit: poſſe qualibet die (hoc intelligendo de ſolis martyribus vrbis Romæ) ſeptem millium martyrum feſta celebrari, &c. Et eodem libro 3. reuelat. hæc habet. *Si menſurares terram centum pedum in longitudine, & totidem in latitudine, eamque ſeminares plenam granis tritici, quodlibet verò granum daret fructum centuplum; adhuc eſſent plures martyres, & Confeſſores Romæ* (quot ergo Virgines, infantuli, Viduæ, & ex alia communi plebe ſaluati?) *à S. Petri tempore, vſque ad Cæleſtinum huius ætatis Pontificem, &c.* Quod ſi in ſola vrbe Romana, tantùm vſque ad Cęleſtinũ, tantus tamq; ingens numerus Martyrum, Confeſſorumque, &c. extitit: quantus fuerit & ab Adamo, & à D. Petro, adusque noſtra tempora, in toto mundo, vſque ad eius finem? Hinc non ſine cauſa Deus olim Abrahæ ita loquebatur, Gen. 22. *Suſpice cælum & numera ſtellas ſi potes, &c. ſic erit ſemen tuum, &c.* & iterùm Gen. 22. *benedicã tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli, & velut arenam quæ eſt in littore maris, &c.*

Franciſcus Arias libr. 3. de imit. Chriſti cap. 35. aſſerit, quolibet die anni numerari & coli poſſe facilè 30,000. Martyrũ. Qui ſi per 365. multiplicentur, prodibit numerus eorũ vnius anni 10,950,000. hoc eſt 10. milliones, centum & quinquaginta millia. Quãtus ergo erit numerus totius vniuerſitatis generis humani ſaluandi in die Iudicij? Ponamus ergo numerum incertum ſaluandorũ & iuſto minorem, ſcilicet mille milliones tantùm, & per auream regulam ſic calculum noſtrum inſtituamus, &c.

Ratiocinatio pulchra de numero ingenti Angelorum.

Si pro vno homine poſſint dari 10. Angeli, centum Archangeli, mille Principes, decemmillia Poteſtatum, centum millia Virtutum, millio Dominationum; decem milliones Thronorum; centum milliones Cherubinorum, mille milliones Seraphinorũ: quot Angeli, Archangeli, Principatus, &c. dabuntur pro mille millionibus hominũ ſaluandorum? vt pręteream dãnandos: ſumma facit.

Angelorum, 10,000,000,000. hoc eſt decem mille milliones.

Archangelorũ, 100,000,000,000. id eſt centum mille milliones.

Principatuum, 1,000,000,000,000, millies millia millionum.

Poteſtatum, 10,000,000,000,000. Decies millies millia millionum.

Virtutum, 100,000,000,000,000. centies millies millia millionum.

Dominationum, 1,000,000,000,

000,000,000.millies millies millia millionum.

Thronorum, 10,000,000,000, 000,000. decies millies millies millia millionum.

Cherubinorum, 100,000,000, 000,000,000.centies millies millies millia millionum.

Seraphinorum, 1,000,000,000, 000,000,000. millies millies millies millia millionum.Iam ſi omnes hi numeri Angelorum in vnā ſummam colligantur, erit numerus Angelorum omniū ordinum, pro mille millionibus tātum modò hominum ſaluādorum 1,111, 111,110,000,000,000. id eſt,millies millies millies millia millionū, centies millies millies millia, decies millies millies millia, millies millies millia, centies millies millia,decies millies millia,millies millia,cēties & decies millies millionum. Quis autem,obſecro,hūc immenſum numerum poterit capere, vel ritè enunciare? Quod ſi tandem accipiamus pro vniuerſitate totius humani generis, tam ſaluandorum, quàm damnandorum, 1,000,000,000,000. (hoc eſt deciescentena millia millionum) & vnicuique ex Seraphinis attribuantur, 1,000,000,000.prodiret numerus ſolummodò Seraphinorū ineffabilis certè: ſcilicet, 1, 000,000,000,000,000,000,000, Cherubinorum 1,00,000,000, 000,000,000,000. in vniuerſum omnium Angelorum verò: 1,111, 111,110,000,000,000,000. vt potè numerus ingenio humano captu impoſsibilis. Vnde non abſque cauſa S. Scriptura dicit, Dan. 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſsiſtebant ei*, &c. Vbi numero certo & miniori, S. Scriptura nobis ineffabilem beatorum, tam hominum quàm Angelorum videtur innuere. quod apertè probatur Iob 25. *Numquid eſt numerus militum eius?* Iam igitur cogita Maieſtatem omnipotentis Dei, cui tot potentiſsimi Principes miniſtrant, & aſſiſtunt, cuius minimi etiam potentia, pulchritudo, decor, & fortitudo, ſine comparatione ſuperat omnem potentiam, ſapientiam, pulchritudinem, & fortitudinem totius mundi, & omnium principum, rerum, & creaturarum, quæ ab Adam vſque ad noſtra tempora fuerunt, modò ſunt, & vſque ad mundi finem erunt; adeò quòd pulchritudo omniū creaturarum, florum, hominum, lapidum pretioſorum, metallorum, ſolis, lunę, ſtellarum, & omnium denique rerum mundanarum, quæ fuerunt ob initio mundi, ſunt, & erunt reſpectu pulchritudinis etiam minimi Angeli, & animæ beatæ, non pulchritudo, non potentia, aut ſapientia, ſed mera deformitas, impotentia, & imbecillitas æſtimanda ſit, &c. Id quod & quidam de Seraphinorum ordine lapſus, & mihi & aliis viris Religioſis, ex quadam perſona obſeſſa, faſſus, & maximè teſtatus eſt. Scilicet, non

Innumerabilis multitudo Angelorum.

eſſe in hoc mũdo pulchritudinem, ſcientiã, & fortitudinem, quæ pulchritudini, potentiæ, & ſcientiæ, etiam minimi Angeli beati comparari queat. Et hoc certè omninò credibile eſt: ſi enim S. Scriptura, Iob 41. tantam tribuit etiam Angelis malis poteſtatem his verbis: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret, &c.* quanta ergo erit poteſtas, pulchritudo, & ſcientia Angelorum, qui ſeruauerunt ſuum principatum, & nullo næuo peccati contaminati ſunt?

Angeli homines in quibus excedant. Iam ſicuti Angeli numero homines tranſcendunt, ita etiam eadem proportione, cæteris paribus, pulchritudine, ſapiẽtiâ, ſcientiâ, & potentiâ, eos ſuperare probabile, & conſentaneum eſt. Si ergo eſt tanta quandoque pulchritudo hominis, vt omniũ reliquorum in ſe oculos cõuertere queat, qualis fuit Moyſis, Abſalon, Chriſti, & BB. Virginis in terris: quid erit obſecro iã pulchritudo Chriſti, B. Virg. imò omnium Angelorum in cælis? Nam quemadmodum B. Virgo, dignitate maternitatis ſuperhumanæ, & meritis, omnes Angelos excedit; ita omninò neceſſe eſt Reginam Angelorum, etiam pulchritudinem omnium, collectiuè ſumptam, ſuperare; Chriſti verò Animam & humanitatẽ propter vnionis hypoſtaticæ excellentiam, etiã longè adhuc omnem cœlitum excellentiam, & pulchritudinem antecellere; quinimò & BB. Virginis, omniumque Sanctorum, Sanctarum, & Angelorum beatitudinem, pulchritudinem, & excellentiam omninò exhaurire, imò & tanto exceſſu & proportione excedere, quantâ dignitate Perſona & humanitas Chriſti, ob vnionem cum Verbo Patris, omnes creaturas antecellit, &c. Cùm igitur plerique Patres & Theologi teneant, Mundum principaliter factum & creatum fuiſſe propter Meſsiam Chriſtum, iam cogita quanta eius apud Deum debeat eſſe dignitas? & inde eius pulchritudinem, ſapientiam, & potentiam conclude; vtpotè cuius reſpectu, omnium Angelorum & beatorum pulchritudo & decor, haud aliud eſt, quàm cicer, vel granum ſinapis ſupernatans mari. Cumque Deus infinitè ſit perfectus, &c. quid ergo erit pulchritudo Dei, reſpectu Animæ Chriſti, BB. Virginis, omniumque Angelorum atq; Sanctorum? In vnum igitur cumulum ſi omnium iam dictorum pulchritudinem, ſcientiam, potentiam, & ſapiẽtiam &c. collegeris, & pulchritudini, ſapiẽtiæ & potentiæ Dei comparaueris, non aliud quàm granum millij cælo Empyreo comparabis; & punctum impartibile toti vniuerſo, &c. Vnde meritò Apoſtolus, Rom. 11. exclamat: *O altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt indicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* *Pulchritudo Dei quàm ineffabilis.*

An

An non ergo inſaniunt mortales, turpitudine huius mundi momentaneâ (non enim alia eſt eius pulchritudo ſi cæleſtiū pulchritudini comparetur) adeò illecti, vt viſione pulchritudinis Angelorū, Beatæ Virginis, Chriſti, & ipſius adeò Altiſsimi Dei, æternùm potiùs ſe priuare velint, quàm, ad modicum illâ relictâ, huic totis viribus inhiare adque eam olim obtinendā & cernendam vita immaculatâ aſpirare? O cæcitatem palpabilem! ô inſaniam execrabilem! multorum hodie ita viuentium in hoc ſæculo, quaſi futurum aut non eſſet, aut non melius eſſet; ita pulchritudine creaturarum horum inferiorum obcæcatorum, vt aut Creatoris, & cæleſtium mentiū pulchritudinis omnino obliuiſcātur, aut rariùs, imò rariſsimè eorum recordentur, vel etiam nunquam ſeriò de eâ ratiocinentur. Cumque in hâc vita *nutriantur in croceis, & amplectātur ſtercora*, ſcilicet vanitatū harum; quid reſtat, niſi vt tandem etiam illud Dauidicum in illis adimpleatur, Pſ. 83. *Facti ſunt vt ſtercus terræ, &c.* quod continget, quando ob ingratitudinis crimen ponendi ſunt *vt rota, & ſicut ſtipula ante faciem venti* diſpergendi; in rota ſcilicet æternitatis & flammæ inextinguibilis, &c.

Conceptus. Deinde ſicut cælum ſuâ amplitudine ſibi maximum ſpatium vendicat, ita Angelici illi ſpiritus, vaſtiſsima cæli Empyrei loca cum beatis occupaturi & definituri ſibi ſunt, quilibet ſecundùm ſuæ beatitudinis, & excellentiæ proportionem & menſuram.

Angelos verò certa ſibi ſpatia & loca definire communis eſt Theologorū ſententia, & cur non etiam in cælo ſpatium ſibi definituri eſſent adæquatum ſuæ dignitati & naturæ? Ribera libr. 2. de templo cap. 7. de Cherubinis in ſancto ſanctorum diſſerens, ait per illos ſignificari, cælum Empyreum eſſe plenum ſpiritibus Angelicis, latè ſpatioſeque, non preſsè ſibi locum definientibus Idem ſentit Suarez & alij, ſcilicet familiam Angelicam ſplendori eſſe regi ſuo immortali & infinitæ Maieſtatis Domino, eſſeque ideò tanto numero Angelos creatos, non vt preſsè aut densè coram ipſo ſe contrahant, & miniſtrent; ſed pro ſuæ naturæ & meritorum excellentia, ſe latè diffundant, & adæquatum ſibi ſpatium definiāt, &c. *Angeli ſibi certa in cælo definiunt ſpatia.*

Probabile itaque eſt, & rationi omnino conſentaneum, numerum Angelorum tam immēſum, naturâ, ordine, & hierarchiis pulcherrimè diſtinctorum, etiam in certas manſiones & loca in cælo diſtribui; ita vt ſingulorum dignitati, & naturæ adæquatum & tale ſpatium quidem attribuatur, tum quale Maieſtatis diuinę tantis miniſtris & principibus conueniens debetur, cum etiam quale ipſius diuinæ Maieſtatis magnitudinem commendat, &c.

Quantus locus in cælo vni beato ab aliis tribuatur.

Et ſi ſecundùm S. Vincentium Ferarien. & alios, &c. homini vni beato tantum ſpatij in cęlo à Deo ſit probabiliter aſsignandũ, quanta eſt latitudo & vaſtitas vniuerſæ terræ noſtræ: quantum putas attribuendum ſupremis Angelicis ſpiritibus homine naturâ multò ſuperioribus?

Tirinus in Apoc. cap. 21. aſſerit ſingulis beatis in cælo Empyreo tantum loci fore aſsignandum, quantum facit ſpatium in terra 1500. milliarium Italicorum, id eſt, 500. ferè leucarum. Et quidem Angelis in cælo certa quædam loca aſsignata eſſe, quæ ſibi definiant, ſatis colligitur ex illo loco Apoc. 12. vbi dicitur. *Et factum eſt prælium magnum in cælo: Michael & Angeli eius præliabantur cùm Dracone, & Draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo, &c.* & Ioan. 14. *In Domo Patris mei manſiones multæ ſunt, &c.*

Quot leucarum ſit probabiliter diameter firmamenti & cæli Empyrei.

Iam verò amplitudinem loci Angelorum & beatorum in cælis, ipſiusq; Empyrei vaſtitatem immenſamque expãſionem eius ſatis arguit cælum firmamentum, cuius diametrũ ad minùs, 7,944, 000,000. leucarum, hoc eſt, 5944 millionum conſtare arbitramur; diametrũ verò cæli Empyrei conflabimus etiam ſatis probabiliter, ſi dimetientem firmamenti per 2000. multiplicemus, (qualis eſſe proportio cenſetur à nobis Empyrei ad firmamentum) prodibit itaque ea 15,888,000,000,000, leucarum ſeu horarum. Cumque diameter in totam circumferentiam ductus, numerum ſuperficiei cõuexæ ſphæræ cuiuſlibet prodat (quamuis Empyreum cælum non cẽſeatur figuræ ſphæricæ, ſed potiùs quadratæ, iuxta illud Apocal. 21. *Ciuitas in quadro poſita eſt, &c.*) probabilem cæli Empyrei intrinſecam circumfetentiã eliciemus; ex qua, quanta deinde tota eius vaſtitas ſit, facilè concludere tibi ipſi licebit. Cenſetur ergo circumferentia Empyrei intrinſeca, 49, 933,714,285,714. leucarum.

Quantus probabiliter locus & capacitas in cælo pro quolibet Angelo, & beato aſsignari queat ſecundùm auctorem.

Iam ſi totum diametrum in hunc numerum ducas, prodibit tota cæli Empyrei ſuperficies conuexa (non definitè & certè quidem, ſed ſaltẽ ad minimùm probabiliter) 793,346,862,571,424, 022,000,000,000. quis verò tantum numerum ritè enuntiaturus eſt? quem reuera etiam excedere puto omnes ſpecies rerum & arenulas totius oceani vaſtiſsimi, &c. Quod ſi verò iam ſupponamus numerum Angelorum & hominum ſaluandorum ſimul eſſe minimùm, 111,111,111,000,000, 000. vel potiùs duplum huius, ſcilicet, 222,222,222,000,000,000. & ita diuidamus totam ſuperficiem conuexam empyrei, prodibit pro vnoquoque, & Angelo, & beato probabiliter ſpatiũ, 3,560, 930. leucarum, hoc eſt, *milliones,* 3000. & inſuper *quingenta & ſexaginta millia horarum.* Sed accipiamus

modò

modò pro loco vnius angeli vel beati, ſuperioris iam poſiti numeri tantùm quartam partem, correſpondentem ſcilicet proportionaliter vni plano ex quatuor cæli Empyrei planis proueniẽt adhuc pro quolibet Angelo vel beato, 890,234. hoc eſt, *octingenta nonaginta millia ducenta trigintaquatuor leucarum, ſiue horarum*: ſeu quaſi vnus *millio milliarium*. Iam ſuppoſito diametrum empyrei eſſe leucarum, 15,888,000,000,000. ſi ſingulis diebus conficeret beatus 100. leucas, annuè verò, 36500. non citiùs peragraturus eſſet cælum Empyreum quàm annis, 435,287,669. hoc eſt, *quadringentis triginta quinque millionibus, ducentis octoginta millibus, ſexcentis ſexaginta nouem.*

Sed vt adhuc meliùs capias, pono clarius exẽplum. Ponamus aliquem beatum in cælo Empyreo indies tantum ſpatium confectum eſſe, quantus eſt ambitus vniuerſæ terræ, hoc eſt, 6,285. leucas, ſeu horas (cùm ſecundùm nos ex diametro terreſtri, 2000. leucarum, per 22. diuisâ, & per 7. partitâ talis leucarum numerus prodeat) aio talem beatum vix cælum empyreum peragraturũ annis, 6,956, 140. hoc eſt, *ſex millionibus, nongentis quinquaginta ſex millibus, centum & quadraginta annorum.*

Quanto tempore beatus cælum Empyreum eſſet peragraturus.

Sed ne putes nos pro arbitrio, & abſque fundamento tantam amplitudinem cæli Empyrei ponere; ecce adduco tibi huius rei luculẽtiſsimum teſtimonium ipſius Spiritus ſancti, Baruch. 3. vbi Propheta præ nimio ſtupore immenſitatis domus Dei in hæc verba prorumpit: *ô Iſrael quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus eſt* (ſcilicet locus empyreus) *& non habet finem, excelſus, & immenſus, &c.* En igitur quòd adhuc nimis parum de cæli Empyrei immenſitate & infinita eius capacitate diximus? vtporè quod S. Scriptura, *non habens finem, excelſum & immenſum* nominat. Et certè valdè rationi cõſentaneum eſſe videtur vt aula & Regnum, Regis ſæculorum, immortalis, & infinitæ Maieſtatis Domini, ſit etiam eius dignitati, Maieſtati, & familię innumerabilis proportionatum, & commenſuratum. Et ſi pientiſsimus Dominus, tã iucundum & amplum palatium, tantâ creaturarum & ſpecierum varietate & pulchritudine ornatũ, ſcilicet mundum, ingratis, damnandis, & qui non hîc etiam ceſſant eum indies offendere conceſsit: quid eum in altero ſæculo præparaſſe diligentibus ſe, arbitraris? certè quod *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*, Iſaiæ 64. & 1. Corinth. 2.

TROPOLOGIA

Ad ſæculi huius amatores.

Qvæ ergo amentia & obcæcatio in multis hodie adeò præualet, vt ita viuant hîc, quaſi ibi

ibi nulla prorſus foret vita; ita ſeſe inuiſcerent, in hunc tranſitorium telluris punctum, quaſi nullus alius in machina vniuerſi, & rebus patratis eſſet expectandus locus, aut meritorum, aut pœnarum, &c. Nunquid enim amentia eſt maxima, totum vitæ tempus tam nobile à Deo conceſſum, perpetuò in congregandis ſolũ tranſitoriis rebus, pecuniis, theſauris, & diuitiis huius vitæ, & ſæculi dilapidare? totũ ſe occupare in tẽporalibus? vt benè hîc corpus viuat, lautè tractetur, & ſplendidè cũ diuite illo Epulone quotidie epuletur; de futura verò mãſione, epulis cæleſtibus, nobis à Chriſto promiſsis vix ſemel cogitare, nil curare, & quaſi omninò non futuræ, aut promiſſæ eſſent, viuere? An non reus ille pro inſipiẽte habendus eſſet, qui morti iam adiudicatus, nil aliud tamen acturus & curaturus eſſet in carcere exiſtens, quàm quomodo plures adhuc diuitias ſibi cumularet, &c. non obſtante, quod certò ei conſtaret, ſe breuî è carcere educendum, & plectẽdum fore? Quid verò aliud obſecro, nos mortales in hoc ergaſtulo corporis noſtri & mundi ſumus quam rei iam morti adiudicati, iam ſententiati? *ſtatutum* enim *eſt*, inquit Apoſtolus, Hebr. 9. *homini ſemel mori, &c.* & tamen ita viuimus, quaſi nunquam nobis foret moriendum; plus in hoc mortali carcere diuitiarũ; pro corpore iam iam in cinerem & puluerem redigendo cumulãtes, quàm pro anima immortali in cælis verè & æternùm ditandâ, laborantes: quid hoc aliud in nobis arguit, quàm, aut nos omninò nullam aliam æternamque vitam credere, aut ſaltem tepidè & frigidè credere? qualia enim opera tua hîc pro æterna vita tibi comparanda monſtras agitaſve, talis & fides, & ſpes tibi relinquitur eam adipiſcendi, & non maior. Caue igitur ne te in mediis laboribus congregationeque diuitiarum, & temporalium rerum harum, tenebræ mortis ſubitò comprehendant, & cum fatuis virginibus ob defectum olei bonorum operum, ab immenſitate illius cæleſtis regni, præter ſpem tuam excludaris. Certè ſi ſolùm conſideraremus immenſitatem, & pulchritudinem cæli Empyrei, Angelorum & Beatorum, ineffabiliter delectabilem, æternamque ſocietatem, & felicitatem nos tam facilè poſſe obtinere, meritò tandem à vecordiæ, & negligentiæ noſtro ſomno excitari deberemus; ſed cùm hęc aut nunquam, aut rarò perpẽdamus, mirum non eſt, nos continuò huius mundi fœcibus inſordeſcere, & dormitare inque vtrãque aurem ſtertere. Aderit qui ſuſcitabit aliquando nos, mors ſcilicet! & vtinam magis ſeriò quàm ſeriùs, & tunc videbimus quid nobis profuerint ſomnia, pulueres, & vmbræ rerum harum, &c. Hæc de Angelorum numero, pulchritudine

Conceptus.

dine

dine & eorum manſionibus in cælo, probabiliter dixiſſe ſufficiant, &c.

MEMBRVM III.

Cælum firmamentum poſſe comparari animæ Deo deuotæ.

SIcut cælum firmamentũ immenſæ eſt amplitudinis, ineffabilis altitudinis, miræ pulchritudinis, & incorruptibile; inſuper infinitâ ſtellarum ſerie ornatum, &c. ſic anima rationis particeps, ingẽtis eſt capacitatis, vtpotè quã nil implere & ſatiare poteſt, niſi is *quem neque cæli, neque terra capere poſſunt*, ſcilicet ens infinitum; hinc benè D. Bernardus in ſermone dedicationis. *Ad imaginem quippè*, inquit, *Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt, impleri non poteſt, capacem enim Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit, &c.* Eſt verò ineffabilis altitudinis & dignitatis, quia ad imaginem & ſimilitudinẽ Dei creata, immortalis, & incorruptibilis eſt; vnde & poſt Angelicam, omnium creaturarum digniſsima & nobiliſsima cenſetur, vt teſtatur S. Auguſt. ſuper Gen. addit. *Sicut Deus*, ait, *omnem creaturam, ſic anima omnem creaturam naturæ dignitate præcellit*, nam ſicuti Deus inperſcrutabilis, & incomprehenſibilis eſt naturâ; ſic anima ſuo modo inperſcrutabilis cenſetur gratiâ; vt benè docet Iſidorus lib. 1. de ſummo bono. *O homo*, inquit, *quid miraris ſiderum altitudines, & profunditatẽ maris? animi tui abyſſum intra, & mirare ſi potes, &c.* Certè tam ſublimis, tam excellens, & latens eſt anima, vt neque ſeipſam in hac mortali vmbra ſatis intelligat, capiat cognoſcatque. Quis enim dicere poterit quid aliud ſit anima, quàm ſpiritus quidam rationalis? ſcilicet ab effectu rationis, & à poſteriori, &c. At quis credat hanc definitionem eſſe omninò adæquatam definito, ſcilicet animæ, prout eſt in ſua ſubſtantia & natura ſublimata? ſicuti enim cœcus aliquid elaborans (vti ego vidi horologium à cæco factum, omnibus rotis, & numeris abſolutum) laborando ſeipſum tamen non videt, ſed ſolùm palpat: ſic anima intelligendo, ſeipſam tamen non planè & omninò intelligit; donec æternâ vitâ & viſione beatificâ erit in patria donanda.

Conceptus de capacitate immenſa animæ.

Conceptus.

Iterùm anima cenſetur ſimilis cælo firmamento, dum ſcilicet eſt deuota & virtuoſa; nam vti firmamentum in ſe concludit infinitam ſtellarum multitudinem; ſtellam maris, Solem, Lunã, & 7. Planetas; polum arcticum, antarcticum, & centrum, &c. Sic anima virtutibus decorata, vt firmamentum ſtellis coram Deo claret: continens in ſe Solem Iuſtitiæ Chriſtum, Stellam maris; BB. Virginem, tres polos, ſcilicet ſimilitudinem SS. Trinitatis, quoad intellectum,

Anima myſticũ quodam firmamẽtum.

ctum, voluntatem, & memoriam. Lunam, ſcilicet, lumen gratiæ, à Sole iuſtitiæ mutuatum. Denique Planetas, id eſt, 7. dona Spiritus S. duodecim ſigna & conſtellationes zodiaci, hoc eſt, 12. fructus donorum Spiritus S. &c. Et certè neque ego primus cōparo animam cælo; idem enim dudum etiam ante me præſtitit D. Bernardus ſuper Cantica. *Eſt cælum*, inquit, *ſancta anima, habens ſolem intellectum, lunam fidem, aſtra virtutes: vel certè eius Sol iuſtitiæ eſt zelus, aut feruens charitas; & Luna continentia, &c.* Quidni deuota anima eſſet cælum, cùm ipſa ſit viuum templum Dei? teſte Apoſtolo 1. Corinth. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem tēplum hoc violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt quod eſtis vos, &c.* Maximè quidem deteſtandi ſunt ſacrilegi illi materialia & cōſecrata templa demolientes, omnibusque meritò fidelibus Catholicis magnoperè exoſi: ſed quantò magis Deo exoſus debet eſſe, qui animam Deo deuotam, Deo deſponſatam in vera fide, & charitate Altiſsimo conſecratam veluti viuum templum Dei, contriſtat, perſequitur, expungit, ſcandalizat, aut ad peccandum inducit, verbo, exemplo, aut nequitia propria? ſi namque terribile eſt, materiale templum Dei violare, quantò magis horrendum erit ſpirituale & myſticum cælum ſedemque illius demoliri, & corrumpere? Hoc ſatis Chriſtus Dominus, Matth. 18. exprimit, inquiens, *qui autem ſcādalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, &c.* Anima enim Deo deuota non eſt ſui ipſius, non alterius, ſed ipſius Altiſsimi Dei: hoc teſtatur iterùm Apoſtolus, 1. Cor. 6. *An neſcitis quoniam mēbra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno*, &c. ſcilicet ſanguine IeſuChriſti. Idem Dominus confirmat, Leuit. 26. *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus, &c.*

Anima deuota eſt viuum cælum & templum Dei.

Sed ô bone Deus! quot hodie membra, corpora & animas ſuas conſtituūt membra & templum diaboli, peccati, meretricum, & omnis cœni vitiorū? Deum Conditorem, Redemptorem, infinitæque bonitatis & Maieſtatis Dominum, propria ſuâ ſede turpiſsimè, & nequiter pellentes. *Sed væ eis*, ait Dominus, Oſeæ 7. *quoniam receſſerunt à me*, &c. Quare? Quia *qui te*, Domine *derelinquunt confundentur: recedentes à te in terra ſcribentur, &c.* Id quod certè non caret myſterio. Enimuerò ſicut Deo deuotarum animarum nomina in cælis & libro vitæ ſcribuntur (vti Chriſtus Apoſtolis dixit: *Gaudete, quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo, &c.*) ita & peccatorū nomina econtrà in terræ medio quod & locus

Quando anima fiat templum diaboli.

locus inferni eſt, inſcribẽda ſunt; æquum enim eſt, vt qui ſe in hâc vita charactere beſtiæ, peccati ſcilicet & vitiorum omnium ſignãt, in altera etiam in loco beſtiæ, ſcilicet in terræ medio inſcribantur, inque *ſtagnum ignis & ſulphuris mittantur*, vti benè S. Ioannes in Apoc. prædicit. Et iuſtiſsimum ergo eſt, vt qui priùs à Deo receſſerunt in hâc vita, ab illis & ipſe recedat in altera. Sed quid ſequetur tam terribilem receſſum, niſi æternum væ væ væ? vt Dominus comminatur, Oſeæ 9. *Væ eis ſi receſſero ab eis, &c.*

Conceptus. Anima viatoru ſimilis ſphæra trepidationis.

Certè viatorum animæ à Deo modò recedẽtes, modò denuò accedentes & inſtabiles ſimiles ſunt ſphæræ, quam Aſtronomi dicunt, & fingũt receſſus, & trepidationis. Hæc enim vti continuò à Septentrione ſuper iiſdẽ polis in auſtrum recedit, & è contra; ſic & multorum animæ iam à Deo recedunt, iam iterùm ad eum accedunt. Optimè S. Gregorius 26. Moral. *Quoquo ſe verterit anima, ſi vigilanter intendit, in eiſdem ipſis Deum inuenit, per quæ reliquit, eiuſque potentiam eorum conſideratione cognoſcit, quorum amore deferuet, & per quæ peruerſa cecidit, per hæc conuerſa reuocatur, &c.* Sed profectò, vti periculoſum eſt à Deo recedere, ita difficilè quandoque ad eum verè reaccedere, vt bene S. Bernardus ſerm. 38. ait: *Anima à Deo derelicta redire plerumque vult, & non poteſt, tanta eſt in reditu difficultas.* Quod veriſsimum eſſe teſtantur multa exempla. Receſsit enim Saul à Deo, & ad eum haud ampliùs redire valuit. Receſſerunt Iudæi & Phariſæi, & redire non potuerunt. Nolentes enim Chriſto per fidẽ appropinquare ipſis præſentiſsimo tamẽ, meritò hoc terribile ab eo audiunt. *Quæretis me, & in peccatis veſtris moriemini, &c.* id quod & multis etiam pœnitẽtiam adeò procraſtinantibus hodie erit pertimeſcendum. Receſsit Iudas, licet Apoſtolorum collegio priùs annumeratus, & reaccedere nequiuit. Receſſerunt denique à Deo Angeli apoſtatæ in ipſo etſi cælo creati, & tamen in perpetuum receſſum ad eum ampliùs non obtinebunt, &c. Caue ergo mi homo, ne facilè recedas à Deo tuo, ecce enim *terribilis eſt in conſiliis ſuis ſuper filios hominum, &c.*

Admirandum problema, cuius figuram quære parte 1. laminâ C. fig. 5.

Econtra iam animæ deuotæ cum Deo coniunctio indiuidua admirando problematè explicari poteſt. Et eſt tale: quod ſcilicet circulus minimus (imò & centrũ) maximo & cuiuſcumque magnitudinis periphæriæ inſertus, in & cum reuolutione maioris, ſuâ extimâ circumferentiâ tantæ longitudinis deſcribat lineam per planum; quantam maximus: extra magnum verò reuolutus nõ maiorem quàm eſt ſua propria periphęria. Quod vt intelligas, quęre in principio libri cuprum, ſeu laminam C, eiuſque figuram 5. Imaginemur itaque nobis circulum maiorem b.g.e. eſſe vaſtiſsimum

orbem firmamenti, tellurem vero eſſe d. f. c. eiuſque centrum a. Voluat iam verbi cauſa Angelus quidam ex ſuppoſitione & permiſsione Dei, totam machinam firmamenti, ſuper planum eidem proportionatum ſcilicet e.h.b. ita tamen, vt terra, c.f.d, & centrum, ſimul intra & cum periphæria firmamenti vniformiter eodẽ motu voluatur. Dico, tellurẽ d. f. c. imò & ipſum centrum a. in firmamenti reuolutione, tantæ longitudinis lineam per planum ſuum imaginarium c.k.d.& a.f.g.l.a. deſcripturum ſuâ periphęriâ, d.f.c quantam totius firmamenti circulus b.g.e. in plano reali e.h.b.

Quando enim in actu motûs, quadrans e.g. firmamenti, emenſus fuerit lineam & ſpatium e.h. ita vt punctum eius g. ſit in h. & e. in f. eodem tempore & inſtanti, terræ quadrans c.f. deſcripturus eſt lineam c. k. ita vt punctum eius f. futurum ſit in k. & c.m.g. centrum a. verò in l. Promoueatur iam vlteriùs firmamẽtum ex h.k.l. punctis in b.a.c. integro ſcilicet ſui ſemicirculo: continget ergo iterùm vt quando pars ſuperior b. circuli e.g.b. erit in puncto inferiori b. lineæ e.h.b. tunc etiam punctum periphæriæ terræ ſuperius d. in linea c.k.d. quoque futurum ſit in d. centrum a. verò, lineam a.f.g.l.a. deſcripturum in a. eſt eiuſdem prorſus longitudinis cum linea c.k.d. & e.h.b.

Quod ſi verò circulum telluris c.f. d. ex maioris e. g. b. centro & periphęria extraxeris, & ſolitariè, aut ſeorſim à maiori per planum, c.k.d. volueris, tunc in ſemireuolutione ſcilicet arcu c.f.d. non longiorẽ deſcripturus eſt lineam, quàm c.n. & tamen anteà maiori coniunctus ſolo quadrãte c. f. deſcripſit c. k. in integra verò circulatione ſuâ periphæria c.f.d.c, deſcriberet ſolùm lineam c.n.k.m. &c. Similiter & centrum a. quod licet anteà & cum maiori circulo deſcribebat lineam æqualem e.h. b. ſcilicet a. f. g. l. a. extra eum tamen etſi centies ſeorſim reuolutum non tantam lineam deſcripturum eſſet, quàm anteà ſolummodò mediâ ſuâ parte, &c. Hoc admirandum problema, mi Lector, tu ſoluito. Ego quidem reor, rei nodum totum latere in eo, cùm centrum & minor circulus maiori affixi, & infixi, motum, & tẽpus motus eius adæquatè participent, & ſuis circumferentiis, in ſuis planis, ęqualem in motu moram, & tempus obtineãt, &c. ideò etiam neceſſariò, cum circulo maximo eiuſdem longitudinis lineas deſcribere. Sed nunquid in reuolutione minoris extra maiorem ab Angelo factâ, & mora, & tempus, adæquatus ac ſimultaneus motus, quẽ obtinuit iunctus aliàs maiori, ab eo poſſet ſuppleri, ita vt tanta linea etiam à minoris circuli periphæriâ, quanta à maiori, ſeorſim deſcriberetur? Equidem arbitror hoc quaſi impoſsibile fore,

forem, &c. In cauſis autem huius rei adducendis diutiùs moras trahere ſuperfluum puto: ſed ad propoſitum noſtrum, & applicationem iam venire & redire potiùs liceat.

Deus comparatur circulo maximo.

Deus profectò eſt ille circulus immenſus & maximus, *cuius quidem cētrum vbique, circumferentia nuſquam*: huic per amorem & fidem intimè vnita & coniuncta anima, in reuolutione huius vitæ, tantam lineam eius gratiâ deſcribit à parte poſt & quoad duratione æternitatis, quãtam ipſe Deus: quamdiu enim Deus erit Deus, tamdiu anima beata, erit beatè exiſtens, cum Deo, ceteris paribus, ſimilem æternitatis, & durationis lineam deſcriptura. Vnde Chriſtus Dominus ait: *Qui manet in me*, (circulo infinitæ bonitatis) *& ego in illo, hic fert fructum multum*: & iterùm: *Sine me nihil poteſtis facere*, &c. Vides ergo animam extrà hunc ſacroſanctum circulum cõſtitutam, & ab eo auulſam nullius momenti lineam deſcribere, hoc eſt, neque quidquam boni agere, neque vitam, & lineam æternæ felicitatis, & beatitudinis ſibi promereri & deſcribere poſſe. Nam ſicut punctum & centrum cum maximo circulo coniunctum & motum, maximam & immenſam lineam deſcribit, ſeorſim verò nullam prorsùs; ſic anima velut punctum reſpectu Dei infiniti, à ſe, & in ſe, extra Deum conſtituta nihil poteſt; in, & cum Deo verò omnia, iuxta illud: *credenti* (intellige per charitatem) *omnia poſsibilia ſunt, &c.* & Ioann. 15. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis, &c.*

Sic & Sancti cum Deo ambulantes, ſtupendâ eius virtute patrant miracula & mirabilia, ſine Deo verò nullum fieri poteſt miraculum. Hoc cõfirmat Chriſtus, Ioan. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Nihil igitur, velut puncta & parui quidam circuli, extra, & ſine Chriſto, circulo ſcilicet maximo, poſſumus; in ipſo verò, & illi coniuncti, omnia. Nam *Sicut palmes*, ait Chriſtus, *non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis, &c. qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, Ioan. 15.

Econtra & animæ damnandæ etſi ſint velut puncta, & nihil in conſpectu Dei, deſcripturæ tamen ſunt lineam, (exiſtentes ſcilicet olim in infinito circulo & labiryntho diuinæ iuſtitiæ) cuius longitudinis & durationis nunquam erit finis: ſed heu infeliciſsimam lineam! continuò ſcilicet vt centrum in circulo, ſic hæc in centro terræ & inferni, ab igni inextinguibili ſuper glacies & frigora, iam à fletu ad ſtridorem dētium, iam à dolore in dolorem, iam à cruciatu in cruciatum, denique à deſperatione in deſperationem, à miſeria intolerabili ad æternitatem interminabilem deducenda.

Neque ceſſabunt damnati hanc miſerrimam dãnationis & æternitatis lineam deſcribere in inferno, quamdiu Deus regnabit cum beatis in cælo,&c. nam neque *vermis eorum* (heu longiſsimam lineam!) *morietur, neque ignis extinguetur.*

Conceptus. Proſpice ergo rebus tuis ô pauper homo, quiſquis fortè extra hunc SS. circulum exiſtis, gratiâ Dei ſcilicet deſtitutus; nam ſi non velis in & cum eo moueri, & ambulare vitâ rectâ,& conuerſatione ſanctâ: vt circulus paruus cum maiori nolens volens etiam cum eo deſcripturus es æternæ durationis lineam, vt centrum,ſed prô dolor nullibi quàm perpetuò in centro terræ exiſtens; iam enim inſertus es huic circulo per creationem (nil enim extra eum exiſtere poteſt in rerum natura) immortalis es,rapieris inquam ab eo, lineam certò certius totius æternitatis deſcripturus, aut beatitudinis in ſummitate cæli; aut miſeriæ perpetuæ in centro,& inferno: iam elige quid placet. Si enim vitâ malitioſâ te coram Deo in punctum velut & centrum contraxeris (nihil enim,& velut punctum indiuiſibile peccator eſt coram Deo) in puncto etiam malitiæ tuæ, & forſan etiam temporis, quãdo minimè ſuſpicaberis, peribis, & in centro terræ æternùm cruciaberis. Si verò te vnicè cum Chriſto æternæ felicitatis circulo coniunxeris,in fide vera,charitate perfecta,& vita immaculata,nunquam ab eo ſeparaberis: nam *ſi quis*, inquit, *mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus qui in cælis eſt, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.*

Admiranda res eſt, ferrum intus ſcilicet magnete armatum, & expletum, maximam virtutem & vim attractiuam & retentiuam alterius ferri à magnete participare; magnetem etiam ferro veſtitum multò fortius trahere, quàm ſine illo: quod mihi haud exiguum hieroglyphicũ videtur animæ deuotæ Deo vnitæ; quidquid enim ferrum abſque intrinſeco in ſe latente magnete eſt, hoc & anima, Dei gratiâ deſtituta cenſetur: & ſicuti ferrum maximam vim attractiuam & retentiuam alterius ferri, à magnete recipit; ita anima intrinſecè Deo repleta, omnem virtutem ab eo participat. *Qui enim manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, &c. quia ſine me nihil poteſtis facere, &c.* audis? nihil. Quid ergo peccator præſumis ſine Deo, & contra Deum agere,quæ neque potes, neque vales? Magnes certè,lapis ille ſcilicet angularis,Chriſtus Ieſus,tuę ferrugineæ, & peccatorũ rubigine omnimodè obſcuratæ animæ, extra illam conſtitutus haud multum proderit: quin & timendum, ne altero eius ſcilicet iuſtitiæ miſericordiæ oppoſito polo, adusque polum antarcticum infernalem pellendus & abigendus ſis, haud aliter,

Chriſtus in anima quaſi magnes.

Conceptus.

aliter, ac magnetis contrarius polus ferreum globum à ſe per planum repellit abigitque, &c. niſi mox contritione & pœnitentiâ ſeriâ, compunctione & vitâ deuotâ, te in alterius huius diuini magnetis polo, ſcilicet miſericordiæ, affriuaueris; nouerit enim iſte denuò te ad ſe attrahere, ſi noueris & tu te emendare & ei appropinquare, &c.

Conceptus. Denique ſicut firmamētum innititur tribus punctis, nempè duobus polis, & centro: ſic anima intus tribus SS. Trinitatis Perſonis, vel ſuis tribus potentiis, ſcilicet intellectu, voluntate, & memoriâ firmatur, vti iam ſuprà diximus.

12. ſigna myſtica animæ & beati in cælo. Et tandem, ſicut 12. ſunt ſigna firmamenti, & 12. portæ cæleſtis Ieruſalem: ſic anima beata habebit duodecim prærogatiuas; quarum 6. quidem ipſi, & 6. ſuo corpori in cælo glorificando concedēdæ ſunt: ſex primæ ſunt. 1. *Amor in Deum interminabilis.* 2. *Voluntas in Deum delectabilis.* 3. *Memoria beneficiorum à Deo receptorum, & omnium rerum admirabilis.* 4. *Intellectus in intelligendo & contemplando Deum inexplicabilis.* 5. *Fruitio Dei ineffabilis.* 6. *Securitas, beatitudinem & Deum nunquam omittendi admirabilis.* Corporis verò glorificandi ſunt hæ 6. prærogatiuæ. 1. *Charitas admiranda.* 2. *Subtilitas omnia penetratura.* 3. *Agilitas ſine defatigatione ſtupenda.* 4. *Incorruptibilitas irrefragabilis.* 5. *Pulchritudo, & proportio corporis ineffabilis.* 6. *Fragrantia ex corpore proprio exhalans inexplicabilis.*

12. ſigna hominis damnandi. Quid autem peccator turpiſſimâ voluptate peccatorū pro hiſce omnibus in inferno mercabitur? videlicet 1. *Odium in Deum execrabile.* 2. *Voluntatem contra Deum deteſtabilem.* 3. *Memoriam æternitatis & pœnarum amariſſimam.* 4. *Intellectum in omnibus ſtupidiſſimum.* 5. *Priuationem viſionis beatificæ inexplicabilem.* 6. *Deſperationem & vermem conſcientiæ execrabilem.* In corpore verò erūt 1. *Grauitas ſtupenda.* 2. *Obſcuritas miſerabilis.* 3. *Pigritia & tædioſitas execranda.* 4. *Immortalitas & mors ſine vita verâ, vita & miſeria ſine morte.* 5. *Turpitudo, & deformitas horrenda.* 6. *tandem fœtor ex proprio corpore exhalans intollerabilis.* Denique ſicut Angelis & Beatis in cælo erit locus ampliſſimus, amæniſſimus, & delicioſiſſimus; ſic damnandis à diuina iuſtitia, in carcere infernali detinendis, ſtrictiſſimus, mœſtiſſimus, & miſerrimus. Quanta igitur erit obſecro miſeria? quantus horror? in loco illo, vbi tot milliones horrendiſſimorum dæmonum habitabunt, tot millia millium fœtidiſſimorum damnatorum corporum erunt, colligatorum ad inuicem, & haud aliter compreſſorum in flamma perpetua, quàm folia libri preſſiſſimè compacti. Quid erit de tanta flamma, fumo, & fœtore? dum poſt tremendum iudicij diem infernus adeò vndique ſtrictè concludendus eſt, vt nec minimum quidem ſpiraculum, pro fumo & fœtore exhalandis

Horrenda pœna damnatorum ratione fœtoris & fumi, nullo vnquam ſpiraculo ex inferni barathro euacuandorum.

dis ſit apertum relinquendum? quid inquam erit de tanto fœtore, per totam æternitatem exitum quærente, & nuſquam inuenien te? vtique ad ſuum ſordidiſsimum principium, ſcilicet dãnatos relabetur vnde & emanaturus eſt. vnde Iſa. 34. dicitur: *De cadauere eorum aſcendet fœtor.* Et iterùm Ioel 2. *Aſcendet fœtor eius.* Denique Iſaiæ 34. ſatis damnatorum miſeria, ignis, & fumus exprimitur. *Conuertentur torrẽtes eius* (ſcilicet infernalis carceris,) *in picem, & humus eius in ſulphur: & erit terra eius in picem ardentem. Nocte & die non extinguetur, in ſempiternum aſcendet fumus eius: à generatione in generationem deſolabitur, in ſæcula ſæculorum non erit tranſiens per eam, &c.*

Conceptus inſignis.

Certè miſeræ animæ & corpora dãnatorum in inferno haud abſimiles erunt cuidam lapidi, ferrei coloris in montibus Arcadiæ naſcenti, quem Plinius libr. 37. cap. 10. *Asbeſtum*, ſeu inextinguibilem vocat, eò quòd licet ignem non habeat proprium, tamen ſic continuò ardeat quòd extingui non poſsit, &c. Sic & damnati ſemel infernali igne à furore, & flatu diuinæ iuſtitiæ accenſi, in omnem æternitatẽ non poterunt ampliùs extingui. Hoc teſtatur Iſaias 1. *Et erit fortitudo veſtra vt fauilla, & opus veſtrum quaſi ſcintilla: & ſuccendetur vtrumque ſimul, & non erit qui extinguat:* & iterùm, Iſaiæ 66. *Ignis eorum non extinguetur.* O Asbeſti, beſtialiſſimi, & æternùm arſuri cremandique peccatores! hîc iam omni luxuriæ flammâ animas veſtras adeò incendentes, vt in æternum non ſint extinguẽdæ: audite horrendum dictum cuiuſdam ſpiritus infernalis, ex obſeſſa quadam perſona, coactione Dei nobis quõdam factum. *Si,* inquiebat (ita enim erat à Deo coactus dicere) *per decem mille annorum ſpatium ſine intermiſsione prædicarem, & loquerer de tormentis inferni; eas nequaquam exprimere poſſem; neque enim tormenta totius mundi, omnium etiam Martyrum, & malefactorum, omnium morborum, ab Adam vſque ad finem mundi in vnum cumulum colligenda, & adhuc per decem mille annos duratura, vel minimæ etiam pœnæ inferni, tantummodò ſpatio dimidiæ horæ ſufferendæ, comparari poſſunt.* Inſuper addendo, ſi poſſet habere ſpem, vitam & ſalutem conſequendi (eâ conditione tamen vt ſe per decem mille milliones annorum, induſio ſulphure, reſinâ & pice tincto & infernali igni incenſo indutum ſe à ſummitate cælorũ in fune ardente, manibus poſt terga reuinctis, cõtinuò deorſum demitti, & tum iterùm ſurſum attrahi pateretur) ſe nulla tormenta curàturum, ſed quidquid eſſet pro ſumma gratia habiturum pro ſola ſpe ſalutem conſequendi. Denique ſubiunxit: *ſi auderem, & poſſem vociferari & clamare, quando loquimini vos de caſu noſtro, de die Iudicij, & gloria cæleſti, &c. ego præ nimio dolore, quòd ſcilicet tantam gloriam perdiderim, & amplius in æter-*

Horrenda quædam dicta de pœnarum infernalium acerbitate, cuiuſdam dæmonis ex perſona obſeſſa.

æternum eã reacquirere non poſſim, tanto impetu rugirem, tanto horrore exclamarem vt ad diſtantiã 7. leucarum vocis eiuſmodi vox ſonuſque foret percipiendus, adeoque nullus audientium futurus eſſet, qui non præ nimio horrore tunc eſſet moriturus. Dæmones inſuper mirari, inquiebat, *mortales tam ſegnes & negligentes eſſe, diem Iudicij, & pœnas inferni, tam parum ponderantes (quem diem tamen ipſi ineffabiliter horreant:) cæleſtem gloriã tam exiguè æſtimantes, tam ſupinè negligentes. Gratiam Dei & nobiliſſimum benè operãdi tempus, tam infructuosè dilapidantes, &c.* Et quamuis aliàs cõmuniter dæmoni fides habenda non ſit, cùm ſit ipſe pater mendacij; in quibuſdam tamen, & eiuſmodi rebus, quæ immediatè contra ipſum militant, (cùm & ſæpiùs etiam à Deo in bonum noſtrum loqui cogatur, ita vt habere poſſit meritò etiam hîc locum illud S. Scripturæ, *ſalutem ex inimicis noſtris*, &c.) omninò tamen ei fides habenda eſt, ſcilicet quando dicit talia, quæ nos à malo auertunt, & quorum horrore ad pænitentiam & ad bonum, & ad vitæ emendationem inducimur.

TROPOLOGIA.

IGitur vt cum D. Bernardo in meditat. & Hugone lib. de Anima concludamus. *O Anima inſignita Dei imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata ei in fide, dotata in ſpiritu, redempta ſanguine Ieſu Chriſti, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne?* (& ego addo, quid tibi cum mundo & diabolo?) *quã haud aliud vilius ſterquilinium inueniſti? Si enim animam negligamus*, inquit D. Chryſoſtomus de recuperat. lapſi, *nec corpus ſaluare poterimus. Non enim anima pro corpore, ſed corpus pro anima factum eſt. Qui ergo quod primum eſt negligit, & quod inferius eſt extollit, vtrumque corrumpit. Qui verò ordinem ſeruat, & quod primum eſt colit, etiamſi negligat quod ſecundum eſt, per primi ſalutem ſaluabitur & ſecundum, &c.* ô vtinam igitur mortales tandem ſaperent, & huiuſce miſerrimi temporis malis pręſentibus, & forſan etiã multis mortalibus adhuc futura maiora, imò fortè & mala æterna prænuntiantibus, nouiſsima ſibi fortaſſe citiùs quàm putant, euentura præuiderent! per dignos pœnitentiæ fructus ſe emendarent, Deumque amantiſsimũ Conditorem ſuum tam grauiter à ſe offenſum, tam apertè nobis iratum magis ſedulò quàm hactenus, placare ſtuderẽt; & proculdubiò aliter res noſtræ ſuccederent. *Propè eſt enim Dominus omnibus inuocantibus eum, cor contritum, & humiliatum nequaquam deſpiciens: mortem peccatoris non volens, ſed vt magis conuertatur & viuat* deſiderans. Cogita igitur ſemper ô homo, quiſquis es, ſapientiſsimi Senecæ, etiam Ethnici, dictum in Epiſt. *Prope Deus eſt, tecum eſt, intus eſt. Ita dico Lucili, ſacer intra nos ſpiritus*

Aureum dictum Senecæ de continua præſentia Dei habenda & cogitanda.

tus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſeruator, & cuſtos: hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat, bonus verò ſine Deo nemo eſt; malus & ſine illo autem eius vindictam non declinabit, &c.

Et denique idem iterùm Seneca 3. epiſt. te hortatur, vt vel ab homiue ethnico inſtruaris, & vtinam etiam ab eo in die iudicij non confundaris! Tutum, inquit, iter & iucundum eſt, ad quod natura te inſtruit; dedit tibi illa, quæ ſi non deſerueris, par Deo conſurges (intellige ſi cætera ſint paria, ſcilicet per gratiam.) Parem autem Deo te pecunia non facit, Deus nudus eſt: fama non faciet, nec oſtentatio tui. Nemo nouit Deum, licet multi malè de illo exiſtiment, & impunè (vſque ad ſuum ſcilicet tempus.) Non turba ſeruorum lecticam tuam portantium. Deus ille maximus potentiſsimuſque ipſe vehit omnia: nec forma quidem & vires te beatum facere poſſunt. Nihil horum, non patitur vetuſtatem. Quid ergo? Animus, ſed hic rectus, bonus, magnus: quid aliud voces hunc, quàm Deum in corpore humano hoſpitantem? hic animus tam in equitem Romanum, quàm libertinum, quàm in ſeruum poteſt cadere, &c. Et in epiſt. denique 60. *Surſum animum vocant initia ſua, erit autem illic etiam antequam hâc cuſtodiâ exoluatur. Si vitia ſua deſerat, puruſque ac lenis in cogitationes diuinas emicuerit, &c.* Hæc Seneca homo ethnicus in confuſionem omnium Chriſtianorum malè viuentium, cultum corporis, carnis, & ſæculi voluptates, cultui diuino, animæ, & deliciis paradiſi cæliſque Empyrei præferentium. Et hæc de Angelis, Anima, cælo, & inferno, ad Dei Deiparæque maiorem gloriam, ſaluteinque proximi paucis dicta ſufficiant.

CAPVT VI.

De 7. Planetis myſticis.

PRÆMISSIO.

STellas reſpectu Sanctorum, Chriſti, & B. Virginis Mariæ, &c. inſignē gerere analogiam, facilè probatur ex SS. literis. Primò quidem Numer. 24. Vbi Chriſtus, ſeu Meſsias venturus ſtellæ comparatur. Nam *Videbo eum, ſed non modò,* inquit S. Scriptura: *intuebor illum, ſed non propè: Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël, &c.* & iterùm, Matth. 2. ſtella quæ tribus magis apparuit Chriſtum eis ſignificabat, monſtrabatque. *Vbi* enim, inquiunt, *eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente,* &c. Deinde Daniel Propheta cap. 2. Doctores, & prædicatores comparat ſplendori firmamenti, & ſtellis. *Qui autem,* inquit, *docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiũt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Sacræ literæ Deum ſtellis comparant.

tates. Denique Apoſtolus, 1. Corinth. 15. glorificandorum corporum inter ſe differentiam & exceſſum, ad inuicem excellentiamque Sanctorum & beatorum in futura reſurrectione explicans & adumbrans, id per claritatem & differentiam Solis & ſtellarum perbellè certè demonſtrat. *Alia* enim ait, *eſt claritas Solis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt claritate: ſic & reſurrectio mortuorum, &c.*

Itaque & nos SS. Scripturæ exemplo inſtructi, quâ ratione 7. Planetæ Deo Chriſto, eiuſque, quos pretioſo ſanguine ſuo ſibi æternùm comparauit redemitque, Sanctis comparētur, ſequentibus Anagogis, hocque capite demonſtraturi ſumus.

ANAGOGE I.

Deus Sol myſticus, Sancti verò quaſi alij Planetæ.

MEMBRVM I.

De 7. Planetis myſticis in genere.

ADmiranda certè harmonia, ſtupendus ordo, mirabilis pulchritudo cernitur in 7. Mundi huius viſibilis Planetis. Quis enim ſatis hactenus potuit admirari gratioſiſsimum ſplendorem & lucem Solis? quis Lunæ decorem ſufficienter intueri? quis denique tam mirè & iucundè micantium Planetarum reliquorum ornatum ad ſatietatem contemplari valuit? Quid enim obſecro eſſet Mundus ſine Sole? quid dies ſine Solis luce? quid nox ſine Lunæ & ſtellarum ſplendore? Haud aliud quā quod eſt corpus ſine anima, auis ſine plumis & pennis, nauis ſine vento, velis, & remige. Vnde & varij populi, ac gentes, adeo Solis pulchritudine, ſplendore, & ornatu obſtupefacti illectique fuēre vt eū velut Deum & Numen diuinum colere haud dubitarint; è quorum numero Scythæ Solem vnicum Deum putabant. Cumque is & lucem & vitam videatur impertiri Mundo, cunctiſque animantibus, plantis, & viuentibus: hinc & lucis quæſtor, & vitæ author, & morborum ſalutiſque moderator, frugum denique & rerum omnium copiæ largitor, atque adeo Deus vnus habebatur; eo ſcilicet tēpore, cùm Dei naturam ſuperiorem hiſce omnibus, nōdum mortales miſeri illi cognoſcerent. Hinc eſt quod apud Rhodios illos populos, Solis ſimulachrum ingens fuerit, quod & Solis coloſſum appellabant, altitudinis 70. cubitorum (quare etiam Rhodij Coloſſenſes videntur vocari ab Apoſtolo.) Hic coloſſus Solis, tantæ fuit magnitudinis & molis, quod licet poſt quinquageſimum ſextum annum terræmotu proſtratus ſit, tamen adhuc etiam

Ingens moles Coloſſi Rhodij.

iam iam deiectus, & iacens miraculo fuerit. Nam pauci eius pollicem amplectebantur. Maiores ei fuêre digiti, quàm hodie pleræque ſtaturarum moles. Defractis eius membris, vaſti ſpecus hiabant: ſpectabantur intus magnæ molis ſaxa. Opus videlicet duodecim annorum; pretio vix trecentorum talentorum ſoluendum. Denique Soldanum Ægypti, Rhodium inſulam inuadentem, ex huius ſtatuæ ſolis ære, nongentos camelos oneraſſe ferunt, &c.

Neque etiam Solem ſolummodò populi gentiles Deum colebant, ſed & Saturni ♄ & ♃ Iouis ſtellas inter diuos numerabant. Vnde inter 7. orbis miracula etiam recenſetur Phidiæ operâ ex ebore elaboratũ, & olympio Ioui erectum ſtupendũ ſimulachrum, &c. Quod ſi etiam antequã Deus mẽtibus mortalium cognitus extitiſſet tãtam ſimilitudinem Ethnici illi populi, inter ſolem, ſtellas & Deum, neſcio quo naturæ inſtinctu, repererint; ita vt eos etiam omninò deos & crediderint; & coluerint: quantò magis nos lumine ſolis iuſtitiæ iam illuſtrati, ſano modo, Solem & reliquos Planetas, Deo & Sanctis eius in cælis aſsimilare poterimus?

Quomodo ſol Deum repræſentet.

Primò quidem Sol Deum, & Chriſtum; reliquì verò Planetæ Sanctos optimè repręſentãt. Sicut enim ſolus Sol à nullo illuminatur alio aſtro, ſed omnia econtra illuminat, ſolus ſuo motu ſimpliciſſimam lineam deſcribit, ſolus cum Luna nunquam fit ſtationarius aut retrogradus; reliqui verò omnes, &c. Sic ſolus *Deus eſt lux, in quo tenebræ nõ ſunt vllæ*, 1. Io. 1. Solus *illuminat*, ſcilicet, *omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioan. 1. à nemine verò illuminatur ipſe, ſed omnia abſcondita in tenebris latitantia manifeſtat, (hoc quidem futurum eſt dum in illa die aperiendi erunt ab eo libri conſcientiarum.) *Ipſe* enim, ait Daniel cap. 11. *reuelat profunda & abſcondita* (pectoris tui ſcilicet ô homo, ſuo tamen tempore) *& nouit in tenebris conſtituta* (omnia arcana cordis tui, quidni igitur ſanctè coram eo ambules?) *& lux cum eo eſt*, &c. Vides ergo Deum eſſe Solem myſticum.

Conceptus de ſtatione, & retroceſſione myſtica.

Deinde ſicut ſolus Sol & Luna nunquam ſunt ſtationarij, aut retrogradi: ſic ſolus Chriſtus, eiuſque BB. Mater, nunquam fuêre ſtationarij, nullâ ſcilicet vnquam labis aut peccati remorâ laborantes, quibus aliàs in medio maris ſiſti dicuntur naues, &c. Nam *ipſe* (1. Pet. 1.) *peccatum non fecit, ſed peccata noſtra ipſe pertulit: & neque inuentus eſt dolus in ore eius. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei Maieſtatis, & imago bonitatis ipſius: attingens vbique propter ſuam munditiam, &c. Nihil inquinatum in illum incurrit, &c.* Sap. 7.

Neque etiã Luna myſtica vnquam retrograda facta eſt, illa inquam *pulchra vt Luna, electa vt Sol,* ſcilicet

ſcilicet BB. Virgo Maria. Vnde & Eccleſia de ea ita à Spiritu S. edocta cantat, Cant. 4. *Tota pulchra es ô Maria, & macula non eſt in te, &c.* Itaque ſolùm duo luminaria hæc maiora & myſtica, ſcilicet Sol iuſtitiæ Chriſtus, & Luna Mariana, BB. Virgo, nunquam fuère ſtationarij & retrogradi: quæ tamen paſsiones in omnes reliquos Planetas cadunt: *Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis nō eſt*, 1. Ioan. 1. Vnde bene S. Auguſtinus de natura, & gratia ait: *Hâc Virgine exceptâ, ſi omnes Sāctos & Sanctas cùm hîc viuerent, congregare poſſem & interrogare, vtrū eſſent ſine peccato? quid fuiſſe reſponſuros putamus: niſi quod ait Ioannes, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, &c.*

MEMBRVM II.

Solem magnitudine ſuâ omnium aliorum Planetarum moles ſuperantem magnitudinis & excellentia Chriſti typum gerere.

Magnitudo Solis ſecundùm authorem. VEteres Solem tellure, & toto terraqueo globo tantummodo vicibus 166. maiorem perperàm determinarunt; cùm reuerà ipſe ex noſtris, & certioribus fundamentis benè millies tellurem ſuâ mole excedat, ita vt ſe habeat ad terram vt 100. ad 10. ſeu vt quadratum ad ſuam radicem; ipſe verò Sol eſt ad ſuam à terris diſtantiam, & radium orbis ſui in 10000. partes diuiſum, vt 100. ad 10000. ſeu vt radix ad ſuum quadratum: terra igitur diſtantiæ ſuæ à Sole eſt radix cubica; Sol verò radix quadrata. Si enim 10. per 10. multiplices, prouenient 100. diametri ſolares diſtantiæ à terra: & ſi denuo 100. in 10. duxeris, 1000. terræ diametros canflabis, quæ quidem, vti hactenus nunquam audita & credita, ſic & ſtupēdam rerum inter ſeſe proportionem atque harmoniam arguunt, Conditoriſque omnia *in numero, pondere & menſura* creantis, infinitam ſapientiam commendant. Centum igitur Sol ſuis, terra verò 1000. ſuis diametris à terra diſtat, & vt 10. ſe habet ad 100. reſpectu eiuſdem. Idque fortè haud abſque myſterio: cùm enim Sol creaturæ rationali, Creatorem ſuâ luce, pulchritudine, & ſplendore referat, etiam ſuâ, reſpectu telluris, proportione, myſticā proportionem inter Solem iuſtitiæ, & terreſtrem hominem gerere videtur. *Solis iuſtitiæ myſtica proportio ad hominem.* Reſoluamus itaque iam terminos magnitudinis Solis & terræ, ſcilicet 100. & 10. in numeros hebræis literis expreſſos (vti hebræis numerare mos eſt) competent quidem numero 100. id eſt Solis hæ literæ מלכי, quod idem ſonat ac *Rex meus* (*Rex* nempè

Regum, & Dominus dominantium) numero 10. telluris verò tantummodo vnica hæc litera י *Iod* dicta conuenit, hoc eſt idem quaſi ac *iad*, ſeu *ſpatium inane*; vel יד *Ied*, idem ac *cœnum, lutum*, &c. Quid eſt autem homo terrâ repræſentatus, reſpectu Solis iuſtitiæ aliud quàm merum vacuum & inane ſpatium, lutum, & cœnum? nam *recordatus eſt*, inquit Dauid, *quoniam puluis ſumus*, Pſal. 103. hominem verò maximè peccatorem, nihil quaſi eſſe, inane quid & vacuum coram Deo teſtatur Dauid Pſal. 72. *Ad nihilum redactus ſum & neſciui, &c.* Et ſicuti litera hebræa י (quæ numerũ 10. etiam refert) eſt omnium minima, & reſpectu aliarum literarum punctum: ſic homo reſpectu Dei & Chriſti merum punctum cenſetur. Hoc optimè Chriſtus Dominus innuit: *Sine me*, in-
Conceptus. quit, *nihil poteſtis facere, &c.* Quidquid ergo ſumus, in Chriſto eſſe debemus, ſine quo nihil ſumus. Nam ſicut litera י *Iod*, ſe ſolâ nil ſignificat, tamẽ cum aliis literis, in nomine SS. Tetragrammatō, ſeu יהוה & in nomine ישו *Ieſu*, ſuum valorem habet: ſic homo in Chriſto radicatus fert fructum multum, extra illum verò nihil. Eſt igitur Chriſtus numero 100. hoc eſt *Melchi* expreſſus, verè noſter *Rex regum, & Dominus dominãtium*: homo verò per telluris numerum 10. ſignificatus reſpectu illius, parum aut nihil, &c.

Deinde ſicuti Sol etſi immani à Conceptus.
nobis & tellure ſpatio diſtet, nihilominus tamen ſuâ luce, & ſplendore vndiq; præſens eſt; ſic Deus & Chriſtus Sol iuſtitiæ, etſi in ſummitate cæli Empyrei exiſtẽs, nobis tamen & ſuâ gratia & miſericordiâ ſemper præſẽs eſſe cenſetur; vti apud Matth. promiſit: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſumationem ſæculi, &c.* Et benè S. Gregorius libr. 2. Moral. *Creator*, inquit, *omnium Deus Pater omnipotens vbique eſt, & vbique totus eſt, in parte non eſt, quoniam vbique eſt, & tunc minùs inuenitur, quando is qui vbique totus eſt, in parte quæritur, &c.*

Sicut denique Sol ſuo calore Conceptus
penetrat viſcera terræ, inque illis iucundus.
aurum, argentum, & lapides pretioſos procreat, ſurſum aſtra illuminat, deorſum verò calefacit, &c. Ita Sol iuſtitiæ penetrat viſcera humani cordis, inque iis aurum ſui diuini amoris, argentum dilectionis proximi, & infinitos virtutum lapides pretioſos procreat. Nam *qui manet in me, & ego in illo*, ait, *hic fert fructum multum*, &c. Sine Sole enim Iuſtitiæ omnia languent, & nihil fieri poteſt, vt ipſe teſtatur, *ſine me nihil poteſtis facere, &c.*

ANA-

ANAGOGE II.

De Sole myſtico, & qualiter adhuc aliis modis Soli noſtro viſibili comparetur.

MEMBRVM I.

Quod Chriſtus Sol iuſtitiæ inuiſibilis habeat analogiã miram cum noſtro Sole viſibili.

Elogia & ſententia Plinij de Sole. CErtè Plinius libr. 2. inſignia Soliselogia enumerat. *Medius*, inquit, *Sol fertur ampliſſimâ magnitudine & poteſtate, nec temporum modò terrarumque, ſed ſiderum etiam ipſorum cælique rector. Hunc mundi eſſe totius animũ, ſeu planius mentem: hunc principale naturæ regimen ac numen credere decet, opera eius æſtimantes. Hic lucem rebus miniſtrat, aufertque tenebras. Hic reliqua ſidera occultat: hic vices temporum, annumque ſemper renaſcentem, ex vſu naturæ temperat. Hic cæli triſtitiam diſcutit, atque etiam humani animi nubila ſerenat. Hic ſuam lucem cæteris quoque ſideribus fænerat. Præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens: ita vt principi literarum Homero dicere placuerit. Omnia in vno eo* (ſcilicet Sole) *video, &c.*

Applicatio. Profectò omnes modò dictæ analogiæ ſolis, Soli Iuſtitiæ perbellè, & myſticè attribui, atque aſſimilari queũt. Vti enim Sol medius ampliſsimâ mole, & potentiâ inter ſidera fertur: ſic Chriſtus Sol iuſtitiæ eſt *mediator Dei & hominum*, 1. Timoth. 2. Siderum tam cæleſtiũ, & Beatorum, quàm terreſtrium, ſcilicet hominum, rector ampliſsimâ poteſtate cuncta gubernans. Nam *data eſt mihi*, inquit, *omnis poteſtas, in cælo & in terra*, Matth. 28. Animus eſt, & quaſi mens mundi, vtpotè qui non modò per ipſum, verùm & principaliter propter ipſum factus eſt: *Vniuerſa* enim *propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, Prou. 16. Numen Deorum, ſcilicet *ſplendor Patris*, & *figura ſubſtantiæ eius*. Lucem ſuæ gratiæ continuò rebus humanis miniſtrans; tenebras noctis & mortis ſuo piiſsimo ortu pellens, auferenſque. Suâ gloria reliqua omnia ſidera & tam fixorum, & Angelorum, quàm Planetarum, Beatorum ſcilicet occultans. Cæli triſtitiam diſcutiens, cùm ſit ipſe eius lampas, iuxta illud; *Et lucerna eius eſt agnus*, Apocal. 21. Deinde etiam humani animi nubila peccatorum, ſuæ gratiæ claritate indies ſerenat: lumen ſui diuini Spiritus cunctis piis mentibus infundens. Eximius, quia *Rex regum ipſe, & Dominus dominantium.* Omnia intuens, quia vbique præſens, nullibi abſens, nam *ego cælum & terram*, inquit, *impleo.* Omnia exaudiens, quia *miſerationes eius ſuper omnia opera eius*, Pſal. 104. Ita vt *omnia*

in vno hoc SS. Sole iuſtitiæ videre liceat, cùm ipſe omnibus rebus coëxiſtat præſentiſsimus vbique: fons omnis boni; plenitudo infinitæ perfectionis; & denique vnum quid, & omne eſt hic Sol myſticus in omnibus rebus modo infinitè perfecto. Sicut enim immenſa lux & maieſtas Solis, omnia reliqua aſtra occultat, ita vt præſente eo omnino etiam neque cerni queant, & quaſi non eſſent reſpectu visûs noſtri ſe habeant: ita Chriſti immenſa gloria, & maieſtas in cælo omnium Angelorum & Beatorum reſpectiuè occultat gloriam: adeò vt reſpectu gloriæ eius & maieſtatis, haud vmbra cenſenda ſit omnis etiam omnium, & Beatorum & Angelorum gloria, felicitas, & pulchritudo in vnum collecta, idque propter infinitam dignitatem vnionis hypoſtaticæ cum Verbo Patris æterni, &c.

Iam igitur cogita quanta debeat eſſe maieſtas Chriſti in cælo omnibus Beatis, tam Angelis quàm hominibus, in perpetuas æternitates, inſtar lucernæ, & Regis futuri? Magna certè fuit potentia, maieſtas, & ſplendor Dictatorum Romanorum, adeò vt Nero ferè nunquam ſine cauda minimùm 10000. perſonarum, & aulicorum in publicum prodiiſſe feratur, cuius palatium & mole ampliſsimum, auro intus, & lapidibus pretioſis vndique ſuperbiſsimè decoratum, ſplendidiſsimum erat. At maior erat adhuc pompa & maieſtas Salomonis: cui teſte S.Scripturâ, 3.Reg.4. aſſiſtebant 11. principes, & ex *Iuda & Iſraël innumerabiles, ſicut arena maris in multitudine, comedentes, & bibentes, & lætantes* coram eo. Cogita quanta fuerit multitudo aulicorum eius; cùm indies conſumpſerint 30. *coros ſimilæ, & 60. coros farinæ, 30. boues, centum arietes, exceptâ venatione ceruorum, caprearum, bubalorum, & auium altilium*; ita quod Regina Sabæ adeò Salomonis ſapientiam, potentiam, & maieſtatem admirata fuerit, vt *non haberet ampliùs ſpiritum, &c.* Iam ſi & Salomonis & Neronis, & omnium Regum, Imperatorum ac principum totius mundi, qui vnquam fuerunt, ſunt, & erunt, potentiam, diuitias, maieſtatem, & ſplendorem in vnum cumulaueris, & potentiæ, pulchritudini, atque maieſtati vel minimi Angeli comparaueris, non ſplendor, non maieſtas, non potentia, ſed potiùs impotentia, debilitas, puerilitas, & obſcuritas erit. Collige igitur iam ex hoc, cùm tanta ſit multitudo Angelorum (quæ, vt ſuprà diximus, etiam multitudinem arenularum vaſtiſsimi maris probabiliſsimè & quidem longè excedit) & omnes hi potentiſsimi principes, trementes aſsiſtant ante faciem Chriſti, & Dei; quanta debeat eius eſſe Maieſtas.

Pompa Neronis.

Et maieſtas Salomonis.

Inexplicabilis pulchritudo & maieſtas Chriſti.

Maieſtas. Quanta gloria & excellentia? Cumque potentia, pulchritudo, & maieſtas vnius Angeli etiam minimi, excedat & ſuperet omnem potentiam, pulchritudinem & maieſtatem totius mundi; quid erit ergo, maieſtas, potentia, pulchritudoque omnium ſimul Angelorum? qui ſuo numero vaſtiſsimi etiam Oceani arenulas, omniumque rerum ſpecies longè ſuperant. Iam cùm omniũ ſimul Angelorum potentia, maieſtas, & pulchritudo in vnum collecta reſpectu Magnificentiæ, Magnitudinis, & Maieſtatis Dei nihil aliud ſit, quàm vmbra reſpectu corporis, tenebræ reſpectu Solis & lucis: cogita igitur, indeque conclude, quid de illo ſentiendum ſit *qui reſpicit terram*, ſoloque obtutu *facit eam tremere, tangit montes & fumigant, aufert ſpiritum principum; venturus denique iudicare viuos & mortuos, ſæculumque per ignem?* Cui denique *omnis poteſtas data eſt in cælo & in terra, &c.* Cùm igitur Chriſtus ſit *Rex Regum, Dominus dominantium*, & *pluſquam Salomon* infinities, quantum ergo in cęlis palatium & magnitudine, & pulchritudine, excellentiaque decoratum putas oporteat eum habere, accepiſſeque à Patre æterno, vt ſit eius dignitati infinitæ, eius Maieſtati ineffabili, eius pulchritudini & potentię inenarrabili proportionatum?

Chriſti dignitas & palatium in cælis.

O bone Ieſu! quot hodie principibus terrenis (qui tamen nonniſi puluis ſunt & vmbra) diu noctuq; ſine nauſea, pro inani ſolùm honore, tranſitoria gloria, exiguo & vili ſtipendio inſeruiunt! & tibi æternæ infinitæq; Maieſtatis Domino, *Iudici viuorum & mortuorum* è contra vix in hâc terreni vmbra ſerui ſunt? Flectuntur genua ſæpiſsimè maximis tuis inimicis, mortalibusq; dominis: tibi autem *Regi ſæculorum immortali* ſępè tam exiguus honor, prô dolor, exhibetur! Sacrificatur tam ſplẽdidè diabolo, carni, & mundo: tibi verò teipſum pro nobis indies ſacrificanti, tam pauci ſe ſincerè & purè ſacrificant? Æſtimatur tanti, pretium auri, argenti, & diuitiarum harum; pretium verò & valor SS. Sanguinis tui pro nobis effuſi & diuitiarum cæleſtium tam exiguè ponderantur? Omnes quidem cupiunt, ſperant, & volunt te videre ſequiq; in cælis; ſed pauciſsimi te imitantur in terris. Quid hoc amantiſsime, & dulciſsime Domine? quid hoc inquam aliud arguit, quàm nos tecum non conſurrexiſſe, cùm adhuc adeò ſapiamus terreſtria, cæleſtia tam parum cogitemus, vitam noſtram cum tua tam frigidè componamus? O inſaniam miſerrimi generis humani puluere terreſtrium rerum adeò obcæcati, vt quæ tua & vitæ æternæ ſunt, numquam aut rarò penſitet; quæ verò huius vmbrę mortalis ſunt, totis viribus anhelet, ſummo deſiderio amplectatur; ingenti damno quãdoque teneat, & tandem nolit velit, ſummâ ama-

Notent ſæculi inſectatores.

amaritudine & periculo animæ perdat!

Quid dicam Domine? ſibi, carni, mundo, & diabolo plerique hodie fiunt vtiles: tibi verò *omnes quaſi inutiles facti ſunt* mortales; ita *vt vix ſit qui faciat bonum, vſque ad vnum*: quomodo ergo te Bonum ſummum & infinitũ in cælis ſperare poſſumus, qui hîc incomparabiliter plus mali quàm boni operamur? Tranſeunt horæ, abeũt dies, labuntur anni, effluunt luſtra; appropinquat è contra hora mortis, accelerat tempus reddendæ *rationis villicationis noſtræ*, inſtat extrema denique dies, & tamen vix *eſt qui recogitet eorde.* Ad æternitatis manſionẽ ineuitabiliter ſenſim & raptim properamus, ſiue rapimur, & tamẽ haud aliter tranſitoriis inhiamus quã ſi hæc ſemper duratura, illa verò nunquam eſſẽt futura. An non amentia craſſiſsima eſt æternam gloriam credere, & perennem pœnam in inferno pro malis paratam non dubitare, & tamen neq; dignâ pœnitentiâ velle hãc deuitare, neque ad illam ſedulò, opere & effectu aſpirare? vno verbo dicam; tales ſcilicet potiùs ad atheiſmum mihi videntur accedere, quàm verè & catholicè credere; ſi enim crederent verè, quæ credunt vtique & opere conarentur adimplere, & vitâ immaculatâ teſtari; at cùm neque hoc agant, neque illud faciant, quid igitur de illis futurum ſit, penes Deum, & te Lector beneuole, iudicium eſto: equidem reor, tales olim à Sole Iuſtitiæ adeò in die Iudicij occultandos obcœcãdoſque fore, ita vt *in æternum non* ampliùs ſint *viſuri lumen*, iuxta illud Pſal. 48. Vnde & bene D. Auguſtinus lib. 2. de morib. Manich. ait. *Sicut Sol aquilarum oculos vegetat, noſtros ſauciat inſpectus & tenebrat: ita Chriſtus Sol iuſtitiæ in die iudicij Sanctorum Electorumque mentes, & animæ facultates inſpectus acuet* (bene enim Sancti aquilæ altè volanti comparantur) *impiorum verò oculos, & animos perpetuò obcæcabit, &c.*

MEMBRVM II.

Adducuntur adhuc aliæ analogiæ, Chriſti Solis Iuſtitiæ cum noſtro Sole viſibili.

Mvltas certè Sol hic viſibilis alias habet prærogatiuas, Chriſto Soli iuſtitiæ myſticè valde etiam familiares. Sicuti enim Sol lucidiſsimum ſidus, ſtellarumque Rex, non rogatus ſed ſpontè oritur, terramque noctis caliginem pellit, mundum à nebulis & ſordibus purgat & denubilat, illuminat obſcura, fructus telluris producit, vitam denique, & iucunditatem ſuo ortu cunctis rebus affert; triſtitiam è contra ſuo occaſu, & diſceſſu pleriſque cauſat: Ita Chriſtus ille benedictus Sol iuſtitiæ, ſidus ſiderum omnium cæleſtium lucidiſsimum, quia *ipſe* *Conceptus.*

eſt

eſt ſplẽdor Patris, candorq́ lucis æternæ. Sap.7.*&c.*mundo huic mœris peccatorum tenebris obſcurato,denſiſsimaque originalis labis nebulâ atq; caligine vndiq;obtecto,ſpontè,liberè,merâ gratiâ & miſericordia motus,ortus eſt;tãquam enim ſponſus de thalamo ſuo,extra horizontẽ vteri Virginalis prodiens, totũ terrarum orbẽ piiſsimo ſuo aduentu illuſtrãs, peccatiq́ue tam originalis, quàm actualium culparum nebulis oppreſſum mundum miſericordiſsimè ſuâ natiuitate,vitâ,verbo,exẽplo,&morte denubilauit, liberauitq́ue. Vnde congruè, Luc.1.Zacharias cantat: *Illuminare his qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis, &c.* Et iterùm Num.24. *Orietur ſtella ex Iacob*: denique Iſaiæ 58 *Orietur in tenebris lux tua*,&c.Neque Sancti amplius hoc SS Sole orbãti ſunt, ſed æternùm potiùs ab eo recreandi illuminandiq́ue. Ita Dominus Sabaoth promittit cæleſti Ieruſalem & incolis eius, Iſaiæ cap.60. *Non occidet vltrà Sol tuus,& Luna tua nõ minuetur,quia erit tibi Dominus in lucẽ ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus* (ô cæleſtis Ieruſalem) *omnes iuſti, in perpetuum hereditabunt terram* (ſcilicet promiſsionis) *germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille* (quaſi dicat, habebit omnes perfectiones in proportione millecupla) *& paruus in gentem fortiſsimam: ego Dominus in tempore eius ſubitò faciam iſtud, &c.* Certè, vti Sol tempore ſuo paruos ramuſculos, & grana ſinapis in ingentes arbores calore & virtute ſuâ excreſcere, alias verò areſieri facit: ita Chriſtus Sol iuſtitiæ ſubitò in die iudicij humiles exaltaturus, & ſuperbas cedros Libani infructuoſas diſperſurus, eradicaturus, & in ignem inextinguibilem miſſurus eſt. Hæc certè eradicatio arborum harum myſticarum, ſeu peccatorum, quàm terribilis futura ſit, haud obſcurè præfiguratum videtur Danielis 4. in arbore ſcilicet illa à Nabuchodonoſore viſa, *Conceptus iucundi.* eumq́ue ſignificante, & à Deo vſque ad beſtiarum ſpeciem & paſtum humiliatâ,&c. Deinde in arbore fici, Matth.21. ob nullos in ea repertos fructus à Domino noſtro æternùm maledictâ, &c. Quid ergo futurum cenſes de *arboribus illis autumnalibus, infructuoſis, bis mortuis?* (ſemel primâ ſcilicet, & iterùm ſecundâ morte extinguendis) *eradicatis*? profectò haud aliud, niſi vt *excidantur* ſecuri diuinæ iuſtitię (iam quidem ad earum radices poſitâ) *& in ignem mittantur*, ſcilicet inextinguibilem, Luc. 3. O quanta tunc hiſce arboribus infructuoſis futura eſt triſtitia, dum Sol iuſtitiæ ęternùm eis non amplius oriturus, ipſis occaſurus eſt! vel potiùs quando illi ab ipſo, terribili vocis tonitru: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, abigendi, pellendiq́ue ſunt!

Denique ſicut Sol ſub zona *Conceptus.* torrida

torrida habitantibus perpetuum ęquinoctium affert, magis illuminat, fortiùs vrit & calefacit: Sic Chriſtus Sol Iuſtitiæ incolis ſub zona torrida ſcilicet veræ fidei per charitatem, & ſub æquinoctiali Romanæ Eccleſiæ habitantibus perpetuum æquinoctium affert, ſcilicet, vt quidquid nox tetra labilis naturæ humanæ in eis rigefacit, & mortificat; hoc illicò & denuò calore gratiæ, & miſericordiæ Solis iuſtitiæ reuiuiſcat. Vel certè aliud æquinoctium myſticum cauſat Sol iuſtitiæ: ſcilicet charitatem, æquitatem, & iuſtitiam, in mentibus verè fidelium continuò producendo, fouendoque: quia *ſine me*, inquit, *nihil poteſtis facere, &c.*

Quomodo Eccleſia, & anima à Sole iuſtitia myſticè denigrētur.

Quàm fortiter verò Eccleſia, fidelis deuotaque anima, Chriſti ſponſa etiam vſque ad nigrorem (haud aliter quàm Æthyopes ſub æquinoctiali ſolent) ſub æquinoctiali veræ fidei per charitatem conſtituta, diuini amoris flammis huius SS. iuſtitiæ Solis aduratur, inflammeturque; ſatis apparet Cant. 1. *Nigra ſum* (inquit ſponſa iam dicta Solis iuſtitię) *ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſum, quia decolorauit me Sol*, ſcilicet Sol iuſtitiæ radiis ſui diuini amoris totaliter quaſi me aduſſit & vſque ad languorem combuſſit: quod iterùm teſtatur cap. 2. Cantic. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo, &c.*

Inſignes conceptus.

Certè calor & ignis primò ligna arefaciunt, & humorē ex illis pellunt, tum vrunt, & nigrefaciunt: tandem omninò comburunt, inque albiſsimos cineres redigunt: ex quibus tum lucidiſsima fiunt vitra, & feneſtræ pellucidæ palatiorum, Regum & principum: ſic agit Sol Iuſtitiæ, vt tandem ſibi pro ſuo cæleſti palatio velut lucidiſsimum vitrum & feneſtram animam præparet. Primò enim ſuâ diuinâ gratiâ noxios peccatorum humores ab ea expellit, tum igne ſui diuini amoris nigrefacit: & tandem flammâ charitatis omninò comburit & quaſi in cineres redigit: igne mortificationis ſcilicet, probationis & tentationis, iuxta illud Tobiæ 12. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te, &c.* Et rectè Dauid, *multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus, &c.* quando? tunc ſcilicet, quando ex fornace, igni tribulationis ſuccenſâ, huius ſcilicet vitæ miſeriis anima ſoluta (aut certè etiam, ſi opus fuerit, ignibus Purgatoriis purgata,) ad æternæ gloriæ palatium transfertur. Vt benè Dauid Pſal. 65. *Induxiſti nos in laqueum*, ait, *poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra* (ſcilicet ſuperiores malum caſtigantes, & perſecutores iniuſtè bonos perſequentes.) *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium, &c.* Sicuti igitur ſine igni, & aqua nulla poſſunt fieri vitra & feneſtræ

feneſtrę pro palatiis,ſic oportet & iuſtos pro æterno cęleſtique palatio aptandos igne tribulationis,& aquâ anguſtiarum harum priùs purgari. *Non enim eſt diſcipulus ſuper magiſtrum*: *ſi autem Chriſtum* magiſtrum noſtrum *oportuit pati*, & *ita intrare in gloriam ſuam*, quid nos ſeruos, & diſcipulos eius facere oportebit vt intremus in gloriam iam non noſtram,quia per peccatum perdidimus, ſed potiùs Chriſti, vtpotè eius ſanguine proprio nobis ex gratia recuperatam?

Reſtat iam vt vnum exẽplum tibi adducam;qualiter ſcilicet Sol Iuſtitiæ cauſa ſit myſticè nigroris, combuſtionis, & redactionis in cineres lignorum, &c. Nunquid enim non BB.Virginem Mariam igni ſui diuini amoris totaliter myſticè decolorauit primò, adeò quod Spiritus ſancti flammâ incenſa conceperit *cãdorem lucis æternæ*, atque ipſum *ignem conſumentem Deum*? Deut.24. Hinc optimè dicit Cantic. 1. *Nigra ſum, ſed formoſa*: quare? *quia decolorauit me Sol*, iuſtitiæ ſcilicet, igni ſui diuini amoris in matrem ſibi, præter naturæ ordinem me eligendo formãdoque. An nõ Marianum hoc SS. lignum & cedrus, ex quo altiſsima cedrus Filius Dei ortus eſt, igni tribulationum, dum filius dilectiſsimus ſupplicium mortis pateretur in arbore crucis, quaſi in cineres redactum eſt? iuxta illud Lucæ 2. *Et tuam ipſius animam gladius pertranſibit*. Eſtne poſsibile fornacẽ igni & flammâ omnimodè ſuccenſam intùs, nõn ardere, non purgari, & omninò dealbari, nimioq; calore quaſi in cineres redigi,& in ignem conuerti? Quid ergo dubitas, hæretice, de ſummâ excellentia, & puritate Mariæ, Fornacis ſcilicet ſeu veriùs fornicis cæleſtis Solis iuſtitiæ? Iam verò quàm inſigniter BB. Virgo Maria igni tribulationis in fornace huius vitæ myſticè decocta & à vitriario æterno, Deo ſcilicet, pro æterni palatij ſui feneſtra parata ſit, Eccleſia S. Mater noſtra perpulchrè hiſce verſibus exprimit:

Conceptus inſignes.

Quomodo B.V. ſit feneſtra cæli.

Quod Heua triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine;
Intrent vt aſtra flebiles
Cæli feneſtra facta es, &c.

Certè non niſi per hanc ſacroſanctam feneſtrã, *iuſtitia* nobis *de cælo proſpexit*: priùs ſcilicet ipſam ſibi dignum habitaculum præparando, deinde nos per ipſam ſanando, vt benè S. Ambroſius ſuper Lucam. *Non mirum ſi Dominus redempturus mundum operationem ſuam tunc inchoauit à Maria, vt per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore, &c.* Eſſe verò BB.Virginem cæli feneſtram factam teſtatur S. Auguſtinus in ſermone de aſſumpt. *Auctrix*, inquit, *peccati Eua: auctrix meriti Maria: Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit: illa percuſſit, iſta ſanauit, &c.* Et S. Bernardus in quodam ſerm. *Per te*, ait, *Virgo ſancta, cælum impletum eſt, infernus euacuatus;*

inſtauratæ ruinæ cæleſtis Ieruſalem, miſeris expectantibus perdita vita data, &c. Meritò igitur cum Caſsiano quâdam epiſtolâ concludimus. *Tu patrona, ô* Maria, *humani generis, tu afflictis rebus medica ſingularis, quis tuo non egeat munere, cùm ſit peccare commune?*

MEMBRVM III.

Sol noſter Deum trinum & vnum, diuinitatem, animam & Corpus Chriſti exhibet; & cur dicatur Sol Iuſtitiæ.

TRia inſeparabilia ab inuicem inueniuntur principaliter in Sole, ſcilicet ſubſtãtia ſubtiliſsima, ſplendor lucidiſsimus, calor à ſplẽdore & ſubſtantia Solis emanans; quibus tribus cuncta huius mundi inferioris procreantur, propagantur, & fouentur, &c. Sic in vno Deo indiuiſibili & inuiſibili Sole inuenitur Pater, ſubſtantiæ Solis quaſi correſpondens, eo quòd ille ſit prima & originalis perſona à nulla alia producta. Secundò ſplendor, id eſt Filius, *candor lucis æternæ & figura ſubſtantiæ eius:* vt benè Habac. 3. dicitur, *ſplendor eius vt lux erit, &c.* Tertiò ignis, qui appropriatur Spiritui sãcto, eò quòd ipſe ſit nexus & amor vtriuſque, & Patris & Filij. Hoc Sole diuino omnia certè in rerũ natura progenita ſunt, cuncta in ſuo eſſe eius gratiâ, & virtute conſeruãtur, & denique vniuerſa rerum ab eò patrata moles, regitur gubernaturque.

Trinitas SS. Soli comparatur.

Deinde ſicut Sol ſurſum & deorſum, dextrorſum & ſiniſtrorſum, prorſum & vbique radios ſuos diffundit in vniuerſo, vndique ſuo calore & ſplendore præſens exiſtit: ſic Deus Ter Opt. Max. vndique & vbique præſens, cuncta ſuæ gratiæ & miſericordiæ luce, igneque amoris diuini reſpicit; nam *miſericordia eius ſuper omnia opera eius*, ait Dauid Pſ. 144. & iterùm Pſalm. 30. *Miſericordiâ Domini plena eſt terra, &c.* Eſſe autẽ Deum vbique, teſtatur Dauid Pſal. 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, &c.* Appoſitè etiam nobis accedit ſanctus Gregorius libr. 2. Moral. *Deus,* inquit, *manet intra omnia, ipſe extra omnia, ipſe ſupra omnia, ipſe infra omnia. Superior eſt per potentiam, inferior per ſuſtentationem, interior per ſubtilitatem, exterior per magnitudinem, ſurſum regens, deorſum continens,* extra circumdans, *interiùs penetrans, &c.*

S. Auguſtinus quoque ſerm. de temp. c. 181. Solem Deo Trino, & Vni comperat. *Sol,* inquit, *candor & calor, tria ſunt vocabula, at tria vnum quid: quod enim cãdet, hoc calet; & quod calet, hoc candet; tria hæc vocabula res vna cognoſcitur. Ita Pater, Filius &*

Spiritus

Spiritus ſanctus, tres perſonæ in Deitate vnum ſunt, & indiuidua Trinitas rectè creditur, &c. Et alio loco. *Hieroglyphicè,* inquit, *Sol ſuâ vnitate Deum: ſymbolicè verò ſuâ trinitate SS. Trinitatis myſterium ſignificat.* Item: *Tria,* ait, *ſunt in Sole quæ ſeparari non poſſunt, curſus, ſplendor & calor, &c. diuide ergo, ſi potes, Ariane, Solem, & tum demum diuide Trinitatem, &c.*

Cur Chriſtus dicatur Sol iuſtitia.

Iam videamus cur Chriſtus dicatur Sol. Primam cauſam ſubinnuit D. Auguſt. libr. 2. cont. Fauſtum: Sol eſt, *quia ipſe ſolus colendus eſt: quo ſolo fruens beatus fit cultor eius: & quo ſolo non fruens, omnis mens miſera eſt, qualibet re aliâ fruatur.*

Et ſicut Sol dicitur (vt benè Cicero libr. 2. de nat. Deor.) quia *ſolus* & vnus in mundo eſt, *ſolus* de die aliis ſideribus latitantibus apparet: ſic Chriſtus Sol iuſtitiæ, Sol meritò & eſt & dicitur: quia *ſolus generatur à Patre,* iuxta illud Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te, &c.* Sol eſt, quia *ſolus ſedet ad dextrã Patris.* Sol eſt, quia ipſi ſoli *data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra. Solus Iudex viuorum & mortuorum* venturus. Sol eſt, quia *ſolus ſine viro conceptus & ſolus de Virgine natus eſt. Solus* propriâ virtute à mortuis reſurrexit, & cælos cóſcendit. Sol eſt, quia ſolus Patrem in cælis habet ſine matre, & matrem in terris ſine patre. Sol eſt, quia *ſolus* Pontifex, *qui non habet neceſſe pro ſuis peccatis orare, &c. Solus,* morte ſuâ, mortem noſtram ſuperauit. Sol eſt, quia ipſe mæſtos ſolatur, infirmos ſuæ gratiæ luce roborat, tenebras, & caliginem peccatorum pellit, frigida pectora igni ſui diuini amoris calefacit, mentis noſtræ & ignorantiæ tenebras diſcutit: ſolués quidquid ligatum eſt per peccatũ, diabolum, carnem & mundum. Denique Sol eſt, quia ipſe ſolus *Rex regum, & Dominus dominantium, ſolus ſanctus & altiſſimus in cælo & in terra exiſtens,* &c.

MEMBRVM IV.

De SS. nomine Tetragrãmaton, & Ieſus; deq; litera S. Chriſto ſacrâ: & quadratura circuli myſtica.

NOtum eſt ſacræ linguæ peritis, quod 4. literis, SS. nomen Dei Tetragrãmaton ſcribatur: ſcilicet י *Iod*, duplo *He* ה & ו *Vau*: hoc videlicet modo יהוה. Et licet 4. literæ in hoc SS. nomine videantur, à parte rei tamen non ſunt niſi 3. quia litera ה repetitò, & bis ponitur. Denotare verò videntur tres literæ 3. diuinas hypoſtaſes, in repetita litera *He*, hoc eſt vna diuina eſſentia.

Primò quidem litera י *Iod*, interpretatur, & eſt quaſi principium omnium aliarum literarum, cùm omnes ab ea originem trahant, ipſa vero à nulla, &c. Sicque haud obſcurè primã SS. Trinitatis perſonam, videlicet Patrem denotat, vtpotè qui à nulla alia

Myſtica expoſitio SS. Nominis Tetragrãmaton.

perſona originem trahat; duæ verò reliquæ ab eo diuinam eſſentiam originaliter participent, &c.

Secunda litera ה *He*, quæ quaſi *eſſe*, vel *viuere* ſignificat, Filium & 2. in diuinis Perſonam denotare videtur, ſicut enim hæc à י *Iod* originem ſuam trahit; ſic Filius à Patre generatur; dicitur autem vita, quia ipſe eſt verbum mentis Patris, & *figura* viua *ſubſtantiæ eius*, &c. vtpotè per quem etiam omnia facta ſunt, eſſe, & vitam acceperunt, & *quæ facta ſunt in ipſo vita erant*, &c.

Tertia litera eſt ו *Vau*, tam à י quàm ה eſſe ſuũ trahens, vti conſideráti patebit: nam ſi ex ה dempſeris primam virgulam quæ eſt à ſiniſtris, remanebit & conſurget litera ו vel etiam ר *Reſch*, id eſt, רוח *Ruach*, ſiue *Paracletus, ſpiritus*: litera ו verò nil aliud eſt quàm *nexus* vel *copula*; id eſt, *amor* inter Patrem & Filium, necnon ab vtroque procedens; ſi enim hanc literam biſecaueris, ſuperior pars mox apparebit י ſcilicet litera Patri æterno attributa: ſi autem ei ad ſiniſtram virgulam ſubduxeris ab eius vncino deorſum; literam ה Filio Dei ſacram conflabis.

Geminatur verò ſola hæc iam dicta & ſecunda litera huius SS. nominis Tetragrãmaton, Filio ſacra, ad denotãdum primò, ſolum Filium eſſe ſimul producenté cum Patre, reſpectu Spiritus ſancti, & productum reſpectu Patris: id eſt, quod ipſe ſolus ſit perſona producta & producens, diuerſo reſpectu: id quod neque Patri, neque Spiritui ſancto competit. Secundò quod ſola ſecunda SS. Perſona aſſumpſerit naturam humanam: hoc eſt quòd Sol Chriſtus habeat duas naturas, diuinam à Patre, & humanam à matre, & vel ideò ſecunda litera ה filio attributa in SS. nomine יהוה geminata videtur, &c. Antiqui Hebræi nomen Tetragrãmaton, ſeu quatuor literarum, hoc modo ſcribere ſolent, ſcilicet tribus *Iod*, cum *Camets* infrà,  in vno circulo incluſis & collocatis; quæ res profectò haud eſt abſimilis quadraturæ circuli myſticæ.

Duo quidem videntur inſinuari in hac myſtica circuli quadratura per 3. *Iod.* Primum eſt, quod ſicuti י *Iod* cenſetur principiũ omnium literarum, ita ratio principij ad extrà reſpectu creaturarum, omnibus tribus diuinis Perſonis cenſeatur eſſe communis. Tria ergo י *Iod* denotant diuinas 3. creatrices hypoſtaſes; *Camets* verò eis ſuppoſitum, omnibus tribus communem eſſentiam: Circulus denique cui omnia includuntur, denotare videtur omnes tres eſſe vnũ quid in natura ſimiliter cuncta æterno complexu, & infinitè perfectè in ſeſe omnes perfectiones continere; ſimulque ad extra in cunctis creaturis creandis cõſeruandiſque concurrere, &c. Igitur tria illa י *Iod*, cum *Camets*, quaternarium quidem numerum cõſtituunt in nomine Dei Tetragrammaton, ſed

Quadratura circuli myſtica eſt SS. nomen Tetragrãmaton.

à parte

à parte rei in vnico circulo vnum quid, & vnam rem atque ſubſtantiā denotant. Habes ergo quadraturam myſticam circuli SS. Nominis Dei, non quod quadratura ſit in Trinitate, ſed quod diuina eſſentia velut circulus infinitè perfecta, in tribus diſtinctis perſonis tota & impartibiliter reperiatur, & vnum quid in omnibus tribus dicat, &c.

Alterum arcanum quod videtur per 3. illa *Iod* circulo incluſa notari eſt, quod vti tria dicta *Iod*, ייי omninò ſunt inter ſe æqualia; ſic & 3. diuinæ Perſonæ, æqualis inter ſe etiam omninò cenſeantur perfectionis, potentiæ, maieſtatis & bonitatis, &c. *Camets* verò iiſdem ſubductum, vnicam eorum identicam naturā & eſſentiam denotat. Circulus deniq; eis circumplicatus innuere videtur qualiter vnaquæque Perſonarum videlicet eiuſdem durationis æternitatis, & quælibet earum in qualibet altera, per circūinſeſsionem, vt Theologi loquuntur, ſit.

Denique in hoc SS. nomine Tetragrāmaton יהוה *Iehouah*, tres ſyllabæ iterùm Trinitatem Perſonarum ſignificare videntur: vti enim quælibet trium ſyllabarum denotare videtur quod totum nomen importat: ita & quælibet diuina Perſonarum, totā in ſe continet diuinitatem, neque enim diuina Eſſentia magis in tribus ſimul, quàm in qualibet earum eſſe cenſetur, ita vt diuina Eſſentia ſit tota in totâ SS. Trinitate, & tota in qualibet eiuſdem perſonâ. In quo & anima noſtra rationalis inſignē analogiam cum Deo Trino & vno habere videtur: tres enim licet potentiæ in vna ſint anima, ſcilicet intellectus, voluntas, & memoria; illa tamen in ſe indiuiſa, tota in toto eſt corpore, & tota in qualibet eius parte. Quemadmodum etiam Deus Ter Optim. Max. totus in toto vniuerſo, & totus in qualibet eius parte præſentiſsimus exiſtit, ita anima tota eſt iterùm in toto ſuo corpore & in qualibet eius parte. Et licet Altiſſimus rerū Patrator moderatorque Deus vbique præſens, nullibi abſens ſit, multi tamen prô dolor adeò hodie eum abſentē ſibi imaginantur, quaſi tam remota à nobis eſſet eius præſentia, ac eius viſibilis apparentia. O inepte homo! animam tuam, quam nunquam vides, vel ideò tibi abſentem arbitraris, eo quòd nūquam eam cernas? Quid eſt ergo quod in te ſentis? à quo cenſes prouenire motus intra te tam rationales, quàm vitales, & locales? ſi ergo nulla potentia motrix horum omniū motuum cauſa & origo in te eſt, niſi quam oculis corporeis cernis, nulla in te profectò & anima eſt; eo quòd hæc extra eam nūquam reperiantur: atqui ſentis in te potentias tam vitales quàm rationales; ergo & anima tibi ſemper intimè præſens eſt, licet nunquam eam videas. A ſimili, Dei omnipotentis præſen-

Anima rationalis in quo Deo ſimilis.

præſentiam in toto conclude iam vniuerſo, qui etſi nō videatur, per motus tamen, & gubernationem totius vniuerſi tam ſtupendam & harmonicam, vbique eſſe arguitur.

Deus eiuſque præſentia vbique, aſsimulatur aëri.

Sume magis craſſum exemplum ab aëre: ſicut enim aër oculo corporeo nullatenus quidē cernitur, & tamen omnia vbique intimè penetrat, cuncta, cęteris paribus replet, & in ſe continet, vitam animalis, & hominis cōtinuò per pulmones hauſtus & attractus, conſeruat (illo enim è corpore animalis excluſo, & pulmonibus eum attrahentibus corruptis, illicò & animal intereat neceſſe eſt) ita Deus Ter Opt. Max. etſi oculo corporeo non conſpiciatur, omnia tamē adeò intimè in toto vniuerſo ſuâ diuinâ præſentia & eſſentiâ penetrat, vt magis & infinitè perfectiùs cunctis rebus ſit præſens, quàm anima corpori, aër toti huic viſibili theatro mundi, mare piſcibus, lux Soli, &c. At ſicut aëre ab animalis corpore recedēte animal extinguitur, ita Deo ab anima, per gratiæ ſuæ diuinæ ſubtractionem recedēte, illicò & anima moritur. Hoc expreſsit Dominus per Iſaiam Prophetam, inquiens: *Væ eis, ſi receſſero ab eis, &c.* Recedit verò tunc ſpiritus hic diuinus ab anima tua, quando tui pulmones myſtici, *dilectionis* ſcilicet *Dei*, & *proximi*, in te per putredinem peccati corrumpuntur. Non credis? audi diſcipulum dilectiſsimum Chriſti 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte, &c.* Vides ergo qualiter anima ſubitò pulmonibus dilectionis corruptis extinguatur? è contra quàm inſigniter reſpiret: quamque hunc alacriter ſpiritum hauriat, pulmonibus charitatis incorruptis manentibus, idem S. Apoſtolus eodem loco docet. *Tranſlati ſumus*, inquit, *de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, &c.*

Inſignis conceptus.

Aliam quadraturam circuli myſticam habes in SS. nomine יהשוה *Ieſuah*: ſiue vt alij ſcribunt ישוע in quo vno 4. cernis literas. Eſt autem mirum, Chriſtum Meſsiam hunc mundum piiſsimo ſuo aduentu reparaturum, ex nomine SS. Tetragrammaton יהוה mutaſſe ſecundam tantùm literam, ſcilicet ה in ש; ſeruaſſe verò י *Iod* primam, & ו *Vau* tertiam literam: id quod fortè myſterio non caret, (maximè cùm teſte Euangeliſtâ, hoc SS. nomine *Ieſuah* fuerit vocatus, antequam in vtero Virginali conciperetur.) Nam ſeruauit primam & tertiam literam, Patri ſcilicet, & Spiritui ſancto ſacram, ad denotandum, ſe aſſumendo naturam humanam, & Patris & Spiritus ſancti naturam non quidem mutaſſe, at huius operâ, & obumbratione conceptum; illius verò miſsione & mandato carne noſtrâ veſtitum fuiſſe.

Cur Chriſtus in ſua Natiuitate aſſumpſerit aliud nomen quam Tetragrāmaton.

Cur autem, inquies, mutauit ה in ש iterùm? equidem reor, hoc profectò non abſque myſterio factum eſſe. Nam primò litera ש

Cur litera hebræa ש ſit Chriſto ſacra.

tribus

tribus conſtans ' *Iod* in ſemicirculum quaſi collectis, denotare videtur, opus incarnationis Filij Dei eſſe toti SS. Trinitati in hoc attribuendum, ſcilicet quod Pater fuerit mittens, filius miſſus, & Spiritus ſanctus obumbrator & formator humanitatis Chriſti. Hoc videtur innui Ioannis 8. *Qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, &c.*

Deinde notatu dignũ eſt quod in lingua hebræa ferè omnia epitheta Chriſto tam à ſeipſo, quàm à S.Scriptura attributa, à litera hebræa ש incipiant. Primò enim שמש *Schemes* Solem ſignificat (Chriſtus enim dicitur Sol iuſtitiæ) שחל *Schachal leonem*, ſcilicet *de Tribu Iuda, &c.* שחר *Schachar*, lucem, שביל *Scheuil viam*, שורק *Sorck vitem optimam*, cuius vuæ non habeant acinos, denotat. ſic ipſemet ſe dicit *lucem* apud Ioannem, *viam veritatem, & vitam*: in aliis locis vitem ſe nominat, iuxta illud: *ego ſum vitis, vos palmites, &c.*

Litera (S) etiam apud Latinos, Græcos, & Germanos Chriſto ſacra cenſetur.

Certè & omnia epitheta ferè Chriſto ſacra, etiam in lingua Latina ab (S) litera incipiunt. Vtpotè *Sol* iuſtitiæ, *Sator, Saluator*; & græcũ σωτὴρ, *Soter, Salus, Sanctus, ſapientia* patris, *Solus* Altiſſimus, &c. Quin & Germanica multa epitheta ei attributa ab (S) incipiunt: videlicet *Sohn*, id eſt filius: *Seligmacher*, hoc eſt Saluator: *Sueſſer, Sanftmietiger, &c.* quod idem eſt, ac dulcis & mitis Ieſus.

Quin & Chriſtus Dominus principaliter per 3. perſonas fuit præfiguratus veteris teſtamenti, quorum etiam nomina ab (S) litera incipiunt: videlicet per *Saul*, per *Salomon*, & *Samſon*. Per Saul quidem in montis vertice ſuæ haſtæ ſpontè incumbentem præfigurabatur Chriſtus ſpontè in monte Caluariæ pro ſalute noſtra occumbens. Nam, *oblatus eſt*, inquit Sacrâ Scriptura, *quia ipſe voluit, &c.*

Quomodo Chriſtus fuerit præfiguratus per Saul, Sãſonem, & Salomonem.

Secundò fuit adumbratus per Salomonem, cuius nominis ἐτυμολογία, & interpretatio idem eſt ac *Rex pacificus*. Quis autem magis pacificus cenſeatur, quã Sol Iuſtitiæ in cuius diebus & ortu oriebatur *iuſtitia & abundantia pacis*? Pſ. 71. Quis magis ſapientiſſimo, potentiſſimo, & mirabili Salomone fuiſſet præfiguratus, quàm is, qui eſt *Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis? &c.* Iſaiæ 9. in cuius ortu cæleſtes illi pacis viſionis incolæ lætiſſimè cecinêre: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, bonæ volũtatis*: &c. cuius deniq; occubitum & mortem *Angeli pacis* amaro fletu deplorarunt, Iſaiæ 33. Qui tandem ex hoc mundo ad Patrem migraturus, pacem & charitatem nobis teſtamenti loco reliquit, commendauit & legauit, iuxta illud: *Pacem meam do vobis; pacem relinquo vobis, &c.*

Chriſtus alter Samſon.

Tertiò Sol iuſtitiæ Chriſtus præfigurabatur à fortiſſimo Samſon, & quidem triplici modo. Primò

Digitized by Google

mò enim, ſicut Samſon ſibi vxorem alienigenam, & nō hebræam elegit, vt occaſionem Philiſtijm humiliandi, & vincendi quæreret, hebræoſque ab eorum tyrannide liberaret, &c. Sic verus Samſon (nam שמשון nil aliud quàm Solem lætitiæ ſignificare videtur) Solque verus iuſtitiæ, & lætitiæ nos à tyrannide diaboli & peccati liberaturus in hunc mundum deſcendens non Synagogam Iudæorum, ſed alienigenam ſponſam, ſcilicet Eccleſiam ex gentibus maiori ex parte coadunatam ſibi elegit.

Deinde notum eſt qualiter fortiſsimus Samſon leonem fortiſſimum interfecerit, in interfecti leonis ore verò fauum mellis dulciſsimum repererit, in via eo refectus fuerit, nec non & parentibus ſuis partem attulerit, &c. Iud. 14. Similiter etiam dilectio vt mors fortis, & charitas Chriſtum Leonem de Tribu Iuda interfecit: in cuius mortui ore, id eſt Eccleſiâ (quid enim Eccleſia filios ſuos in via Dei erudiens aliud eſt quàm os myſticum Chriſti?) modò reperitur ab anima deuota fauus mellis dulciſsimorum eloquiorum Dei, ſcilicet Euangelij, & fidei veræ, quibus in hac mortali peregrinatione viator homo paſtus & refectus, ad cæleſtem patriam tendit & pertingit, &c.

Conceptus, quid fauus mellis in ore interfecti à Samſon leonis repertus myſticè ſignificet.

Denique ſicuti Samſon nimio amore Dalilæ captus capillos ſibi abſcindi paſſus eſt: ſic Chriſtus amore exceſsiuo erga ſponſam Eccleſiam ſuam & animam capillos myſticos, rigoroſæ ſcilicet iuſtitiæ ſuæ abſcindi ſibi permiſit, iuxta illud Canticorum 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, &c.*

Et quemadmodum denique Samſon concuſsis fortiter duabus columnis, ipſe quidem occubuit, ſed & Philiſtijm ſimul moriens interfecit: Sic Chriſtus Dominus, concuſsis fortiter duabus columnis animæ & corporis ſub crucis ædificio moriens, omnes etiam inimicos, ſcilicet diabolum, peccatum, & mortem interemit: vt benè Eccleſia cantat: *Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.* Et Oſeæ 13. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morſus tuus ero Inferne, &c.* Ex quibus omnibus patet literam (S) in tribus aut 4. linguis eſſe Chriſto *Soli iuſtitiæ* ſacram.

MEMBRVM V.

Sol etiam Deo comparatur ratione ſuæ naturæ igneæ. Deinde BB. Virgini, Sanctis, & virtutibus. Et de eclipſi myſtica.

Optimè etiā Sol Deo comparari poteſt, ratione ſuæ naturę igneæ. Solem enim eſſe efficaciſsimum,

Solem eſſe formalem ignem.

ciſsimum, realem & formalem ignem, non ſolùm modernorum quorundam artificum ſententia affirmat, verùm & ipſæ obſeruationes, ratioque adeò quidem mihi ſuadent, vt profectò aliter ſentire nequeam: de quibus latiùs vide, quæ in prima parte *tractatu de Sole* diſſeruimus. Sed nihilominus placet ab ipſa etymologia nominis, & ex Patrum ſententiis probare, ſolem videlicet non eminenter calidum, ſed formaliter eſſe ignem, Deum Ter Opt. Max. qui *ignis conſumens* dicitur Deut. 4. & Heb. 12. optimè repræſentantem, &c.

Solis etymō in lingua hebraa.

Itaque Sol hebraicè dicitur שמש *Schemes*, ſeu quaſi שמאש *Schames*, hoc eſt, *ibi ignis eſt*. Sic etiam cæli eò quòd ex aqua conſtare & creati credãtur, hebraicè שמים *Schamaim*, id eſt, *ibi aqua* dicuntur, &c. Suadet & ratio, quia corpus calorem ſimul & lumen à ſe ipſo diffundens ſine igni nullibi reperitur; ergo neque Sol ſine igni eſſe cenſetur. Huic ſententiæ præter plurimas obſeruationes, & experientias, optimè etiam fauere videntur ſacræ literæ, maximè Eccleſ. 43. *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius eſt, ſpecies cæli in viſione gloriæ. Sol in aſpectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus excelſi. In meridiano exurit terram, & in conſpectu ardoris eius, quis poterit ſuſtinere? fornacem cuſtodiens in operibus ardoris: tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens radiis ſuis excæcat oculos. Magnus Dominus qui fecit illum, & in ſermonibus eius feſtinauit iter, &c.* Nota quod Syriaca paraphraſis habeat, *Vapor ab eo* (ſcilicet Sole) *excitatus ſicut vapor ignis, &c.*

Sol quaſi fornax ardens.

Certè graues etiã authores Solem igneę naturę eſſe aſſerunt: vtpotè Ægyptij & alij. Anaxagoras quidem Solem candentem laminam dicebat. Plato in Tim. eum neceſſariò ex igni conſtare debere aſſerebat. Stoici Solem & ſtellas igneas eſſe, paſcique vaporibus ex aqua & terra eleuatis docẽt. Idem ſentiunt Plinius libr. 2. cap 9. (Solem ſcilicet ignem eſſe) item Seneca libr. 7. natural. quæſt. Plutarchus li. 2. de Plac. Philoſophorum. Balbus apud Ciceronem lib. 2. de Nat. Deorum; & alij plures, &c.

Solem eſſe formalem ignem teſtantur graues authores.

Neque SS. Patres ab hâc ſententia ſunt alieni. Nam S. Auguſtinus pluribus in locis cælum & aſtra igneæ naturæ eſſe aſſerit, vt bene notauit Mag. ſent. libr 2 diſt. 14. Enimuerò, libr. 2. de Gen. ad lit. cap. 3. ſupradictus S. Doctor ait: *Itaque ſupra aërem purus ignis etiam dicitur cælum, vnde etiam ſidera, atque luminaria facta coniectant, illius videlicet igneæ lucis in eas formas, quas in cælo cernimus conglobata, diſpoſitáque natura, &c.*

S. Cyrillus Catec. 9. docet, *Aqueũ eſſe cælum, & igneum in eo Solem, &c.* Idem confirmat Theodor. quæſt. 11. in Gen. Venerabilis Beda etiam apertè Solem eſſe ignẽ aſſerit. Idem affirmant S. Ambroſius lib. 2. Hexam. cap. 3. S. Ioan. Chryſoſtomus.

ſtomus hom. 6. in Gen. Procopius in cap. 1. Gen. Lactantius libr. 2. cap. 6. Origenes cap. 48. S. Baſilius homil. 3. & alij adhuc plures, &c. Denique S. Mater Eccleſia ita in Hymno quodam veſp. fer. 4. cantat:

S. Mater Eccleſia ſolem igneum eſſe cantat.

Cæli Deus ſanctiſſime,
Qui lucidum centrum poli
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine.
Quarto die qui flammeam
Solis rotam conſtituens, &c.

Hymnus verò iam dictus, ab Vrbano VIII. Pontifice Opt. Max. ita mutatus eſt.

Cæli Deus ſanctiſſime,
Qui lucidas mundi plagas
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine.
Quarto die qui flammeam
Dum ſolis accendis rotam
Lunæ miniſtras ordinem,
Vagoſque curſus ſiderum.

Et in alio Hymno ita etiam cantat:

Iam Sol recedit igneus:
Tu lux perennis Vnitas,
Noſtris beata Trinitas,
Infunde lumen cordibus.

Qui ergo Solem formalem ſentiunt ignem, rectè cum Eccleſia & SS. Patribus ſentire videntur, &c. Neque etiam deſunt modernorum quidam authores, qui ex maculis & faculis ſolaribus quas continuò, (etſi meo iudicio minùs rectè) per modum fauillarum & facularum in fornace, in diſco ſolari volui, & reuolui cenſent, Solem ignem aſſerere & concludere non dubitant; de qua controuerſia vide quæ in prima parte de ſtellis ſolaribus diximus.

Vt vt ſit, ignis ſit Sol vel nõ ſit, ſaltè probabiliùs affirmatiuè me ſentire cogunt rationes & argumenta à poſteriori & ab effectibus, obſeruationibus & aliis vrgẽtibus cauſis deſumpta, &c. Optimè igitur Sol vt ignis Deo aſsimilatur, qui *ignis conſumens* vocatur à SS. literis, &c. Sicut enim Sol, nimios humores exſiccat, vapores & exhalationes è terra excitat attrahitque: ſic *Sol iuſtitiæ Deus*, humores tã originalis, quàm actualium peccatorum pientiſsimè ſui diuini amoris & miſericordiæ flammis exſiccat: vapores bonorum deſideriorum & propoſitorũ piarumque & cæleſtium in anima cogitationum, exhalationeſque in corde humano excitat: corda & homines ſcilicet ſurſum ad ſe attrahit, eleuatque; ita vt *conuerſatio noſtra* potiùs *in cælo* quàm in terra *ſit*. Vndè dicitur Cant. 1. *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*, &c. Hoc ipſe Sol iuſtitiæ de ſe teſtatur, Ioan. 12. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum, &c.* Conceptus.

Deinde vti calor & ignis Solis, ceram, aliaque multa liquefacit, lutum verò & alia indurat, &c. Sic Deus corda quorundam ad pænitentiã mouet & liquefacit: aliorum verò cum Pharaonis corde ob propriam eorum malitiã permiſsiuè Conceptus.

miſsiuè indurat, &c. Denique ſicuti Sol atomos & puluiſculos ex terra eleuat; ſic Deus hominem inopem & pauperem non deſpicit, ſed ſuâ gratiâ & miſericordia à peccatorũ ſordibus eripit,ſurſumque attollit. Vnde benè Dauid Pſalm. 112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cælo & in terra. Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui, &c.*

Sol comparatur BB. Virgini. Iam Solem etiã poſſe BB. Virgini Solis iuſtitiæ Matri & Genitrici comparari, dubium non eſt. Cùm enim *omne ſimile generet ſibi ſimile*, iuxta placitum philoſophorum; quomodo illa nõ etiam erit Sol, ex quâ & iuſtitiæ nobis Sol ortus eſt? quæ & mundo lucem, ſalutemque genuit, Angelis gaudium & Regem, &c. Vnde optimè Hugo. *Beata Virgo*, inquit, *Soli lucernæ, columnæ & fundamento comparatur. Soli, quia ſicut Sol, toti mundo lucem præſtat, ita BB. Virgo toti Eccleſiæ gratiam præſtat, & impetrat. Tollatur Sol, & miſerabilis erit mũdus. Tollatur BB. Virgo, & miſera erit Eccleſia*, &c. quod & comprobatur Cant. 6. vbi dicitur: *pulchra vt Luna, electa vt Sol*, &c. Nam in ſua natiuitate fuit *quaſi aurora coruſcãs*; in Conceptione Filij Dei *pulchra vt Luna* (concepit enim cœlitùs ſplendorem & candorem Solis iuſtitiæ Dei) *vt Sol electa*, in Natiuitate Chriſti, quia lumen & lucem æternam nobis effudit, &c. Vel fuit vt aurora ante partum, vt Luna in partu, & vt Sol electa poſt partum iam in cælis, &c. Certè S. Dionyſius de Diuin. nom. cap. 4. Solem (quod & B. Virgini applicari poteſt myſticè) Solem inquam dicit D. Dionyſius, ſignificatiuam, expreſſam, & euidentem diuinæ bonitatis imaginem, &c.

Soli poſſunt etiam Sancti aſsimilari. Poteſt etiam Sol ob plurimas analogias Sanctis aſsimilari: primò quòd *iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum*, Matth. 13. Vnde & Tobiæ 13. dicitur animæ ad Deum ſe conuertenti, *luce ſplendidâ fulgebis*, &c. Deinde Solis radiis & ardore totum mundũ calefacientibus, radij & ardor Sanctorum in hac vita verbo & exemplo, in altera verò ſuis ſuffragiis mũdum calefacientium intelligi poſſunt. Tertiò Sol motu ſuo velociſsimo, promptiſsimę Sanctorum voluntatis agilitatẽ in obſequium proximi & voluntatem Dei denotare videtur: ſuâ autem immenſâ à tellure diſtantiâ, conuerſationem SS. continuam in cęlis adumbrare videtur, &c.

Eclypſes myſticæ. Denique per eclypſes ſolares Sanctorum in hac vita tribulationes, perſecutiones & anguſtiæ denotari videntur. Sicut enim Sol à Luna, cui & lumen & calorem ſuum cõmunicat, obſcuratur: Sic iuſti & SS. in hac vita à maleuolis perſecutoribus, detractoribus, & venenatis linguis ſæpiſsimè adeò obſcurantur denigranturque, vt non ſolùm peſsimi credantur ab hominibus, verùm etiam omninò è me-

è medio tollantur. Hoc accidit ipſi Soli iuſtitiæ, dum in patibulo crucis inter iniquos deputatus, morte turpiſsimâ & infinitis opprobriis, à lunaticis Iudæis, affectus & obſcuratus eſt, licet nonniſi charitatis ſui diuini amoris radiis, & lucis limpidiſsimæ doctrinæ venerit eos illuſtraturus. O quot & hodie lunatici peccatores, inſtabiles in fide, vt arũdines vento agitabiles in ſpe; flaccidi & omninò emortui in charitate ad Deũ & dilectione ad proximum, quot inquam lunatici & hodie diuiniſſimum illum Solem iuſtitiæ, ſuis nefandis peccatis, criminibus, & blaſphemiis eclypſant! Vnde ſicuti tempore eclypſis ſolaris mirũ non eſt, ſubitò diem in tenebras denſiſſimas, & in noctem caliginoſam verti: ſic, cùm Sol iuſtitiæ Deus Ter Opt. Max. tot tantiſque peccatis hodie prô dolor à ſordidiſsimo & immundiſsimo mundo eclypſetur; mirum non eſt nobis adeò diuinæ clementiæ, miſericordiæ, & gratiæ ſuæ radios ſubtrahi, vt periculoſiſsimo in huius mundi Oceano nauigantes pacis optatiſsimum portum nobis nunquam etiam appellere liceat, ſed tot miſerrimè tribulationum, anguſtiarum, & deſperationum fluctibus hauſti, æternũ etiam multi intereant. En etenim quid Solem iuſtitiæ, Sanctos, electoſque eius eclypſantibus peccatoribus comminetur Ieremias cap. 17. *Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego: induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos Domine Deus noſter, &c.* O quot hodie eclypſes fiunt contra iuſtos & electos Dei! quot machinationes, proditiones & conſilia iniqua *aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius!* Quid ergo mirum, Solis iuſtitiæ gratiſsimam lucem myſticam gratiæ, miſericordiæ & auxilij nobis totaliter ſubtrahi? Cumque hanc rem & experientia quotidiana teſtetur, & magni & paruuli de ea loquantur, clamitent, conquerantur que amarè valdè, hinc lubens & prudens hîc ſileo, ſileſque intelligenti plus dico quàm calamo loquar, &c.

Multa hodie contingunt eclypſes myſticæ.

MEMBRVM VI.

De maculis ſolaribus Sanctis comparatis.

VErba vti ſolent eſſe conceptuum mentis expreſsio; ita & frequenter creaturæ reſque naturales ſupernorum myſteriorum repræſentatio; vti pàtet ex viſione Danielis, Ezechielis, & aliorũ, &c. Notum eſt autem qualiter in ſolaris maieſtatis facie & diſco frequenter multæ quaſi faculæ, & maculæ conſpiciantur, circa limbum quidem longiores, in medio verò in rotũdiorem figuram contractæ. Et quamuis eiuſmodi maculæ à pleriſque authoribus veræ cenſean-

Maculæ ſolares ſunt vera ſtella.

Digitized by Google

cenſeantur maculæ, & quaſi recrementa à ſolari flamma continuò ſeſe in gyrum reciprocante in extimam eius ſuperficiem proflata: reuera tamen neque maculæ, neque recrementa ſolaris ignis, ſed potiùs lucidiſsimæ ſtellæ & planetæ continuò circa Solem delatæ deprehenduntur. Vide quid in hac materia in prima parte de ſtellis ſolaribus diſſeruimus, & inde cætera conclude.

Sancti & electi comparantur maculis ſolaribus. Qui igitur has ſolares maculas, ſeu potiùs ſtellas continuò ſeſe circa Solem gyrantes, myſticè, & penitiùs conſiderare velit, is per Solis ingentem flammam & globum, Chriſtum Solem iuſtitiæ, ſiue Deum trinum & vnum; per maculas & ſtellas verò quæ nos reſpiciunt, electos & iuſtos huius; per lumina verò & faculas ſiue ſtellas retro corpus ſolare latitantes, & occultatas lucidiſsimas, haud incóngruè Sanctos & electos alterius vitæ & Eccleſiæ triumphantis intelligere & myſticè interpretari poterit.

Sicuti enim ſtellæ illæ in ſe cenſentur corpora opaca proprio lumine deſtituta, reſpectu Solis minutiſsimæ, totum, ab eo lumen ſuum mutuantes & denuò in ipſum reflectentes, areolas lucidiores in diſco ſolari ſuo lumine reflexo efficientes, lumenque ibi quaſi reduplicantes: Ita & electi huius, & alterius vitæ, in ſe, & à ſe nullum lumen iuſtitiæ, charitatis, & bonorum operum habent, ſed corpora opaca cēſentur; quia *puluis & vmbra*, totum lumen ſuum à Sole iuſtitiæ, *omnem hominem venientem in hunc mundum illuminante*, hauriunt. Hoc ipſe teſtatur Ioa. 15. *Sine me*, inquit, *nihil poteſtis facere.* Nullum verò iuſtitiæ lumen ſine Deo eſſe in electis, docet S. Iſaias cap. 64. *Et facti ſumus vt immundus omnes nos; & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ, &c.*

Eſſe verò iam electos huius vitæ reſpectu Solis iuſtitiæ minutiſſimos, habes apud Iſaiam cap. 40. *Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ: qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitādum.* Ex quibus magnitudo ac magnificentia Solis Iuſtitiæ Dei, reſpectu electorum & Sanctorum etiam facilè concluditur. Vnde & Dauid Pſalm. 8. *Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos, &c.*

Deinde ſicut ſtellæ ſolares conceptum à Sole lumen in ipſumet Solem reflectūt, & ita areolas parteſq; lucidiores in ipſo quaſi producunt; ſic Sancti electiq; Deum, à Sole iuſtitiæ illuminati glorificant, laudant, & reciprocis amoris ſpiculis, conceptas eius flammas, in ipſum *Patrem luminum* reflectūt. *Conceptus.* Hoc S. Paulus 1. Corint. 6. innuit, inquiens; *glorificate, & portate Deum in corpore veſtro, &c.* ſed ſicuti ſtellæ ſolares ſuo lumine in diſcum ſolarem reflexo, exiguas areolas in eo producunt: ita laus & glorificatio noſtra exigua eſt reſpectu infinitæ digni-

dignitatis Solis iuſtitiæ. Audi Iſaiã cap. 43. *Glorificãtes* (ſcilicet Deum) *ad quid valebimus? ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua. Terribilis Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius. Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, ſuperualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum quantumcunque poteſtis: maior eſt enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum & narrabit? & quis magnificabit eum ſicuti eſt ab initio? Multa abſcondita ſunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius. Omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit ſapientiam, &c.*

Conceptus. Iam verò Sanctos & electos lucidiſsimas amoris faculas in Deo Sole iuſtitiæ ſuo modo producere, lumenque ab eo receptum in ipſum reflectere & perpetuò à Sole iuſtitiæ irradiari, conſtat Prou. 8. *Ego*, inquit D. Sapientia, *diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me inuenient me, &c. in viis iuſtitiæ ambulo, &c. vt ditem diligentes me, &c.* Et Eccleſ. 24. *Qui operantur in me non peccabunt, qui elucidant me, vitam æternam habebunt, &c.*

Denique ſicuti ſtellæ ſolares Solem per eclipticam cõtinuò comitantur, neque vnquam ab eo dimouentur; ita Sancti in terris ſequuntur Solis iuſtitiæ viam vitamque, nunquam ab obſeruantia mandatorum eius recedentes. Hinc & meritò Chriſtum ſequentur in cælis: nam *qui ſequitur me*, inquit, *habebit lumen vitæ.* Et Ioan. 12. *Si quis mihi miniſtrat me ſequatur, & vbi ego ſum illic & miniſter meus erit, &c.*

Denique ſtellis ſolaribus continuò Solem per eclipticam comitantibus optimè SS. Martyres, Innocentes, & Virgines vtriuſque ſexus in cælis Agnum perpetuò ſequentes aſsimilari poſſunt. Vnde Apocal. 14. de eis ſic loquitur Spiritus ſanctus: *Hi ſequũtur Agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno: & in ore eorum non eſt inuentum mendacium: ſine macula enim sũt ante thronum Dei*, &c. Sicuti ſtellæ ſolares ea quâ Solem reſpiciunt parte, &c. *Virgines in cælis ſimiles ſtellis ſolaribus.*

O feliciſsimas ſtellas, & maculas Solis iuſtitiæ! ô, inquam, ter quaterque beatos Sanctos & electos in hoc ſæculo *opprobrium hominum & abiectio plebis*, inque *deriſum* omnibus quaſi maculæ, & peripſemata vſque huc factos! Lætamini cùm velut maculas, & peripſemata vos perſequitur tractatque hîc mundus; gaudete inquam, Solem iuſtitiæ ſecuti, *quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis, &c.* Si enim mundus hic immundus ipſum Solem iuſtitiæ adeò eclipſauit, & *Beelzebub* iniquiſsimè vocauit; *quãtò magis domeſticos eius?* Lætamini, faculæ enim veſtræ ſufferentiæ & bonorum operum, per fructum patientiæ in Solem iuſtitiæ reflexæ, copioſæ erunt in cælis. Inſtat enim tempus, quo breuî è cœcorum mortalium & peccato- *Adhortatio ad electos, & oppreſſos in hoc mundo.*

rum

rum hallucinãtium oculis, omnia veſtra opera bona peruerſis ſuis linguis & conſiliis in reprobum ſenſum vertentium, ad inacceſſibilem lucem abripiemini: & tum nos non ampliùs maculas, ſed lucidiſsimas faculas, & ſtellas agnoſcent cernentq́ue; ſeipſos verò ita intra ſe arguentes: *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam* (& meram maculam) *& finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei,* (ſcilicet ex maculis lucidiſsimæ ſtellæ, & faculæ cæli) *& inter Sanctos ſors illorum eſt: ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis, &c.*

Conceptus. Denique vti ſtellæ ſolares, apparenter quidem maculæ & excrementa Solis videntur, facie verò Soli obuerſâ efficaciſsimè irradiatæ ſunt à Sole, lumen ab eo receptum in illũmet reflectentes; ſic plurimi electi & iuſti in hoc mundo iudicantur æſtimanturq́; mali & maculoſi, etſi coram Deo lumine diuini amoris, & gratiarum radiis ac flammis vehementiſsimè intus, quâ Solem iuſtitiæ reſpiciunt facie, irradiati ardeant, luceantq́ue.

Pars II.

ANAGOGE III.

De Luna & vario fluxu & refluxu maris myſtico.

MEMBRVM I.

BB. Virgo Luna myſtica.

LVna, quaſi *lucens vna* noctu, ſiue *lucena*, hoc eſt, *lucens luce alienâ* (id eſt Solis) vocata, noctis harumq́ue inferiorum rerum rectrix ab antiquis dicta & credita fuit; & vel ideò etiam à quibuſdam Poëtis *Phœbe*, ſeu *Phœbi ſoror* appellata, & habita eſt. Solet verò Luna lumen ſuum mutuare à Sole, iam quidem falcata, tum ſemiplena, & plena apparens; deinde iterùm decreſcere, & facie, quam telluri obuertit lumine orbari; vnâ tamen eius parte & medietate perpetuò à lumine Solis irradiatâ permanente. Denique Luna ſuo à Sole concepto calore proximum ſibi circumfuſum aërem in plenilunis rareſaciendo, ſitiente facie verò eundem condenſando; aërem etiã telluris rarefaciens, ſtringens, & condenſans, fluxum & refluxum Oceani probabiliſsimè, in noſtra ſententia, cauſat; mareq́ue in nouiluniis deorſum diſpellit, trudit, & vtrimque retrocedere rarefactione cogit: in nouiluniis verò condenſatione ſurſum prolectat: quâ de re & noua ſententia

Luna etymon.

Vera cauſa fluxus & refluxus maris.

D d plura

plura vide in prima Parte de fluxu & refluxu maris, cuius & figuram reperies in lamina G. numero 3.

BB. Virgo comparatur Lunæ. Certè diua illa & ſanctiſsima Lucina BB. Virgo Maria, Lunæ haud ineptè, cęteris paribus, comparari poteſt. Sicut enim Luna totum lumen ſuum à Sole hauſtum, ambulantibus noctu in tenebris communicat, totamque caliginoſam tellurem illuſtrat: ſic BB. Virgo conceptum in ſe *candorem Lucis æternæ*, Verbum ſcilicet Patris, mundo peccatorum tenebris adeò obducto & obſcurato, enixa eſt; communicans eidem lumen ſolis, id eſt, Dei Filium, *omnem hominem venientem in hunc mundum illuſtraturum.*

Plenilunium myſticum in BB. Virg. Plena item hæc SS. Luna fuit; primò quando filium Dei conceptura ab Angelo *gratiâ plena* fuit ſalutata. Plena, quando à Spiritu ſancto obũbrata, eum vtero concepit, & 9. menſibus geſtauit, qui non ſolùm cælum & terram implet, verùm quem neque ipſi capere ſufficiunt. Plena iterùm iam in cęleſti gloria, plenitudine viſionis beatificæ, ſuper omnem creaturam oppleta. Plena denique erga nos miſellos terricolas, miſericordiâ, pietate, & ſolicitudine. Vnde benè D. Bern. *Per te*, inquit, *Virgo ſancta, cælum impletum eſt, infernus euacuatus; inſtauratæ ruinæ cæleſtis Ieruſalem, miſeris expectantibus perdita vita data, &c.* Et iterùm in quodam ſermone idem S. Doctor ait: *Ille ſolus, ô Virgo beata, tuas laudes ſileat, qui te fideliter inuocatam ſenſerit vnquam in ſuis neceſſitatibus ſibi defuiſſe.* Quàm verò iam plena ſit lumine diuini amoris & gratiæ, teſtatur D. Hieronymus in ſerm. his verbis. *Totam repleuerat eam Spiritus ſancti gratia: totam incenderat eam diuinus amor: ita vt etiam in ea nihil eſſet mundanum, quod violaret affectum, ſed amor continuus, & ebrietas profuſi amoris, &c.*

Luna, teſte Plinio, eſt humilis & excelſa: humilis quando terræ vicinior in perigæo accedit, alta, dum in apogæo cælo maximè admouetur: ſic BB. Virgo omnium mortalium humillima fuit; adeò vt ſuâ humilitate ipſum altiſsimum cæli verticem conſcendens, apicemque ſummam Petram attingens, nobis de cælo & ſinu Patris lucem inacceſsibilem deduxerit, haud aliter, quàm Luna ſolet telluri lumen à Sole mutuatum, &c. Fuiſſe verò B. Virginem maximè humilem, & tum altiſsimam, ipſamet teſtatur Lucæ 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, &c.* adeò, inquam, ſublimata hæc SS. Luna myſtica eſt, vt modò in apogæo cæleſti exiſtens, ſuper omnes choros etiam Angelorum in immenſum exaltata cenſeatur. Vnde cantat Eccleſia: *Exaltata eſt S. Dei Genitrix ſuper choros Angelorum, &c.* Et S. Hieronymus ita de eius ſublimitate in ſermon. loquitur: *Sicut in comparatione Dei*

Dei nemo bonus: ita etiam in comparatione Matris Domini, nulla inuenitur (creatura) *perfecta, quamuis eximia virtutibus comprobetur.*

Quomodo BB. Virgo myſticè corniculata. Luna propiùs ad Solem accidens fit corniculata & falcata. Sic BB. Virgo Maria propiùs ad Solem iuſtitiæ per eius cõceptionem accedens, effecta eſt quaſi corniculata & falcata; dum ſcilicet verum Deum & hominem in SS. vtero ſuo baiulauit, quibus beſtia illa infernalis, diabolus, & taurus ſilueſter, mors, deuicti ſuperatiq́ue corruerunt. Quidni corniculata & falcata eſſet hæc SS. myſtica Luna; cùm dæmonibus ſit *terribilis, vt caſtrorum acies ordinata?* Falcata, inquam, vtpotè quæ falce ſui SS. fructus quidquid Euæ concupiſcẽtia in paradiſo voluptatis plantauit, hæc præſcidit. Vnde benè cantat Eccleſia. *Quod Eua triſtis abſtulit, tu reddis almo germine, &c.* Et S. Auguſtinus in ſermone de Aſſumptione. *Auctrix*, inquit, *peccati Eua: auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit: illa percuſſit, iſta ſanauit, &c.*

Alio etiam modo corniculata cenſeri poteſt hæc BB. Luna myſtica, quia cornubus duobus, ſcilicet humilitatis, & virginitatis, Leonẽ de Tribu Iuda, ſcilicet Deũ, alioquin *terribilem in conſiliis ſuper filios hominum*, quaſi mitigauit; dum *Conceptus.* eum virginali gremio ſuo concepit: haud aliter ac rhinocerotes virginum ſe gremio ſpontè immittẽtes, manſueſieri dicũtur, &c.

Deinde ſicuti Luna quandoque obuelat abſcõditq́ue Solem; ſic BB. Virgo Solem iuſtitiæ 9. menſibus in ſuo SS. vtero quaſi obuelauit & abſconditũ geſtauit: & modò in cælis ſæpiùs obtegit, ſuâ ſcilicet piiſsimâ interceſsione iratam nobis faciem Dei abſcondendo: id quod tempore BB. Dominici & Franciſci apertè demonſtrauit; dum filium ſuum dilectiſſimum in mundum tribus telis & fulminibus animaduertere parantem, ſuis precibus piiſsimè auertit. Vnde benè S. Bernardus quodam ſerm. *Quid mirum ſi inuocata* (Maria) *adeſt, quæ etiam non vocata præſtò eſt.* Et denique Caſsianus in quadam epiſtola. *Tu Patrona*, inquit, *humani generis; tu afflictis rebus medica ſingularis: quis tuo non egeat munere, cùm ſit peccare commune?*

Denique etiam Eccleſia optimè poteſt aſsimilari lunæ. Vnde *Eccleſia Lunæ comparatur.* Rabanus: *Luna*, inquit, *eſt Eccleſia quæ à Chriſto, quaſi à Sole mutuatum lumen fidei, & gratiæ recipit; quæ modò perſecutionibus videtur imminui, iterumq́ue tranquillitate receptâ, clariſſimi luminis hilaritate completur, &c. Ipſa ſanè eſt vas caſtrorum in excelſis: in firmamento cæli reſplendens glorioſè: quia in ipſa animarum fidelium conſiſtit turba.* Poteris etiam Lunæ comparare quamlibet animã Deo deuotam, modò lumine gratiæ creſcentem, tum denuò tribulationum tenebris obuolutam; falcatam fide, quâ errores præſcinduntur; corniculatam ſpe & charitate, ſiue dilectio-

lectione Dei & proximi, quibus infernales rhinocerotes, mundum & carnem edomat, &c.

MEMBRVM II.

De fluxu & refluxu maris myſtico.

DIximus ſuprà Lunam rarefaciendo in pleniluniis, & in nouiluniis cōdenſando aërem, eſſe cauſā fluxus & refluxus maris: & quidem luminis eius calore aquas marinas hinc inde diſpelli & refluere, luminis verò ſubtractione eundem condenſando, illud ſurſum prolectare & attrahere: Id quod optimè Chriſto, omnia ad ſe trahentis, applicari poteſt. Ipſe enim in plenilunio (ſcilicet, dū à myſtica Luna, gratiâ plenâ, vtero geſtaretur, & tanquam ſpōſus de thalamo ſuo progrederetur in mundum, ſuæ diuinæ gratiæ radios copioſiſsimè effundens) mare peccati & mortis æternæ ita compreſsit & rarefecit, vt refluere & ad nihilū quaſi redire coactū fuerit. Vnde benè cantat Eccleſia. *Qui mortem noſtram moriēdo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit, &c.* Et Iſa. 53. *Ipſe peccata multorum tulit, &c.* Et iterùm per condenſationem, id eſt, tribulationes, anguſtias, & pœnitentias, cogit cordium & animæ noſtræ Oceanum (infinitis alias & omnis generis affectuū piſcibus refertum) ſurſum aſcendere; vt benè Eccleſia cantet: *Surſum corda, habemus ad Dominum, &c.* Alio modò tum per ſubtractionem conſolationū ſpiritalium, deſiderio & affectu animam ſibi attrahit, tum per ampliationem ſolatiorum internorum, cor noſtrum ſurſum prolectat, & iterū inſigniter in via ſuorum mādatorum fluere, & refluere cogit: vnde Dauid Pſal. 8. *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilataſti cor meum, &c.* Qualiter verò Chriſtus omnia ſurſum trahat ipſe teſtatur: *Cùm exaltatus fuero* (ſuper horizontem ſcilicet crucis) *omnia traham ad me ipſum*, Ioan. 12. & iterùm: *nemo venit ad me niſi Pater traxerit illum*, Ioann. 6. &c. Hinc & ſponſa Eccleſia aut anima optat cantatque: *Trahe me poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum, &c.* Cant. 1.

Chriſtus cauſa refluxus myſtica peccati & mortis.

Iam verò iterùm alio modo iuſti inſtar Oceani in hac vita ab iniuſtis agitantur, modò quidem per rarefactionem (dicere volo per attenuationem eorum boni nominis, famæ & honoris, &c.) modò per condenſationem, id eſt, per tribulationes, perſecutiones, machinationes, carceres, flagella & exilia eos vſque ad mortem premendo: ita vt inſtar maris nullibi quaſi ſtabiles conſiſtere & quieſcere queant, ſed continuò inter ſpem & metum fluere & refluere cogantur. Audi Apoſtolum 1. Corinth. 4. quàm inſigniter hunc myſticum fluxum & refluxum electo-

Alius fluxus & refluxus myſticus.

electorum Dei in hâc vita ab impiis cauſatum deſcribat. *Puto enim,* inquit, *quòd Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit tanquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus* (en fluxum & refluxum myſticum Sanctorum in hâc vita?) *& laboramus manibus noſtris: maledicimur, & benedicimus* (ecce pulſum maledictionis mariſque fluxum ab impiis factum eiuſque ſpontaneum refluxum & benedictionis, à iuſtis impiis repoſitum) *perſecutionem patimur & ſuſtinemus; blaſphemamur & obſecramur: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc, &c.*

David fluxum & refluxum maris myſticum paſſus à Saul & Abſolon.

Vis exemplum, qualiter ſcilicet iuſti ab iniuſtis in hâc vita perſecutionum fluxibus & refluxibus pellantur, repellânturque? Prodeat vaſtiſsimus Oceanus myſticus, ſcilicet Dauid: & dicat quales pulſus & repulſus ipſe ab impio & lunatico Saul, quin & à proprio filio Abſalon paſſus ſit; quoties à facie eorum declinare, quoties abſcondere ſe, quàm frequenter relictis omnibus in latibula ſe proripere coactus fuerit. Sed quanto putas impetu hoc Deo gratiſsimũ mare Dauidicum refluxit, dum recedẽte lunatico Rege Saul, Dauid in regnum & locum eius à Deo ſufficitur: & Abſalon impio filio cælum inter & terram diuinâ iuſtitiâ fixo & ſuſpenſo; pater innocentiſſimus ſecurus ad propria refluit, remeatque?

Alius fluxus & refluxus myſticus.

Sic & iuſti fluunt ab ortu ſuæ natiuitatis, mox ad occaſum abnegationis propriæ voluntatis, abrenuntiationis mũdi, & deliciarum harum; & ab occaſu tribulationum, mortificationum, & mortis temporalis, denuò ad ortum æternæ felicitatis & beatitudinis refluunt. Hoc abundè teſtatur Apoſtolus 2. Corint. 4. *Propter quod,* ait, *non deficimus: ſed licet is qui foris eſt, noſter homo corrumpatur:* (ecce fluxum) *tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem* (en refluxum.) *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur* (fluxus ſcilicet huius ſæculi) *ſed quæ non videntur* (refluxus nempè æternæ gloriæ.) *Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur æterna, &c.*

Fluxus & refluxus myſticus impiorum.

Deinde & impij inſtar fluxus & refluxus maris ſe habent: iam enim fluunt à ſuperbia in auaritiam, ab auaritia ad inuidiam, ab hac in iracundiam & rabiem; à rabie in gulam, à gula in vniuerſum denique cœnum luxurię à luxuria in acediam, & omne vitiorum genus, &c. Sed his fluxubus ad modicum durantibus mox ad occaſum æterni interitûs refluũt. Vnde

Vnde Iob 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt,* &c.

Alio adhuc modo impij inſtar oceani continuò agitantur, fluunt, & refluunt; dum nempè in nullo ſunt opere ſtabiles, ſed continuis malæ conſciẽtiæ fluctibus agitantur, anguſtiãtur, & pelluntur. Hinc optimè loquitur S. Scriptura, Prouerb. 11. *Impius,* inquit, *facit opus inſtabile.* Et Iſaiæ 48. *Non eſt pax impiis dicit Dominus.* Sed omnium optimè Scriptura Iob cap. 20. fluxum breuiſsimum deliciarum, & refluxum infinibilem miſeriarum impiorum deſcribit. *Hoc,* inquit, *ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius & caput eius nubes tetigerit,* (hem fluxum immanè impiorum!) *quaſi ſterquilinium in fine perdetur* (ô miſerabilem refluxum!) *& qui eum viderant, dicent; vbi eſt? Velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna. Oculus qui eum viderat non videbit, neque vltra intuebitur eum locus ſuus, &c. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus. Diuitias quas deuorauit euomet* (ô fluxum deteſtabilem!) *& de ventre eius extrahet eas Deus* (ô refluxum horribilem.) *Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ* (*non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri*) *luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur,* (ô fluxum & refluxum admirandum, & à paucißimis hodie ponderatum, licet ipſo, prô dolor, effectu indies in mundo tam euidenter demonſtratum!) *iuxta multitudinem adinuentionum ſuarum, ſic & ſuſtinebit. Quoniam confringens nudauit pauperes: domum rapuit, & non ædificauit eam, &c. Vadent & venient ſuper eum horribiles* (ô iterùm fluxum & refluxum formidandum omnibus impiis!) *Omnes tenebræ abſconditæ ſunt in occultis eius: deuorabit eum ignis qui non ſuccenditur, affligetur relictus in tabernaculo ſuo. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra conſurget aduerſus eum. Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei. Hæc eſt pars* (fluxus & refluxus ſcilicet) *hominis impij à Deo; & hæreditas verborum eius Domino.* In ſumma impius, etſi in hâc vitâ mirè fluere, imò omnibus etiam affluere, & vndique diffluere videatur; tandem tamen refluit. Vbi, vel quomodo? *Quia in diem perditionis ſeruatur malus* (quando ſcilicet omnia ſua mala opera in die iudicij ei in memoriam refluent, &c.) *& ad diem furoris ducetur,* &c. ſcilicet dum refluent in mare nigrum & occidentale æterni occaſûs.

Denique anima, vel homo modò benè, modò iterùm peruersè agens viuenſque haud etiam incongruè fluxui & refluxui Oceani comparari poſſet; iuxta illud ſacræ Scripturæ. *Quouſque claudicatis in vtramque partem?* &c. Iterùm homo in fide vera, & in conſiliis inſtabilis, ſimilis videtur mari & Oceano, modò fluenti, & iterùm refluenti. *Anima fluxus & refluxus.*

Quid

Quid dicam ? omnes quaſi nos mortales aio pauperes eſſe & inſtabiles; vtpotè qui modò ſumus conſolati, modò iterùm afflicti; nũc vt cedri libani exaltati,& æſtimati; tunc denuò vſque ad hyſopũ & iuniperũ humiliati, deſpecti, & depreſsi: iam diuites,paulò pòſt pauperes,& inopes:modò ſani,lęti & robuſti; tũ ægri,mæſti, deſolati & deiecti; denique hodie viui, cras mortui,&c. O quot veſcuntur hodie cum diuite epulone voluptuosè;quot purpurâ & byſſo indũti,in conopeis deliciarum harum ſeſe totaliter inuoluẽtes, cras cum eo, & Holoferne ſepelientur in inferno! ô miſeriam vitæ noſtræ continuò ad occaſum ſummo conatu fluentis! *ô vanitas vanitatum & omnia vanitas* ! Fluunt horæ, labuntur dies, tranſeunt menſes, abeunt anni & luſtra; refluit, iam iamque præ foribus eſt ineuitabilis, immenſusq; æternitatis vaſtiſsimus pelagus,& vix eſt, *qui recogitet corde*. Certò ſcias credaſque quiſquis es, & hæc legis; niſi per dignos refluxus pœnitentiæ, malè defluentem vitam emendaueris, & quaſi *omnes tuos annos* Deo *recogitaueris in amaritudine animæ tuæ*: te inopinatè ab illo immani Oceano æternitatis, vſque ad viſcera terræ & inferni forſan hauſtum iri. Nam *ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis*, Luc. 13.

Tempus comparatur fluxui & refluxui maris.

Poteſt denique etiam tempus labile & inſtabiliſsimum fluxui & refluxui maris comparari : ſicut enim mare perpetuò agitatur, fluit & refluit, nunquam tamen omninò recedit, ita tempus tranſit in præteritum, præſens ſemper eſt, & futurum quaſi refluit. Similiter & cuncta quæ ſub Sole eſſe, viuere & ſentire acceperunt, in cõtinuo fluxu, & refluxu eſſe cenſentur, neque tamen vnquã, quoad ſpecies ſuas, eſſe deſinunt. *Generatio enim præterit & generatio aduenit*, &c. ſicut vnda vndam in mari pellit & ſequitur, ita & res ſubſolares continuâ viciſsitudine mutantur, &c. *Ecce enim* (inquit Eccleſiaſtes cap. 1.) *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat : ad loca vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterùm fluant. Cuncta res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone. Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. Quid eſt quod fecit ? ipſum quod futurũ eſt. Quid eſt quod factum eſt ? ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub Sole nouũ* (intellige in ſuo genere & ſpecie) *nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recẽs eſt: iam enim præceſsit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos, &c.* Quid multa ? *Cuncta ſubiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum: de terrâ facta ſunt, & in terrã pariter reuertuntur*, Eccleſ. 3. Et tamen ita ſuperbit, ita viuit, ita denique fluit moriturque fluxibilis homo, quaſi ęternâ hîc ſtabilitate ei foret viuendum. O Deus! quàm mirandi execrãdique in hoc vaſtiſsimo Oceano mundano cõtingunt hodie fluxus & refluxus ? pellitur enim pauper, opprimuntur viduæ, pupillis vix inuenitur adiutor. Et licet

Conceptus.

licet *pauper læſus taceat* modò, vt dicitur Eccli. 13. tanto tamen ſtridore & ſonitu eiuſmodi iniuſtiſsimi fluxus & refluxus (dicere volo, pauperum, pupillorum, & viduarum oppreſsiones, iniuſtitiæ, & peccatorũ vndę, &c.) perſtrepunt; ita vt etiam eorum ſonus, mercenariorumque defraudatorum, pupillorum ac viduarum clamor, *in aures Domini Sabaoth introeat*: & quid mirum ſi ipſe Altiſsimus, *cui Soli derelictus eſt pauper, propter miſeriam & gemitum pauperum nunc exurgat* tantâ indignatione contra ſæculum hoc noſtrum; ita vt infinitis miſeriis, bellis, & turbationibus immerſus; ingenti fluxu, adeò in mari tribulationum, modò hinc inde fluctuet; vt niſi ſupremus Nauarchus Ter Optim. Maximus tandem clemẽter ſuppetias ferat, neceſſariò & breuî omninò pereundum fortè ſit. Neque hoc adeò mirandum eſt; cùm enim venti vanitatum & notus auſtrinus venenoſiſsimus, impetuoſiſsimusq; peccatorũ fumus ac nebulæ adeò præualuerint in huius mundi Oceano; & è contra Orientalis ſaluberrimus Spiritus, illius ſcilicet *Orientis ex alto*, dilectio, inquam, Dei & proximi omninò quaſi ſubſederit, quin & expirauerit; neceſſe eſt aut hunc denuò reſuſcitari, aut certè mundum perire.

Conceptus.

Dormire videtur reuera iuſtè modò Dominus, in hac maxima horrendaque tempeſtate, vndique in mundi Oceano præualẽte; quia & mundus in vtramque aurem ſtertit, vtpotè oblitus *dilectionis Dei & proximi*. Ita enim modò agitur in hâc rerũ vmbra; vt quilibet ſibi, fluxibili carni, & mundo; nemo verò, aut pauci, Deo, virtutibus, & ſaluti ſtudeant; adeoque veriſsimum eſſe deprehẽditur dictum Eccleſiaſtis cap. 13. *Diues iniuſtè egit, & fremet* (ſcilicet non obſtante quòd peſsimè agat, & caſtigationem condignam mereatur peccatis ſuis, tamen perpetuò, de tot malis modò à Deo mũdo immiſsis conqueri, & murmurare non dubitat, etſi Deum placare & vitam ſuã emendare nunquam cogitet.) *Pauper autem læſus tacebit* (omnia volũtati Dei & vltionum Domino commendans.) *Si largitus fueris* (Diues) *aſſumet te: & ſi non habueris derelinquet te. Si habes, conueniet tecum* (nam donec fueris felix multos numerabis amicos, &c.) *& euacuabit te, & ipſe non dolebit ſuper te. Si neceſſarius illi fueris, ſupplantabit te, & ſubridens ſpem dabit, narrans tibi bona, & dicet: quid opus eſt tibi? Et confundet te in cibis ſuis donec te exinaniat bis, aut ter: & in nouiſsimo deridebit te: & poſteà videns derelinquet te, & caput ſuum mouebit ad te, &c.* Talis profectò modò eſt curſus, fluxus & refluxus praxis mundi huius, quę & probabilis videtur eſſe cauſa quod tot calamitatũ & lachrymarum fluctibus modò ſub Sole mundus vndique fluctuet redundetque, neque vnquam tranquillitas paciſque ſerenitas ei oriatur; eo quòd

Nota tu diligenter.

eo quòd iuſtitia, dilectio Dei & proximi quaſi omninò & continuò ad occiduum horizontẽ properent, occidant, & vix ampliùs reoriri videantur. *Ne igitur dederis* (obſecro munde immunde) *os tuum, vt peccare facias carnem tuam: neque dicas coram angelo*: Non eſt prouidentia: (eò quòd Deus tui totaliter quaſi videatùr oblitus, &c.) *ne fortè iratus Deus contra ſermones tuos diſſipet cuncta opera manuũ tuarum*, Eccleſ. 5. Sed potiùs emendare ſtudeas, cohibereque tumentes peccatorum tuorum fluctus. *Patiens eſto. Ecce* enim, *iudex ante ianuam aſſiſtit. Sufferentiam Iob audito*, & cum eo vitam tuam componito, & finem *Domini videbis, quoniam miſericors eſt, & miſerator, &c.* Iacob 5. Sic enim fiet vt luctus & fluxus miſeriarum tuarum ſit omninò conuertendus tandem in pacem & gaudium per neminem ampliùs à te auferendum.

ANAGOGE IV.

De Lucifero myſtico.

MEMBRVM I.

Chriſtus Dominus comparatur Lucifero ſeu ſtella Veneris.

VAriè Veneris ſtella lucidiſſima nominatur pro varietate ſuæ cum Sole cõfigurationis: iam enim Lucifer (*quaſi lucis allator, prænuntius, annunciator, aut prodromus*) tum Heſperus (*quaſi veſperi poſt Solis occaſum adhuc lucens*) vocitatur. Vnde Ouidius Metam. lib. 8.

Retegens diem, noctiſque fugans
tempora Lucifer, &c.

Prærogatiuæ ſtellæ Veneris.

Habet prætereà Lucifer multas prærogatiuas. Primò enim nunquam exſpatiatur à Sole vltra 49. gradus. Secundò non terram habet centrum, ſed perpetuò circa Solem fertur voluiturque. Tertiò ante Solis exortum eſt eius certiſſimus mox orituri prænuntius. Quartò quandoque falcatus, corniculatus, & gibboſus apparet. Quintò totam ſuam gratiſsimam lucem non ſuaptè habet naturâ, ſed à Sole Rege Planetarum & vagi ſyſtematis principe mutuat. Sextò deniq; dicitur Lucifer ſtella valdè benefica, fortunata & bona, &c.

Certè ſi Luciferum illum qui neſcit occaſum, ſcilicet Chriſtum benedictum conſideremus, eum myſticum, imò verum Luciferum eſſe optimè deprehenſuri ſumus. Primò enim ſicut ſtella Veneris totum ſuum lumẽ à Sole mutuat; & ad certas metas ab eo expatiatur; Sic Chriſtus, quâ Deus, totum ſuum diuinitatis lumen à Patre æterno participat: cùm ipſe ſit *candor lucis æternæ, figura & imago ſubſtantiæ eius*. Expatiabatur autem hic SS. Lucifer (ſi cætera paria & ſano modo intelligas) dum

Chriſtus eſt verus Lucifer.

ſuo modo, à Patre ſcilicet, vt verus prænuntius lucis, ſalutiſque noſtræ æternæ vetus Lucifer huic mundo ortus, omnem in mundo venientem hominem illuſtraturus, luce, aduentu, & radiis ſuæ D. gratiæ illuſtrauit. Certè Chriſtus Lucifer ille diuinus, verus fuit, & eſt prænuntius æterni Solis, viſionis ſcilicet beatificæ nobis poſt huius vitæ occaſum oriundi, &c.

Deinde ſicuti ſtella Veneris labente Sole, poſtque eius occaſum, efficaciter adhuc ſplendet, ſoletque eſſe prænuntius noctis: Sic Chriſtus labente die ſæculi huius, & motum ſuum cohibente Sole noſtro, ſiue Sole Eccleſiæ militantis iam ad finem & horizõtem occiduum perducto, Chriſtus Lucifer fulgidiſsimâ luce in die Iudicij ſplendebit, Maieſtate multâ & magnâ nimis appariturus, impiiſque perpetuæ ſuperuenturæ noctis, & priuationis Solis iuſtitiæ æternùm eis non ampliùs orituri, prænuntius futurus eſt. *O quantus tremor tunc eſt venturus quando iudex eſt venturus cuncta ſtrictè diſcuſſurus!* Denique Lucifer Chriſtus falcatus apparebit, ſcilicet falce iuſtitiæ in die iudicij iudicaturus viuos atque mortuos. Hoc teſtatur S. Ioannes Apocal. 14. *Et vidi*, inquit, *& ecce nubem candidam: & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam, &c.* Quid verò, ô peccator, tunc de te futurum cenſes qui falce ſalutaris pœnitentiæ hîc nunquam vineam conſcientiæ tuæ, tot damnoſis peccatorum ſurculis ſcatentem ſeriò putas? putáſne te imputatum relinquendum fore à falcifero illo, tremendoque iudice viuorum atque mortuorum; dum ſcilicet in ſede maieſtatis ſuæ mundum, te, me, & omnes iudicaturus, venturus eſt? credíſne Chriſtum tam humilem, tam vilem, (vt eum tibi modò forſan imaginaris, raro de eius tunc futura maieſtate cogitans) tamque pauperem, venturum, prout dum nobiſcum conuerſaretur, apparuit? heu deciperis! ita enim ſolemnizabit ſuum aduentum ſecundum, vt montes à tremenda facie eius, teſte Dauid, defluxuri ſint *velut cera à facie ignis*: & terra à conſpectu eius ingenti boatu, & mugitu, quaſi loci ſui, & ſcelerum ſupra dorſum ſuum à nefandis peccatoribus commiſſorum impatiens, vltrix & accuſatrix, Chriſto iuſtiſsimo Iudici quaſi obuiam itura, mouenda ſit. O peccator! quid de te obſecro innumeris peccatis, offenſis & ſceleribus onerato futurum cẽſes, quando propriè propter vindictam, Chriſtus venturus, & te iudicaturus, ęternaq; maledictione ſententiaturus eſt? Nam ſi iuſtus in illa die vix ſecurus erit, tu omnipotentis

Lucifer Chriſtus quando falcatus videndus.

Notēt omnes operantes iniquitatem.

tentis Dei tam execrandus offenſor, diuinæ clementiæ tam leuis contemptor, diuini furoris & iræ tam frequens prouocator: ſanguinis eius pretioſiſsimi pro te effuſi tam prodigus dilapidator, vbi parebis? quid ages? quis cauſā tuam ibi defēſurus eſt Sanctorum, quorum hîc nullum colis? quis pro te diuinæ iuſtitiæ ſatisfacturus qui hîc non ſolùm nullam iuſtitiam facis, verùm inſuper eam omninò impedis, ſuſpendis, tollis, iniquè vendis, & infinitis iniuſtitiæ næuis continuò te commaculas? quid proderunt tunc tuæ tibi hîc per fas & nefas cumulatæ diuitiæ? quid honores? quid nobilitas? quid tot tibi in hoc ſæculo nequā conciliati amici, cùm omnipotentem Deum ſis habiturus tunc inimicum & vltorem tremendum? An fortè Deum, nobilē tuam proſapiam, diuitias, ſublimitatemque ſtatus reſpecturum arbitraris? nequaquam: *non* enim *eſt acceptor perſonarum Deus*, ſi D. Petro Act. 10. credas: neq; enim *eſt apud illū gloria perſonæ, &c.* An forſan in patrocinium BB. Matris tremēdi Iudicis, eiuſve aſſeſſorum Apoſtolorum & Sanctorum, quos hîc nunquam tibi vero cultu conciliaſti, confidis? minimè certè hoc poteris, falleris; nam *lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam; manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris*, teſte Dauid Pſal. 57. O quàm ſeriò, at ſerò nimis deteſtaberis tunc tempus hîc tam infructuosè, quin tam malitiosè à te dilapidatum! ô quanti ibi tunc vnius horulæ quadrantem pro pœnitendi ſpatio mercaturus eſſes, qui horas, menſes, annos & luſtra in hoc ſæculo tam inaniter & inſipienter meris nugis, ſuperbiâ vitæ, & vanitatibus tam ſumptuosè expendis, de æternitate nunquam cogitans, fœtidum cadauer & ſepulchrum viuum animæ tuæ mortuæ (haud enim aliud cenſetur eſſe corpus ad extra, cuius anima intùs per peccata emortua iacet) magis quàm animam tuam curans, fouenſque. Quid acturæ ſunt tunc ibi obſecro pleræque feminæ tam delicatæ & ſuperbæ, quæ hîc in ſe ornando, homineſque fucatâ tincturis & artificiis tam ſtudiosè & laboriosè emēdita & procuratâ pulchritudine ad omnem luxuriæ cœnū prouocando, totum ferè vitæ ſuæ curriculum impenderunt? Et quæ in hac vita, nec minimum quid duriuſculi frigoris, caloris, & laboris potuêre ſufferre, quomodo obſecro *habitabunt cum ardoribus ſempiternis?* quomodo ſuſtinebunt locum illū, vbi nil aliud erit quàm *fletus & ſtridor dentium, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat?* & ſi nequeunt in hoc mundo videre vlcera pauperum vermibus & ſanie ſcatentia; vel cadauer ſaltem mortuum in rota aut furca iam ſemicorruptum atque putrefactum: quomodo infinitas laruas dæmonum, innumera corpora fœtidiſſima damnatorum, putrida, ver-

mibus infernalibus, & ſanie intollerabili peccatorum ſcatentia, nigerrima, horridiſsima, igni, pice, & reſinâ infernali vndique ardentia intuebuntur? O ſi ſaltem indies mortales tantillam temporis morulam in conſideratione horum omnium impenderent, quàm ſedulò vitam ſuam eſſent emendaturi! quàm ſeriò pœnitentiam acturi! quàm fructuosè tempus impenſuri! ſed quid ſurdis fabulam canimus, cùm præſentia nimiùm eos exſurdeſcant; futura, niſi præſentia olim, parum eos moueant. Hæc eſt enim mortalium miſeria profectò quàm maximè deploranda; vt quando fit mētio, concio, ſermo, vel exhortatio de morte, iudicio, inferno, &c. quilibet ita ferè audiat, quaſi non ſibi, ſed aliis & maioribus ſe peccatoribus dicantur; non de breui futuris, ſed longiſsimè à ſe diſtantibus, & ſibi quaſi nunquam futuris rebus mentio fiat: ſi enim ſibi particulariter dicta crederent, & olim futura pertimeſcerent, quid non ergo tandem ſe emendarent, & quod credunt ipsâ vitâ compoſitâ & moribus teſtarentur? Sed ad propoſitum placeat tandem redire, & hactenus fructuosè euagatum eſſe rogo haud diſpliceat.

Chriſtus alio adhuc modo corniculatus.

Iterùm ſicut ſtella Veneris pro varia cum Sole configuratione, modò corniculata, modò gibboſa, tum iterùm plena videtur. Sic Chriſtus in hunc mundum à Sole iuſtitiæ, Deo ſcilicet, ablegatus, duobus cornubus videlicet humanitate, & diuinitate apparuit, quibus draconē infernalem diabolum, taurumque ſilueſtrum, mortem ſuperauit atque deuicit. Hoc haud inappoſitè probatur Hab. 3. *Deus*, inquit Scriptura, *ab auſtro venit, &c. ſplendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius; ibi abſcondita eſt fortitudo eius, ante faciem eius ibi mors, & egredietur diabolus ante pedes eius, &c.*

Mirum quidem eſt, cornua gerere in manibus potiùs quàm in capite: anne fortè quia maior eſt vis & agilitas in pugnante ſi cornubus manibus tentis hoſtem aggrediatur? vtique hoc reor. Cornua igitur in manibus, id eſt, in voluntate & potētia ſua Chriſtus contra diabolum, mortem & infernum geſsit; quia ipſe liberè nos redemit; nam *oblatus eſt quia ipſe voluit, &c.* Neque certè pro tanta reportanda victoria vnicum humanitatis Chriſti cornu ſuffeciſſet, niſi & alterum ſocium fortiusque diuinitatis eius acceſsiſſet: ibi ergo *abſcondita fuit fortitudo eius*; quam diabolo vſque ad crucem, mortem & reſurrectionē celauit: nam verè ſub cornubus animæ & corporis Chriſti abſcondita erat fortitudo diuinitatis eius; vtpotè quem & plerique Iudæorum, & ipſimet dæmones non Meſsiam, ſed purum hominem arbitrabantur.

Quomodo ſit illud intelligēdum S. Scripturæ ſcilicet: cornua in manibus eius.

Deuicit verò hic verus & cæleſtis

ſtis

Chriſtus Lucifer noſtra ſalutis quando gibboſus.

ſtis Lucifer Chriſtus, Luciferum infernalem, quando iam iam propiùs ad Solem (ſcilicet Patrem ſuum) veſpertinè acceſſurus, tempore videlicet ſuæ paſsionis & mortis, *baiulans ſibi crucem* gibboſus factus eſt. Iterùm adhuc, prò dolor, indies quaſi myſticè hic SS. Lucifer gibboſus redditur, ad inſtar ſtellæ Veneris, ſcilicet à peruerſis peccatoribus, *rurſum eum crucifigentibus*, ſuis peccatis & *ſibimetipſis filium Dei oſtentui habentibus*, Hebr. 6. vnde & appoſitè Dauid Pſal. 128. *ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam, &c.* Sed erit olim tempus quando & peccatores à Chriſto iudice tremendo, ſempiternis ſcilicet pœnarum infernalium oneribus onerandi, gibboſi reddentur, iuxta illud Pſal. 68. *Obſcurentur oculi eorum ne videant; & dorſum eorum ſemper incurua, &c. Effunde ſuper eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos, &c.*

Conceptus.

MEMBRVM II.

BB. Virgo comparatur Lucifero ſeu ſtellæ Veneris.

OPtimè iam quoque & appoſitè BB. Mater Dei luciferæ Veneris ſtellæ comparari poteſt, vtpotè quòd omnem gratiarum, excellentiæ, & prærogatiuarum ſuarum lucem à Sole iuſtitiæ, dilectiſsimo filio ſuo & Seruatore noſtro mutuet hauriatque. Fuit autem Lucifera & prænuntiatrix veri Solis, ſcilicet Meſsiæ & Chriſti, ſupra eius virginalis vteri horizontem olim exorientis huic mundo dēſiſsimâ peccatorum caligine obſcurato: & ideò meritò, & ſanctè ab Eccleſia ſtella matutina nominatur.

Cur BB. Virgo dicatur ſtella matutina.

Deinde ſicut ſtella Veneris continuò circa Solis rotam voluitur, velut motus ſui orbiſque centrum: ita BB. Mater Dei ſtella myſtica & verè Lucifera, perpetuò, dum viueret, circa Solem Iuſtitiæ velut centrum vteri ſui, & vltimum finem myſticè mouebatur: matutinâ quidem cōiunctione Soli Iuſtitiæ Deo, iā antequam Filium Dei SS. ſuo vtero conciperet, vnicè iungebatur; veſpertinâ verò, dum ſola ipſa fide illæsâ, charitate exceſsiuâ, vnita eidem permanſit, in occaſu & veſpertino ſcilicet occubitu paſsionis & mortis eius. Sicuti enim ſtella Veneris poſt Solis occaſum præ cunctis aliis Planetis mundo lucet, mutuatoſque ſuos à Sole radios telluri benigniſsimè infundit & impartitur; 15. ad minùs gradibus poſt Solis occubitum ſupra Horizontem eleuata cernitur, &c. Sic BB. Virgo, etſi Chriſto Soli iuſtitiæ doloroſâ, maternâ, & amoroſiſsimâ compaſsionis & amoris coniūctione iuncta & vnita ſemper fuerit: quindecim tamen adhuc poſt eius mortem (vt piè creditur) annis, fidelibus, Apoſtolis &

Conceptus.

& orbi mœſtiſsimo, radiis & luce ſuæ SS. vitæ & exemplorum præluxit: & filij ſui mortem materno dolore luxit.

Iterùm ſicuti ſtella Veneris, ſiue ſit veſpertina, ſiue matutina, orientalis vel occidentalis, nunquam tamen radiis ſolaribus ſaltem vnâ ſuâ parte deſtituitur: Ita BB. noſtra Venus Mariana, nunquam neque ante, neque in, neque poſt partum radiis efficaciſsimis gratiarum Solis iuſtitiæ fuit deſtituta: quin eam perpetuò totaliter implerent irradiarentq; vnde Angelus B. Paranimphus Gabriel ita eam ſalutat: *Aue gratia plena Dominus tecũ, &c.* Et in Apocalypſi congruè per *mulierem amictam Sole intelligitur*: vtpotè cuius amictus & ornatus ſanè haud alius ſit quàm imméſa *plenitudo & radij gratiæ eius* quibus à Sole iuſtitiæ omnimodè perfuſa, circumdata & irradiata fuit. Quidni BB. Virgo eſſet illa *mulier amicta Sole*, quidni ſtella matutina & Lucifera, quæ geſtauit, nobiſque protulit *candorem lucis æternæ, ſplendorem & imaginem Patris & figuram ſubſtantiæ eius?* Quam etiam (vt benè D. Hieronymus in ſerm.) *Totam repleuerat Spiritus ſancti gratia: totam incẽderat diuinus amor: ita vt etiam nihil in ea eſſet mundanum, quod violaret affectum, ſed amor continuus, & ebrietas diuini amoris, &c.*

Conceptus.

Cenſetur autem hæc myſtica Veneris ſtella, Maria, falcata fuiſſe ſcilicet dum iuxta Simeonis prophetiam *gladius* doloris anceps *animam ipſius pertranſiuit*. Iterùm quando in Paſsione Domini noſtri per eius mortem doloroſiſsimè eo orbata, & ab illo longiuſculè diſiuncta fuit. Gibboſa verò quaſi apparuit, dum Filium Dei vtero ſuo SS. concepit, & 9. menſibus geſtauit, quem etiam neque cælum, neque terra capere ſufficiunt: iterùm dum tempore paſsionis dilectiſsimi filij ſui, ponderoſiſsimâ compaſsionis & doloris ſarcinâ onerabatur.

BB. Virgo quando fuerit falcata & gibboſa.

Certè BB. Virgo Maria haud etiam mihi abſimilis videtur cuidam lapidi ſtupendo, in ſolo Bononienſi agro ab aliquot primùm annis reperto. Hic enim (prout oculis meis vidi, & experiẽtiâ cum ſtupore & admiratione didici) coloris albicantis, & ſubflaui eſt, at Soli per aliquod ſpatium temporis expoſitus (puta per vnum medium horæ quadrantem plus minùs, &c.) ita lumen à Sole (vel etiam, vti probaui, candelæ lucem) imbibit, vt in obſcurum locum ſubitò locatus, haud aliter multo tempore luceat, quàm ſolent aliàs noctilucæ, vel carbo igne repletus: quò diutiùs verò Soli expoſitus manet, eò efficaciùs, & intenſius eius lumẽ imbibit: ita vt cum tempore etiam, ſi frequentiùs Soli exponatur obuertaturque, totaliter quaſi flaueſcat, ſuumque colorem albicantem in aureum quaſi & ſolarem paulatim tranſmutet, &c.

Miranda natura lapidis cuiuſdam lucem Solis imbibentis.

Quod ſi iam dignitatem, excellentiam,

Applicatio.

lentiam, & prærogatiuas BB. Virginis Matris Dei conſideremus, eam profectò lapidi lucibibo Bononienſi ſimillimam reperiemus. Sicuti enim dictus lucibibus lapis lucem Solis imbibit, retinetque quamdiu Soli expoſitus manet, inque obſcuro deinde lucet loco: Ita BB. Virgo, lucem Solis iuſtitiæ Dei inacceſsibilem alioquin, *candoremque lucis æternæ*, non tam in conceptione Filij Dei, quàm per repletionem plenitudinis gratiæ cœlitùs imbibit, & nobis in vmbra mortis hîc degentibus effudit, communicauitque, verteque in tenebris luxit diuino lumine ſcilicet illuminata, illo inquam inacceſsibilis lucis fonte tota repleta, de quo Ioann. 1. loquitur Scriptura: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &c.* & iterùm eodem capite. *Et lux in tenebris lucet, &c.* Quàm inſigniter autem hic SS. lapis lucibibus myſticus, ſcilicet BB. Virgo ſuâ imbibitâ & cœlitùs hauſtâ luce profuerit mundo peccatorum tenebris totaliter obtenebrato, lumineque omnimodè priuato, docet S. Bernardus in quodam ſerm. *Per te*, inquit, *Virgo ſancta cælum impletum eſt, infernus euacuatus, inſtauratæ ruinæ cæleſtis Ieruſalem, miſeris expectantibus perdita vita data.* Et S. Hieronymus in ſerm. de Aſſumpt. ait. *Talibus decebat Virginem Mariam oppignerari muneribus, vt eſſet gratiâ plena, quæ reddidit cælis gloriam, terris Deum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam, &c.*

Poſſunt etiam lapidi lucibibo aſsimilari Sancti, *quorum ſcilicet conuerſatio continuò in cælis eſt.* Iterùm quęlibet anima iam per pœnitentiam ad Deum accedens, tum per peccata denuò ab eo recedens. Sicuti enim lapis lucibibus, Soli expoſitus, eius lucem imbibit quidem & in obſcuro cubiculo aliquamdiu retinet, ſed niſi mox denuò eidem Soli exponatur paulatim deperdit, ſenſimque iterùm emorientem amittit: Sic anima Deo eiusq; gratiâ per pœnitentiā & amorem quidē repletur, eumque aliquamdiu retinet intra ſe: ſed niſi continuò per internos affectus, orationem, & externa etiam opera, denuò ſeſe intimè Soli iuſtitiæ reexponat, profectò Deū, eius gratiam, lucemque inacceſsibilem iam anteà hauſtam paulatim iterùm amittit. O quot hodie eiuſmodi lucibibos lapides reperire eſt! qui ad modicum per pœnitentiam & peccatorum ſuorum expiationem, vitæque emendationem Soli iuſtitiæ expoſiti, lucem ab eo diuini amoris hauſtam, per reditum in cubile cordis à Deo auerſi & peccatorum tenebris obſcurati, luxuriiſque, commeſſationibus, impudicitiis, ſuperbiâ, iracundiâ, auaritiâ, & vniuerſis peccatorum nebulis obtenebrati, lucem diuini amoris conceptam, denuò & tam leuiter in ſe extinguunt ac amittunt. Ecce enim *in maleuo-*

Conceptus de Sanctis lapidi lucibibo comparatis.

Conceptus. *maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate, &c.* Sap. 1. Vides quomodo lux illa diuina, ſcilicet Spiritus Dei, ſe ab anima ad modicum tantùm lucibiba ſubtrahat? Anima verò quæ per amoris diuini deuotioné continuò luci Solis iuſtitiæ expoſita manet, & perſeueranter in Dei via proficit, perdúratque patienter in diuino ſeruitio; non ſolùm omnimodam lucem diuinæ, veræque ſapientiæ imbibit, verùm & colorem cordis ſui (alioquin ſine diuino amore inſtar lapidis) omninò in colorem Solis, & aureum diuini amoris tranſmutat; ſpiritum ſcilicet Dei verum cœlitùs hauriendo. Vnde Spiritus ſanctus de eiuſmodi felicißimis lucibibis myſticis ait: *Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Vide etiam quid acciderit myſticis illis lucibibis lapidibus, Apoſtolis inquã, à Petra ſcilicet Chriſto pro ædificio Eccleſiæ, poſt mortem ſuam hîc relictis, inque die Pentecoſtes Ieroſolymis congregatis; qualiter ſcilicet ſubitò cœlitùs lucem Spiritus ſancti, à Sole iuſtitiæ Chriſto immiſſam imbiberint; tamque abundanter hauſerint; vt quaſi ebrij diuino illo ſpiritu colorem ſuum, per linguas igneas ſibi illapſas, omnimodè in aureum diuini amoris mutauerint & inde in toto terrarum orbe diffuderint, &c. Multa hîc præterea poſſent dici de aliis myſticis lapidibus lucibibis: vtpotè de Eccleſia tam militante, quàm triumphante: de Angelicis Hierarchiis, lucem à Deo & à ſe inuicem haurietibus: item de Doctoribus Eccleſiæ, ſapientibus, & aliis: qualiter ſcilicet ſint myſtici lucibibi, &c. Vt tamen etiam aliquid Lectoris beneuoli ingenio relinquamus, ad Veneris ſtellam, & Luciferum myſticum redire placeat.

Profectò nunquam auditum, viſumque, aut obſeruatum fuit, ſtellam ſcilicet Luciferam, Solem ſemel eclipſaſſe, vel obſcuraſſe, aut in eius diſco velut maculam apparuiſſe, &c. Sic etiam reuerà nunquam hactenus auditum vel creditum fuit, ſcilicet BB. illam noſtram Luciferam ſtellam matutinam, alicuius peccati labe vel maculâ Solem iuſtitiæ Deum offendiſſe. Vnde optimè S. Auguſtinus de nat. & gratia. *Hâc*, inquit, *Virgine exceptâ, ſi omnes ſanctos & ſanctas cùm hîc viuerent congregare poſſem, & interrogare, vtrùm eſſent ſine peccato? quid fuiſſe reſponſuros putamus? niſi quod ait Ioannes: Si dixerimus quia peccatum non habemus noſipſos ſeducimus, &c.* Et iterùm idem S. Doctor alio loco cont. duas hæreſ. ſic ait. *Vnde ſordes in Maria, quæ nec in concipiendo libidinem, nec in pariendo eſt paſſa dolorem? Vnde ſordes in domo, in qua nullus habitator terræ acceſſit? Solus ad eam eius fabricator & Dominus venit, &c.*

BB. Virgo ſtella matutina Solem iuſtitiæ nunquam eclipſauit peccando.

Denique

Denique S.Bernardus in ſerm.*Puto*, inquit, *quòd copioſior ſanctificationis gratia in ipſam deſcenderit, quæ non ſolùm eius ſanctificaret ortum, ſed & vitam deinceps ab omni peccato cuſtodiret immunem.* Et idem S. Bernardus ad Canon, Lugdunenſes, ait: *Magna fuit ſanctificatio Ieremiæ, quâ potuit vitare faciliter culpam mortalium: maior ſanctificatio Ioannis Baptiſtæ, quâ potuit vitare frequentiam venialium: maxima Virginis Mariæ, quâ potuit vitare, imò vitauit omne peccatum, &c.*

Et quomodo denique hæc SS. Lucifera ſtella myſtica Solem iuſtitiæ alicuius peccati labe eclipſaſſet, quæ eum SS. vtero ſuo concepit, & genuit? *ex ore Altiſsimi prodiuit, primogenita omnis creaturæ?* Quæ & effecit, vt nobis *oriretur lumen indeficiens, candor* ſcilicet *lucis æternæ? &c.*

BB. Virginem eſſe honorandam, ſuo nos exemplo docuit SS. Trinitas.

Quid igitur Acatholice (quiſquis es & hæc legis) hanc SS. ſtellam matutinam vilipendis? Cur eam, non inuocando ſalutandoue, deſpicis? quam tamen Pater æternus ſibi elegit filiã, Filius Dei Matrem, & Spiritus ſanctus ſponſam. Angelus de cælis gratiâ plenam ſalutare & reuereri non dedignatus eſt: tota denique Angelica natura, & cæleſtis curia Reginam cæli ſalutant, honorantque. Solus fœtidus inquam hæreticus ei laudes & honorem debitum denegat, ſubtrahit, imò ſacrilegè furatur: quod certè inter reliqua veræ hæreſeos & erroris, apertiſsimo ſigno eſſe poteſt, ſcilicet Matrem Dei non colere, imò reliquis feminis ſacrilegè non maiorem aſſerere, &c. Quomodo autem obſecro eum amicum Cæſaris credis, qui tamen Cæſaris matris contemptor, & inimicus eſt? Sic quomodo eos Dei amicos cẽſes, qui eius Matris inimici & contemptores ſunt?

O ſtupidiſsimam Hæreticorum inſaniam. O cæcam eorum & execrandam duritiem! ô damnatam & meritò olim etiam damnandam illorum duram ceruicem! vtpotè eam nec vnico *Aue* ſalutare aut reuereri dignantium, imò vilipendentium, nos illam humiliter ſalutantes ludentium ridentiumque, quam tamen tota tremenda Trinitas, diuina & infinita Maieſtas, legatione admirandâ per Angelum gratiâ plenam cœlitùs ſalutare non dubitauit. Rideas priùs hæretice & Acatholice, Deum ipſum ſi audes, & Angelum D. Virginem ſalutantes & honore afficientes, & tum nos Mariam enixè colentes ſubſanna & ride. At rideant nunc nos plenis buccis, quantumque velint nobis illudant, ridebimus & nos aliquãdo eos, ſcilicet cùm noſter fletus in gaudium, illorum verò ẽ contra riſus vertendus erit in fletum ſtridoremque dentium, &c. Speremus firmiſsimè illud nos olim lætè ab illis audituros. *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & improperiũ: nos inſenſati vitam illorũ* (Mariam matrem Dei colẽtium inuocantiumq;) *æſtimabamus inſaniã, ecce quomodo cõputati ſunt inter Filios Dei,*

& inter Sanctos ſors illorum eſt,&c.

Obiectio ſtupidiſsima & impia authori quōdam ab Hęretico facta.

Sed obiiciunt(vti mihi ſemel ab impudentiſsimo quodam Hęretico Lutherano obiectũ horrui.) Si Maria ideò honorãda eſt, & inuocanda, quòd Dei Filium geſtarit, &c. cur non & aſina illa, quæ eum olim in die Palmarũ in Ieruſalem quoq; portauit geſtauitque? ô infernalem obiectionẽ! ô pluſquam diabolicam inſaniã! ô brutalem & aſininam ſtoliditatem! meritò & potiùs verberibus, quã verbis refutandã. Neſcis nequiſsime diſtinguere inter myſterium ſtupẽdum, tremẽdum, & vſque ad terræ centrum adorandum, quo Filius Dei ex puriſsima Matre incarnatus eſt; & inter miniſterium brutale ei ab aſina in geſtando velut creatura irrationali pręſtitum? Si hîc diſtin-

Solutio.

guere neſcis (nolens cum ſtupido aſino diſputãdo oleum & operam perdere) profectò nec ego matrem tuam inter, & aſinam te geſtãtem diſtinguere ſcio: mirũ tamen eſt, te hanc verberãdo; illam verò honorando diſtinctionem tãtam facere quãtùm cælum diſtat à terra, coruus à cygno, brutũ ab homine, &c.

Itaque rogo ſtoliditatem tuam ingemiſce, cæcitatem erubeſce, & errorem ſacrilegũ emenda: minùs namque errabis (ſi tamẽ Matrem Dei honorando errare putas) Virginem Beatiſsimã, Creatoris, Redẽptoris, & Seruatoris tui Matrem cũ Angelo Gabriele per illud *Aue* ſalutando, & cum ipſo Deo eam honorando; cum SS. patribus antiquiſsimis deuotè velut apud filiũ ſuum interuentricem inuocando, quàm cũ Luthero & Caluino, &c. illius honorem & inuocationem ſacrilegè & blaſphemè negligẽdo, ſpernendo, ridẽdoque. Quod ſi verò iam nos hanc ſacroſanctã ſtellam matutinã humiliter & deuotè honorando, ſalutandoque erramus, certè in errorem hunc ipſe Deus ſuo exemplo per Angelum eam ſalutando honorandoq; nos induxit, & nobis prior Angelus Gabriel Legatus omnipotẽtis Dei errauit; quod quàm horrẽdum & impium ſit vel ſemel etiam cogitare, nedum aſſerere (ſi modò verè Chriſtianus & non Atheus ſis) ipſe perpendere poteris.

Putáſne Deum, qui matrem tuã virili ſemine, inque originalis peccati labe te concipiẽtem generantẽque, honorare præcepit, Matrem ſuam (quæ eſt etiam myſticè noſtra, vtpotè totius generis humani reparatrix ſalutem generãdo) quæ Spiritu S. obũbrante concepit peperitq; tuum Saluatorem, ab hoc præcepto excludere? falleris, erras, deciperis miſer: ſi enim ipſe, qui tamen fuit, eſt, & perpetuò erit *Rex regum & Dominus dominantium, Pater futuri ſæculi*; cuiq; *flectitur omne genu cæleſtium, terreſtrium & infernorum*: cui denique tremẽs obedit omnis creatura; ſi inquã Creator rerum adeò hanc BB. Virginem honorauit, ita vt etiã (prout habetur Lucæ 2.) eſſet ſubditus illi, & obediens, vt filium decet matri, æſtimo te ad exemplum Chriſti eam honoraturũ, Conditori tuo etiam maxi-

maximum inde honorem delaturum eſſe. Si enim de ſuis Apoſtolis & Concionatoribus honorandis hoc tam ſerioſum tibi verbum inculcauit, Lucæ 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit, &c.* quid tibi circa honorem ſuæ amantiſsimæ Matris, à te denegatum, imò denigratum, in die iudicij dictur ũ putas? Quid multis? dico; ſicut impoſsibile eſt Chriſtũ ſeruatorem noſtrum, non honorare matrẽ ſuam iam in cælis ſuper omnes Angelos & electos Dei exaltatã: ſic impoſsibile eſſe eum non etiam velle illam ſummâ reuerentiâ à te honorari & coli in terris. Nam ſicut Chriſtus modò eſt nobis inſtar aduocati apud Patrem; ſic BB. Virgo Patrona, & aduocata nobis exiſtit apud filiũ. Vide igitur Acatholice quid agas; quidve olim Filio Dei & Mariæ, Iudici tuo infallibili, Domino, atque Redemptori reſpondeas; qui modò eius Matrem non ſolùm non colis, nõ honoras, non revereris, verùm etiam illam humiliter honorantes, colenteſque rides, erroriſque reos inſimulas. Certè meritò tibi (Acatholice) S. Bernardi aurea & veriſsima ſententia timorem & ſtimulum; tibi verò frigide Catholice, maiorem erga D. Virginem deuotionem incutere deberet, ita in quodam ſermone loquentis. *Sicut à te* (ô Maria) *deſpectus & auerſus, neceſſe eſt quod pereat, ſic ad te reuerſus, & à te reſpectus, impoſsibile eſt quod pereat, &c.*

Mariam deſpicientes de ſalute periclitant.

Denique quidquid Deus ipſe amat & honorat, illud & à nobis licitè & ſanctè amatur, honoratur & colitur: atqui omnipotens Dominus ipſemet BB. Virginem honorat, amat, & per Angelum ſalutauit: ergo & nos Catholici piè, ſanctè, & licitè Matrem Dei colimus, honoramus, & rectè, vt patronã inuocamus apud Deum & Chriſtum filium eius, &c. è contra Acatholici B. Virginem non honorãtes, minùs rectè agere cenſendi ſunt. Non fortè credis Patrem æternũ Matrem Chriſti honorare? audi Chriſtum æternæ veritatis Magiſtrum, Ioan. 12 *Si quis,* ait, *mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus qui in cælis eſt, &c.* Quis autem obſecro Chriſto magis miniſtrauit in omnibus, quàm illa quæ eum ſuo SS. vtero 9. menſibus geſtauit, genitum virgineo lacte SS. vberum ſuorum lactauit, & denique mortuum ſub cruce in gremio ſuo lachrymis amariſsimis & amoroſiſsimis lauit?

Sit igitur magna magni Dei Iſraël mater benedicta in æternum, quam & Angelus inter omnes mulieres benedictam, Dei iuſſu proclamauit, gratiâ plenam ſalutauit, Matrem Dei viuentis pronunciauit. Caue Acatholice, & quiſquis es, ne olim tremendam ab eius filio in te ſententiã inuitus & ſerò ſeriùs pronuntiandam audire cogaris. *Diſcedite à me maledicti, &c.* Si enim contra denegantes ſeruis ſuis hîc minimis opera miſe-

miſericordiæ, tam ſeueram ſententiam pronuntiaturus eſt: quid dicturum ei putas, qui matris dilectiſsimæ Virginitatem negauit, eiuſque honorem non ſolùm neglexit, ſed & ſacrilegis blaſphemiis violauit?

Conuertere igitur ad Dei matrem, quiſquis aut fide, aut deuotione hactenus ab ea alienus es; & conuertet ſe quoque filius eius Chriſtus ad te; & Pater æternus à peccatis tuis iratũ vultum auerſurus, & in faciem Chriſti ſui pro te paſsi reſpecturus eſt; teque velut cultorẽ Virginis virginum aut ęternùm præmiaturus, aut velut illuſorem eius à facie ſua in ſupplicium perpetuum relegaturus eſt.

MEMBRVM III.

Eccleſia Romana comparatur ſtellæ Luciferæ.

Pluribus ſanè de cauſis Veneris lucifera ſtella etiam Eccleſiæ Romanæ typum referre videtur. Nã vti Venus lumen ſuum totum à Sole mutuat, & manè ante Solis exortum ſuper Horizontem ſurgens, ſolis & diei mox ſub ſecuturæ eſt prænuntius, proindeque Lucifer dicitur (quaſi lucis lator.) Et ſicut etiam veſperi occumbẽte Sole, adhuc telluri tamdiu lucet donec & ipſa occidat; neque tamen occidendo eſſe deſinit, ſed Solem, velut ſuum centrum ſubſequens, mox in alio hemiſphærio oritur lucetque: Sic myſtica noſtra Lucifera ſtella, ſcilicet Eccleſia Romana, totùm ſuæ doctrinæ & fidei lumen a Chriſto Sole iuſtitiæ mutuans, vera Lucifera ſtella eſt, vtpotè *extra quam nulla eſt ſalus*: id quod etiam Matth. 18. probatur, nam *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus, &c.* Et S. Auguſt. de fide Pet. ait: *Sine Eccleſiæ Catholicæ ſocietate, nec alicubi baptiſmus prodeſſe poteſt, nec opera miſericordiæ, niſi fortè vt minùs torqueatur, &c.* Notent hoc benè quicunque ſunt extra Eccleſiam Catholicam & Romanam. Denique S. Chryſoſtomus ſuper Matt. *Habemus*, inquit, *pro mari mundũ, pro naui Eccleſiam, pro velo pœnitentiam, pro gubernaculo crucem, pro nauta Chriſtum, pro vento Spiritum ſanctum, &c.* Vides ergo extra Eccleſiæ Catholicæ nauem, nullam eſſe in hoc mundano pelago ſalutem?

Eccleſia in quo ſimilis ſtellæ Veneris.

Certè Eccleſia Romana ſupra Horizõtem crucis Chriſti exorta, eſt vera Lucifera ſtella, prænuntia ſcilicet mox ſubſequendæ diei æternæ beatitudinis, Solisque iuſtitiæ in patria cæleſti, electis ęternùm ſine vlteriori occaſu orituri. Lucet autem iam de facto Eccleſia ſtella illa Lucifera etiam poſt occaſum; ſcilicet poſt mortem Chriſti Solis iuſtitiæ. Et licet ab Hæreticis Eccleſia perpetuò tantùm ſemiplena, gibboſa, aut corniculata cernatur iudiceturq;: illa tamen reuera ſemper à Sole iuſti-

Conceptus.

tiæ,

tiæ, lumine & radiis veræ fidei & doctrinæ illuſtrata manet; hocque lumen ſemel hauſtum ſine vlla vnquam interruptione retinuit, haud aliter ac lapis lucibilis Bononienſis: neque vllo modo etiam amittere poteſt, vel amiſit; cùm inſtar dicti lapidis, perpetuò Soli iuſtitiæ expoſita Eccleſia mãſerit; iuxta illud Matth. 28. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* Quomodo ergo, Acatholice, hic SS. lapis lucibilis Eccleſia, vtpotè omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi Soli iuſtitiæ expoſitus, lucem veræ doctrinæ potuit amittere, aut veræ fidei radiis orbari? Lucebit igitur hæc SS. ſtella Lucifera, veræ fidei lumine vſque ad occaſum ſuum, id eſt vſque ad finem mundi; neque tamen tunc hîc occidendo, ideò totaliter occubituram putes, nam Solem iuſtitiæ ſuum verum centrum inſequendo, clariſsimè orietur in alterius & beatæ vitæ Hemiſphærio, ſcilicet cæleſti Hieruſalem nunquam ampliùs occubitura. Benè S. Gregorius in epiſt. ad Leſanum. *Arca,* inquit, *ceſſante diluuio in monte requieuit, quia vita huius corruptione ceſſante, cùm malorum operum fructus tranſierint, in cæleſti patria ſancta Eccleſia velut in excelſo monte requieſcit, &c.*

Putant quidẽ hæretici hanc ſtellã Luciferam decreſcere, & lumine veræ fidei dudum defeciſſe, at profectò falluntur. Nam *adhuc habet* (inquit S. Auguſtinus ſuper Matthæũ.) *Eccleſia quo creſcat, donec illud impleatur: Dominabitur à mari vſque ad mare, &c.* Quidquid igitur Acatholici cõtra hanc altiſsimam & lucidiſsimam ſtellam *Eccleſiam* machinentur, nihil certè profecturos ſe ſciant; quò enim magis eam perſequuntur, eò magis claret, lucet, & creſcit; neque poſsibile eſt eam à Sole iuſtitiæ Chriſto, ſuo cẽtro auelli, vel in eum inſequendo, à curſu ſuo impedire. Benè Hilarius de Trinit. libr. 4. *Hoc,* inquit, *Eccleſiæ proprium eſt, vt tunc vincat dum læditur: tunc intelligat dum arguitur: tunc obtineat dum deſeritur, &c. Dum perſequitur floret: dum opprimitur creſcit: dum contemnitur proficit: tunc ſtat cùm ſuperari videtur.*

Denique ſicuti ſtella Veneris quandoque gibboſa, aliquando verò corniculata apparet, ſic Eccleſia, perſecutionum & tribulationum oneribus grauata, ad exemplum ſui ſponſi gibboſa videtur: vnde S. Bernardus ſuper Cantic. ait: *Sponſa, id eſt Eccleſia Chriſti, nil ſibi glorioſius putat, quàm Chriſti portare opprobrium, &c.* O quàm gibboſa fuit tempore Neronum; Maximinianorum, Traianorum & aliorũ Romanorum Dictatorum! quàm gibboſa & modò eſt, adeò ab omni parte afflicta! At omninò credendum, & minimè dubitandum eſt, eam nullatenùs ſupprimendam, eſſe quomodocũque etiam grauiori onere preſſa fuerit. vt benè Caſsianus ſuper Pſal. ait: *Eccleſia quomodo gibboſa.*

Nouit Eccleſia beneficio Domini triumphare de ſuis cladibus ingrauata, perſecutionibus ſiquidem proficit; afflictionibus ſemper augetur, ſanguine Martyrum irrigatur, triſtitiâ magis erigitur, anguſtiâ dilatatur, fletibus potatur, ieiuniis reficitur, & inde potiùs creſcit, vnde mundus deficit, &c.

Eccleſia quomodo corniculata & falcata. Cenſetur verò Eccleſia corniculata & falcata, vtpotè cornubus verę fidei & ſanæ doctrinę à Chriſto ſponſo ſuo contra omnes beſtias hæreſum armata, & *terribilis vt caſtrorũ acies ordinata* reddita; quibus cornubus ſexcentas hæreſes hactenus deuicit, debellauit, atque condemnauit. Aliis inſuper duobus cornubus armata cenſetur; vtpotè dilectionis Dei, & proximi; quibus diabolum beſtiam cornutam, aliosque hoſtes frequenter edomare ſolet, &c.

MEMBRVM IV.

Anima Deo deuota ſimilis eſt ſtellæ Veneris ſeu Lucifero.

SAnè anima Deo deuota optimè quoque aſsimilari poſſet ſtellæ Veneris ſeu Lucifero. Nam ſicut ſtella hæc proprio lumine deſtituta, illud totum à Sole ſuo centro (quod continuò etiam per eclipticam ſequitur) mutuat, ſemperque vnâ parte Solem reſpiciẽs ab eodem illuminari, quandoque verò lumine plena, tum gibboſa, denique etiam corniculata apparere ſolet: Sic anima Deo deuota totum ſuum lumen iuſtificationis, fidei & iuſtitiæ, à Chriſto Sole iuſtitię hauriens, eundem velut ſuum centrum, ſpretis omnibus hiſce inferioribus, amore, affectu & motu vitæ ſpiritalis ſurſum eleuata: inque viis & circulis iuſtitiæ & pietatis ambulans, Solem per eclipticam huius ſæculi & vitæ, perpetuò ſequitur, vnâ ſemper eius parte, puta internâ, & amoris affectu à Sole iuſtitiæ irradiatâ. Vnde S. Bernardus ſuper Cantic. ait: *Animæ deſideranti Dominus feſtinus occurrit, cæleſti lumine & rore circumfuſus. Vnguentis optimis delibutus animam recreat defatigatam, eſurientem reficit, aridam impinguat, terrenorum oblitam, ſui ipſius memorem, &c.* Et ſicuti ſtella Veneris ſplendet lumine Solis, in quo & illi ſuo modo aſsimilatur; ita anima totam ſuam ſubſtantiam & immortalitatem à ſolo Deo mutuat, eique ſuo modo ſimilis eſt, vtpotè ad ipſius imaginem creata. Benè S. Auguſtinus libr. de definit. animæ. *Anima*, inquit, *eſt immortalis, eſt creata ſubſtantia inuiſibilis, Deo ſimillima, imaginem habens Creatoris ſui, &c.* *Conceptus.*

Et ſicuti Venus perpetuò circa Solem, ſuum velut centrum altiſſimè verſatur mouetúrque in cælo: ita anima Deo deuota, nil aliud quàm Deum vltimum finem & centrum in cunctis ſuis actionibus quærit: altiſsimè in eum contemplatione fertur, vtpotè *cuius cõuerſatio in cælis eſt*, Philipp. 3. Vnde monet *Conceptus.*

monet S. Bernardus. *O anima*, inquit, *inſignita Dei imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata in fide, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne quâ haud aliud vilius ſterquilinium inueniſti? &c.* Et Seneca homo etſi fide Chriſtianâ alioquin deſtitutus, inſigniter tamen de anima loquitur epiſt. 80. *Surſum*, ait, *animam vocant initia ſua: erit autem illic, antequam hâc cuſtodiâ ſoluatur, ſi vitia ſua deſeruit, puráque & leuis in cogitationes diuinas emicuit, &c.*

Seneca ſententia de anima.

Deinde ſtella Veneris quandoque apparet cornuta, quandoque gibboſa, aliquando etiam lumine plena, &c. Sic & anima Deo deuota ex continuo conſortio Dei fit quaſi cum Moyſe cornuta, intellectu videlicet & voluntate. Intellectu quidem dum intelligit quæ Dei & ſalutis ſuæ ſunt; penetrando ſcilicet ea quæ infinita, æterna, ſibique ad ſalutem conducentia, vel ad interitum ſe pertrahentia ſunt. Voluntate verò cornuta cenſetur; dum quidquid Deus vult, & ipſa vult: & quod Deo Conditori ſuo diſplicere ſcit, declinare nouit, &c. ô ſi verè hiſce cornubus eſſemus armati atque prædiri, quàm feliciter & dulciter, quæ mundi ſunt, ſperneremus; quam tranſitoria vilipenderemus; quàm patienter aduerſa tolleraremus; quã ſeriò ſeduloque omnipotenti noſtro Conditori placere; quàm denique ſobriè & caſtè eidem inſeruire ſtuderemus! At cùm adhuc propriæ volũtatis cornu, non omninò per veram in Dei voluntatem reſignationem abiecerimus; & alterum adhuc geminum cornu amoris proprij nimis fixè geſtemus; mirum non eſt, nos hiſce duobus cornubus toties in peccatorum parietem impingere, vitam tempuſque malè elapſum raró, aut nunquam ſeriò emẽdare; magis de aliorum, quàm propriis defectibus cogitare; ſicque ſæpiùs alios cornutos iudicare, nobis è contra fruſtra & vanè complacentes: quod ſi hodie non fieret, profectò fortè non tot innocentes, aculeis & cornubus venenatarum linguarum ferirentur, enecarenturque. O ſi propria cornua peccatorum & defectuum noſtrorum, cum ceruis, per dignos pœnitentiæ fructus conaremur ſedulò abiicere, aut deponere (iuxta illud, *exue veterem hominem, & indue nouum, &c.*) quàm inſigniter lumine diuinæ gratiæ adimpleremur, quàm parum de aliorum feſtucis & cornubus eruendis ſoliciti eſſemus. O quot hoc tempore & ſæculo reperire eſt aliorum defectuum obſeruatores correctoreſque, ſuorum verò & propriorum neglectores! ô quàm oculati ſunt multi in obſeruatione alienorum peccatorum, & contrà quàm cæci in agnitione propriorum! ſi tantum quilibet proprios defectus, quantùm alienos obſeruaturus, & correcturus eſſet; credo reuera paucos futuros qui non ſancti forẽt, &c. Caue igitur quiſquis

Conceptus.

quis peccatorum cornubus ſuperbis, ne ab eo qui peccatorum cornua confracturus eſt olim Deus, ſubitò vtroque & præſentis & futuræ æternæque vitæ cornu iuſtiſſimè, & quidem æternùm ſpolieris, miſer & inermis reddaris. *Anima quomodo cornuta fit.* Alio adhuc modo quoque anima cornuta cenſetur, duobus ſcilicet cornubus amoris Dei, & odij ſuiipſius; quibus Deo amabilis ſibi aliiſque vtilis, & diabolis terribilis redditur. Hiſce anima cornubus armata, Adamum ac hominem veterem occidit, dæmonem ſuperat, carnem eiuſque concupiſcentiam, & mundum vincit atque edomat. Vnde benè Rabanus in quodam ſermone ait: *Si vis perfectè purgari à vitiis, in quantum præuales, accende in te ignem diuini amoris, &c.* Et S. Bernardus in lib. de diligendo Deo. *O iugum S. amoris*, inquit, *quàm dulciter capis, glorioſè laqueas, ſuauiter premis, delectanter oneras, fortiter ſtringis. O felix amor, ex quo oritur ſtrenuitas morum, puritas affectuum, ſubtilitas intellectuum, deſideriorum ſanctitas, operum claritas, virtutum fæcunditas, meritorum dignitas, præmiorum denique ſublimitas, &c.*

Conceptus. Deinde ſicut Veneris ſtella nunquam vnum ſolùm ſed ſemper geminum gerit cornu: ita anima Deo deuota nunquam ferè inuenitur ſine gemino cornu, *amoris Dei*, ſcilicet, *& proximi*, vti benè S. Gregorius in quadam homil. ſuper Euang. *Per amorem Dei*, ait, *amor proximi gignitur, & per amorem proximi amor Dei nutritur, &c.* Nam qui amare proximum negligit, profectò Deum diligere neſcit. Amor namque Dei amorem proximi generat, & amore proximi amor Dei coaleſcit, &c. Si enim non amemus proximum quem oculis cernimus, quomodo quem non videmus Deum, amare poterimus?

Apparet verò quandoque anima gibboſa, *Anima quando gibboſa.* primò dum pondere peccatorum & defectuum ſuorum incuruatur: vnde Dauid Pſal. 37. totaliter gibboſus factus conqueritur inquiens. *Sicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me*, ſcilicet *iniquitates meæ, &c.* Deinde dum variis anguſtiis & tribulationibus oneratur, iuxta illud Dauidicum Pſalm. 118. *Tribulatio, & anguſtia inuenerunt me, & contexerunt me tenebræ, &c.* Ita plerumque Deus iuſtos in hâc vita gibboſos reddit, vt ibi magis & pleniùs ſibi æternùm iunctos illuminet; quod teſtatur Apoſtolus 2. Corinth. 1. *Supra modum grauati ſumus* (en gibboſitatem?) *ita vt tæderet nos etiam viuere, &c.* Ita etiam ſe gibboſum ſentit oneratumq; peccatis Manaſſ. 2. Paralip. 45. *Multiplicatæ ſunt*, inquit, *iniquitates meæ Domine, & non ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatum mearum, &c.* Et iterùm paulò infrà. *Incuruatus ſum*, ait, *multo vinculo ferreo, vt non poſſim attollere caput meum, & non eſt reſpiratio mihi*, quare? *quia excitaui iracundiam tuam & malum coram te feci, &c.*

Deni-

Digitized by Google

Denique alio etiam modo iuſti à peccatoribus tribulationibus & perſecutionibus gibboſi redduntur, vt Dauid Pſal. 56. *Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam, &c.* Sanè vti gibboſitas Lucifero prouenit ex varia cum Sole configuratione eiuſque illuminatione; ſic ſanctis & electis Dei à Sole iuſtitiæ permiſſiuè eueniunt tribulationes. Deinde vti non Sol, ſed ipſius Veneris circa Solem varius motus cauſa eſt gibboſitatis: ſic non Deus cauſa immediata cenſetur noſtrarum aduerſitatum, tentationum, anguſtiarum & perſecutionum, ſed potiùs ipſe varius voluntatis & vitæ noſter motus curſuſque; iuxta illud Iacobi 1. *Deus intentator malorum eſt, vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* & Tob. 4. *in ipſa enim* (puta ſuperbia) *initium ſumpſit omnis perditio, &c.* & Tob. 3. *Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideò traditi ſumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, &c.*

Conceptus de tribulationibus electorum Dei.

Quandoq; verò Deus probationis & purgationis cauſâ gibboſã, & incuruatã reddit animã, ſcilicet ſub potenti manu ſua in hâc mortali vmbra ideò eam humiliando, vt in altera & æterna vita magis eã exaltare queat. Ecce enim quomodo Sara illa Deo deuota, per improperiũ ancillæ patris ſui humiliata, & à Deo permiſſiuè gibboſa reddita eſt; quæ tamen gibboſitas in ea nõ diu durauit, ſed ab Altiſſimo mox liberata eſt. Vnde ita ad Dominum loquitur, Tobiæ 3. *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita eius ſi in probatione fuerit coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit liberabitur, & ſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit: non enim delectaris in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem tranquillum facis: & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis. Sit nomen tuũ Deus Iſraël benedictum in ſæcula, &c.* Sed quid Sara & Tobias ſuâ gibboſitate & oratione à Domino tandem promeruerunt? Hoc ſcilicet, vt Deus etiam ſummum quẽdam ab altiſsimis cælis Angelum in eorum ſolatiũ ablegare ad eos quaſi coactus & cõmotus fuerit (iuſtorum enim oratio tantæ virtutis eſt, vt non ſolùm nubes & cælum, verùm & ipſum Deum penetret, &c.) vnde ait ſacra Scriptura Tobiæ 3. *In illo tempore exauditæ ſunt preces amborum* (ſcilicet Tobiæ & Saræ) *in conſpectu gloriæ ſummi Dei: & miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphael, vt erueret eos ambos, quorum vno tempore ſunt orationes in conſpectu Dei recitatæ.*

Virtus orationis magna eſt.

O ſi nos & hoc tempore lamẽtabili, tot anguſtiis, hoſtibus, perſecutionibus & miſeriis adeò gibboſi redditi, verè & vnitâ virtute, omnipotenti Deo, corde contrito & humiliato cum Tobiâ & Sara ſupplicaremus, proculdubiò & ipſe cogeretur nos exaudire, è tantiſque periculis & miſeriis tãdem pientiſ-

qui pacem,& tranquillam vitam, atq; miſericordiam nuſquam inuenit, neque à Deo impetrare poteſt, argumento euidentiſsimo eſſe videtur, eum etiam neque facere coram Deo iuſtitiam & miſericordiam, &c. Quid ergo mirum,ſi *pes pauperum, & greſſus egenorum* nos adeò hodie premant? ita vt cauſa eorum derelicta atq; deſerta, cauſa etiam cenſeatur eſſe ita nos derelinqui à Deo, &c. Et profectò diuitibus huius ſæculi, immiſericordibus, & oppreſſoribus pauperum, pupillorum, & viduarũ, &c. idem ferè, à pauperum pedibus coram Deo eos conculcanrium contingit,quod contingere ſolet à nobis antichthonibus & antipodibus, hoc eſt iis qui aduerſa nobis imprimunt veſtigia; ſeu qui infrà telluris globum & hemiſphærium inferius cõtra nos contrariis veſtigiis ambulant: licet enim ſe nobis ſuperiores omninò putent, & à non nemine pedibus greſsibusq;contrariis calcari ignorent, tamen à noſtris, eis reſpectiuè ſuperioribus, pedibus conculcantur.

Conceptus inſignis.

Sic & diuites immiſericordes, iniuſti iudices,pupillorum viduarumque oppreſſores, etſi ſe omnibus ſuperiores putent, & à nemine poſſe opprimi, deiici, & calcari arbitrentur; miſeri tamen, etiam ignorantes, à *pauperum pedibus*, *ab egenorum greſsibus* adeò conculcantur (hoc eſt eorum ad Deum clamore & miſeriâ caſtigantur) vt ſæpiùs aut ſubitò ex ignota ſibi cauſâ omni fortunâ; diuitiis & honoribus priuentur, vitamque ipſam nonnunquã ſubitaneâ morte cõmutare cogantur. Imò iuſti & pauperes in cælo nunc exiſtentes, pauperes & miſerrimos antipodes, diuites ſcilicet ſuoſque perſecutores, pedibus & in hac vita & in inferno perpetuò & myſticè conculcaturi ſunt. O quàm miſerè diuirem illum epulonem modò putas à pedibus Lazari in inferno conculcari,cui in vita etiam micas de menſa cadentes denegauit! O diues, dum te ſubitò forſan ex ignotâ cauſa,honore tuo deiici, diuitiis & fortunâ ſpoliari, chariſſimis liberis,vxore, & vitâ ſubitaneè quandoque orbari cernis,cauſamq; huius tuæ calamitatis, calcationis, & caſtigationis forſan ignoras; crede certò latere fortè & eſſe quoſdam antipodes; ſcilicet iuſtos, pauperes, viduas,mercenarios, pupillos, iniuſtè à te fortè olim oppreſſos,expulſos,vexatoſque & ſpoliatos; aduerſa veſtigia, clamorũ ſcilicet & orationum ſuarum ad Deum verſus te vrgentes: pedibus & greſsibus contrariis tibi, hoc eſt vitâ & virtutibus tuæ vitæ contrariis, coram Altiſsimo ambulantes: ne inquam mireris, hæc tibi à pauperum pedibus & egenorũ greſsibus prouenire, Dominus enim *faciens iudicium pauperi, & orphano iuſtiſsimus adiutor* ita forſan eorum pedes iuſtè contra te armat,grauat,atque incitat. Ita vt

Alter conceptus,quomodo iuſti & pauperes in cælo exiſtentes, iniuſtos, & malos,diuites & ſuos perſecutores pedibus ſuis premant.

Notêt magnates & diuites.

habitans etiam *in excelſo*, ſublimiſſimo ſtatu ſcilicet eleuatus, tamen *humilieris vſque ad terram*, *detraharis vſque ad puluerem*, *& ad nihilum redigaris.Conculcat* enim te *pes* (audi, intellige obſecro, ſenti & te emenda) imò *pedes pauperum*, *& greſſus egenorum*, à te etiam iniuſtiſsimè conculcatorum, & ideò *propter miſeriam & gemitum pauperum etiam conterit te exurgens iuſtus Dominus*, *&c.* Igitur ne vlteriùs velis conculcari, ceſſa conculcare pauperes, & miſerebitur tui *miſerator & miſericors*

Conceptus. *Dominus*, *&c.* Tandem vti ſtella Veneris in coniunctione veſpertina à Sole plenisſimè illuminatur, nobiſque abſconditur; rotunda, tum paulò pòſt orbiculata apparet: Sic anima decurſo huius vitæ circulo Soli iuſtitiæ in cæli Empyrei ſublimitate veſpertinè, peractis ſcilicet omnibus miſeriis coniungenda, lumine gloriæ efficaciſsimè ab eo illuſtrata fulgebit; & orbiculata, ſcilicet æternâ ſecuritate & beatitudine oppleta, pleniſsima apparebit: Vnde cantat Eccleſia; *Fulgebunt iuſti ſicut Sol in conſpectu Dei*, &c. & Dan. 12. de Sanctis & iuſtis in hâc vitâ, verbo ſcripto, & exemplo multos erudientibus dicitur. *Qui autẽ docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates, &c.*

Impij quomodo cenſeantur eſſe corniculati. Econtra impij & peccatores hîc quidem etiam cenſentur eſſe corniculati, armati ſcilicet aduerſus iuſtos, & non ad iuſtitiam: mouentur enim circa alium Solem, quàm Solem Iuſtitiæ; ſcilicet circa ſuum ventrem, concupiſcentias, carnem, diuitias, & honores huius ſæculi. Vnde benè dicit Dauid Pſalm. 11. *In circuitu impij ambulant*: id eſt continuò ſeſe ab vno vitio in alterum præcipitant: ab vno puncto in alterum ſe vrgent; ita vt peccando *noctem* cenſeantur *vertere in diem, & diem in noctem.* Tales autem Errones, ſunt quidem Luciferi, ſed infernales, vtpotè Luciferi apoſtatæ illius filij: vt benè Chriſtus ad Phariſæos. *Vos ex patre diabolo eſtis*, quare? quia *deſideria patris veſtri vultis facere*: qualia? ſcilicet homicidia, mendacia, & omnis generis mala, machinationes & perſecutiones erga iuſtos, pauperes & innocẽtes, &c. Et ideò verificatur de eis, *quorum Deus venter eſt*, vtpotè centrum quaſi & finis omnium actionum ſuarum, cuius ſaturandi gratiâ, die noctuque, perpetuò, ſine faſtidio & nauſea occupantur, defatiganturque. Cumque peccatores & diuites in hâc vita nunquam, aut rarò tribulationibus ſint gibboſi, ſed cum diuite Epulone quotidie & in omnibus ſplendidiſsimi, profectò timendum eſt eos cum illo etiam *Notent impij.* perpetuò omni ſuo ſplendore & gloria breuî fore deſtituendos, iuxta illud Iob 18. *Nónne lux impij extinguetur? nec ſplendebit flamma ignis eius.* Dignum quippe & iuſtiſsimum videtur; vt qui hîc merâ luce ſuperbiæ, vanæ gloriæ, & honoris

noris ſine charitatis flamma & igni luxerunt; ibi in altera,ſine luce perpetuò lugeant ardeantque. Quiſquis igitur in hâc vita, ſuperbiâ, luxuria, & luxu nimio vitæ luces ſplẽdesque; caue ne illud Iob 18. tandem in te olim compleatur. *Lux impij obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna quæ ſuper eum eſt extinguetur, &c. expellet eum* (ſcilicet Deus) *de luce in tenebras, & de orbe transferet eum, &c.* at in quem locum? timendum certè non in alium, quàm eum; *vbi* ſcilicet *erit fletus & ſtridor dentium.* Matt.25.& Lucæ 13. Et tùnc ſerò nimis incipient videre Luciferum corniculatum, cui ſe in hac vita à coniunctione matutina, ſui ſcilicet ſtatim ortus, vſque ad verſpertinam & occaſũ vitæ, tam firmiter copulati manſerunt. Ibi erunt & peccatores cornuti perpetuò; duobus nempè cornubus tremendis, & terribilibus, pœnâ ſcilicet damni, & pœnâ ſenſus. Ibi perpetuò gibboſi futuri ſunt, ſcilicet peccatorum ſuorum & infernalium tormentorum cumulo ęternùm grauandi, vermeque conſcientiæ ſuæ nunquam emorituro ſine fine onerandi,&c.

Conceptus, quomodo in inferno peccatores ſint futuri corniculati.

Poſſet & ſtella Veneris, Iouis, Saturni, ipſemet Sol,Luna & ſtellæ adhuc infinitis rebus myſticè aſsimilari applicarique: vtpotè virtutibus, charitati Dei & proximi, Angelis,Sanctis,electis, feminis,& vxoribus morigeratis,virginibus virtuoſis. Vir econtrà Soli, Marti,Ioui,&c.prout cuiusque ingenij capacitas dictabit. Ego hiſce tibi beneuole Lector,ſaltem viam ſternere volui, quâ res cæleſtes & naturales ad infinita moralia, anagogicè, ſymbolicè, myſticè, & tropologicè tibi comparare poſſes: & crede haud pœnitebit laboris;ſcilicet,ſi pręter aliorum librorum euolutionem, etiam eum librum ſemper conſulueris, quem Deus & natura tibi conceſſerunt, proprium inquam intellectum & ingenium non neglexeris,&c.

CAPVT VII.

De tribus Planetis ſuperioribus, Planetologio, teleſcopióque myſticis: Et qualiter denique etiam poſsit exponi Planetisq; accommodari viſio illa Ezechielis Prophetæ.

ANAGOGE I.

De 3. Superioribus Planetis myſticis.

MEMBRVM I.

Marti diabolus comparatur.

MVlta hîc poſſent myſticè aſsimilari tribus ſuperioribus Planetis: vt tamen etiam aliquid ingenio Lectoris beneuoli relinquatur, paucis me expediam.

Primò quidem ſtella martis telluri vicinior & perigæa viam Solis in ſyſtemate Tychonico ingreditur,& ipſam eclipticam interſecat: Solem tamen à ſuo curſu impedire nequit. Deinde lucem quem à Sole recipit, rufam & quaſi ſanguinei coloris nobis exhibet. Tertiò curſu ſuo ſolet eſſe adeò fallax & reſpectu viſus noſtri irregularis; vt vix adhuc aſtronomicum integrè perſpectum habeant. Quartò omnium Planetarum fit maximè & diutiſsimè retrogradus Mars. Quintò in ſuis domibus, & anni dominus conſtitutus, ſecundùm aſtronomorum dicta & obſeruata, ſolet in terra nobis cauſare peſtilentiam, aërem inficere; variosque mortalibus morbos & miſerias immittere, multosque occidere, vt fertur; niſi quandoque à Sole, aliisque Planetis beneficis impediatur. Denique Mars omnium Planetarum cenſetur maximè fraudulentus, maleficus, & peſsimus reſpectiuè.

Natura & paſsiones ſtellæ martu.

Profectò, diabolus & Lucifer infernalis ille draco,tantâ pulchritudine, excellentiâ & decore primò à Deo creatus, mirisque donis à ſua diuina Maieſtate decoratus, in cælis exiſtens; apogæus tamen ſubitò & excentricus factus eſt, dum ſuperbia ſuâ Dei quaſi naturam & ſedem ambiẽdo, viam Solis iuſtitiæ Dei(hoc eſt diuinam quaſi naturam æmulãdo) ingreſſus etiam meritò ab apogæo, ſummo ſcilicet faſtigio & apice cæli, ad imum perigæi inferni deiectus, relegatus & adeò humiliatus eſt, vt nequeat ampliùs ad apogæum cæleſtem ſeſe attollere.

Lucifer infernalu comparatur Marti.

Deinde ſicut Mars lucem quam à Sole recipit, ſanguinei & ignei coloris telluri exhibet: Sic Lucifer gratiâ donisque à Creatore ſuo Ter Opt. Max. abuſus, ex ſpecioſiſsimo Angelo, deformiſsimus dæmon effectus, igni infernali, ac ſtagno ſulphuris & picis immerſus, igneum colorem modò exhibet: ſanguineum verò, dũm genus totum humanum per eſum pomi vulnerans etiam mortalibus adhuc indies ſua malitiâ ingentes clades afferre, cunctaque mala generi noſtro machinari haud ceſſat: vno verbo, omnium Planetarum, ſcilicet creaturarum, hic infernalis & truculentiſsimus Mars eſt peſsimus,&c.

Conceptus.

Qualiter verò iam ex apogæo & ſummitate cælorum perigæus, & omnium infimus factus; viamque Solis Dei ingredi fruſtra quidem tentauerit: teſtatur Iſaias cap. 14. his verbis eum alloquendo. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram?* (en quomodo perigęus?) *qui vulnerabas gentes* (en quàm truculentus?) *Qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis erò Altiſsimo* (ecce quomodo ſuperbiâ ſua viam Solis iuſtitiæ ingredi attentauit?)

tauit?) *Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci, &c.* Vides ergo quantùm humiliatus & perigæus factus fuerit?

Deinde diaboli technæ, viæ & modi in nocẽdo generi humano, ita ſunt ſubtiles & varij, vt vix etiamnum ſint cogniti: cùm contra nos indies nouis dolis, & machinationibus inſurgere optimè ſciat. Cauſa verò huius, eſt eius erga nos tam rabioſa inuidia, odiumque; ita vt ſufferre nequeat bonum, ſalutem, & felicitatem noſtram. Vnde rectè S. Bernardus ſup. Cāt. ſermon. 16. ait. *Inuidet diabolus humano generi, volens illud habere ſubiectũ, quia præuidet hominem quaſi Deum futurum, &c.* Et iterùm S. Auguſtinus ſup. Pſalm. *Diabolus, inquit, plerumque vult nocere & non poteſt, quia poteſtas iſta eſt ſub poteſtate. Nam ſi tantùm poſſet nocere diabolus quantùm vult, aliquis iuſtorum non remaneret, &c.* Ecce quàm peſtiferus ſit hic infernalis Mars, quàm truculentus.

Conceptus.

Diabolus qualiter ſit factus excentricus.

Factus autem fuit Mars infernalis maximè excentricus & retrogradus, dum contra Deum, velut ſuum centrum vltimum, finem, & Conditorem nequiter inſurrexit; & pluſquam tertiā partem ſtellarum, hoc eſt Angelorum, à ſuo centro, ſcilicet Deo, caſu, ſuaſu, & ſuperbiâ ſua auulſit. Hinc eſt illud Iſaiæ cap. 14. *Nunquid iſte eſt vir qui conturbauit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit?* &c. Et paulò infrà. *Tu enim terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti, &c.* Ergo maximè à centro ſuo Deo Lucifer remotus & auulſus eſt.

Denique infernalis hic Mars, peſtem peccati in cælo à ſe nequiter introductam, à Deo verò eliminatam, fraudulentiſsimè etiam in terram introduxit: hortum ſcilicet voluptatis & paradiſi ſuo venenoſo peſtilentialique influxu, halitu atque ſerpẽtino ſuaſu adeò inficiẽs, vt inde totum genus Adæ per peccatum originaliter interierit extinctumque fuerit. Quod Sapient. 2. ita teſtatur Spiritus ſanctus. *Inuidiâ autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum*, &c. Et Petrus Rauen. ſup. Matth. *Diabolus*, inquit, *mali auctor, nequitiæ origo, rerum hoſtis, corruptor ſæculi, hominibus ſemper inimicus, ille laqueos tendit, lapſus parat, foueas fodit, aptat ruinas, ſtimulat corpora, pungit animas, cogitationes ſuggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia addit amori, errores ſerit, diſcordias nutrit, pacem turbat, affectus diſſipat, humana violat, diuina tentat, &c.* Quidni igitur Mars infernalis omnium creaturarum peſsimus & malitioſiſsimus eſſet diabolus?

Peſtis myſtica à diabolo in mundum introducta.

Denique nota multas eſſe ſtellas, naturâ & colore cum Marte ſymboliſantes; ſic & omnes peccatores in peccatis mortalibus cõſtituti, ſimiles diabolo, cætera ſi paria intelligas, cẽſendi ſunt quâdam veluti naturâ quidem, quia vtriusq; iidem ſunt genitores, ſcilicet peccata. Colore etiam, quia & peccatis vt diabolus ſunt denigrati,

grati, & ignem infernalem peccatores, ſaltem in proxima potentia, in ſinu conſcientiarum ſuarum, etiam ignorantes gerunt & circumferunt, haud aliter ac chalybs qui ſilice percuſſus ignem ſubitò reddit: ita peccatores in iudicio aut particulari aut vniuerſali, ad lydium lapidem diuinæ iuſtitiæ affringendi, vel tremendæ ſententiæ definitiuæ tonitru & lapide à Petra Chriſto in eos fulminando, (ſcilicet, *Diſcedite à me maledicti*) percutiendi feriendique; ſubitò ignem infernalem peccato dudum conceptum intùs, foris etiam ſubitò reddent. Hinc mirum non eſt infernum perpetuò ardere; cùm infiniti peccatorum duriſsimi chalybes, ibi à lapide & ſilice, diuinæ ſcilicet iuſtitiæ, perpetuò & ſine ſine percutiantur. Vnde dicitur Iſaiæ 66. *Ignis eorum non morietur*. Et cap. 33. *Concipietis ardorem, parietis ſtipulam: ſpiritus veſter vt ignis vorabit vos. Et erunt populi quaſi de incendio cinis: ſpinæ congregatæ igni comburentur, &c. Conterriti ſunt in Sion peccatores* (ſcilicet lapide & ſilice diuinæ iuſtitiæ) *poſſedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Caue igitur qui hîc peccatis ignem intus iam continuò concipis, ne ibi in chalybem infernalem mutandus & ſilice diuinæ iuſtitiæ ſine ſine concutiendus ſis.

Conceptus iucundus.

Cauſa cur infernus ſemper ardeat.

Denique peccatores eſſe quaſi ſtellas Martiales infernales, & ſimiles diabolo, ipſemet Chriſtus teſtatur his verbis, Ioann. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri* (hoc eſt peccata) *vultis facere, &c.* Imò peccator, cæteris paribus, reuerà diabolo adhuc multò deterior eſſe videtur; cùm gratiam Dei toties tam frequẽter vilipendat, mortem & ſanguinem Chriſti pro ſe ſcilicet peccatore & nõ pro diabolo, effuſum tam parui pendat: miſericordiam denique Dei ſibi ſpontè & vltrò oblatam, diabolo verò denegatam, tam inſanè renuat, eâque tam præſumptuosè abutatur, &c. Audi D. Anſelmum, in lib. de caſu diaboli, quàm inſigniter hæc noſtra aſſerta confirmet. *Diabolus*, ait, *nulla præcedẽtis peccati vindictâ ſuperbiens, peccauit: ego viſa eius pœna non continens ad peccatum properaui: ille in innocentia conſtitutus, ego verò reſtitutus: ille perſtitit in malitia Deo reprobante: ego verò Deo reuocante: ille obduratur ad punientem, ego verò ad blandientem: & ſic vterq; contra Deum: ille contra non requirentem ſe: ego verò contra morientem pro me. Ecce cuius imaginem horrebam, horrorem in multis aſpicio me horribiliorem.* Hæc aurea verba vtinam feriò & ſæpiùs à nobis perpenderẽtur, & forſan non tam frequenter & facilè peccatis inuolueremur. Nam (vt cum Cicerone homine etſi fidei lumine deſtituto, concludamus) *præter culpam & peccatum homini nihil poteſt accidere, quod ſit horribile atque pertimeſcendum, &c.*

Peccator quaſi deterior & peior ipſo diabolo.

Aurea ſententia Ciceronis.

MEM-

MEMBRVM II.

Tyrannus & peccatum Marti myſticè aſsimilantur.

VTique & Tyranni Martis truculento ſideri comparari queunt. Sicuti enim perpetuò Mars rubet, cunctis inuidet, nemini beneficus cenſetur, cunctos perſequitur; denique multos & innumeros trucidat: ita & Tyrannus rubet ſanguine innocentûm, cunctis maleficus, & pluribus exitio eſt; vti conſideranti patebit. Vnde ait Iob cap. 15. *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius. Sonitus terroris ſemper in auribus illius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Non credit quod reuerti poſsit de tenebris ad lucem circumſpectans vndique gladium, &c.* Et Prouerb. 28. Dominus atque Princeps ſæuus *in populum pauperem* nominatur à Spiritu ſancto *leo rugiens, & vrſus eſuriens.* Nam ſicuti vrſus & leo quoſcumque innocentes ſibi obuios inuadunt, deuorant, atque interimunt: ſic Tyranni nemini parcunt. Vnde Antiſtenes dicere ſolebat, *Carnifices tyrannis longè eſſe præferendos, cùm à carnifice quidem homines iniuſti & mali interimantur, à tyranno autem etiam inſontes, innocentes, & boni, &c.* *Conceptus.*

Iam liceat etiam peccatū Marti aſsimilare. *Peccatum aſsimilatur Marti.* Sicuti enim Mars dominus in ſua exaltatione, domoque exiſtens, peſtem inducit, fruges corrūpit, frigora, ſubindeque fulgura, grandines & pruinas generat: ita peccatum, in anima & domo cordis ſuperbiâ exaltatum, animam interficit, iuxta illud. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Et S. Auguſtinus ſuper Ioannem hoc idem teſtatur. *Peccatum,* inquit, *nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant, &c.*

Vnde & Dauid: *Ad nihilum redactus ſum & neſciui*, &c. An non peſtilentialis hîc Mars myſticus, ſcilicet peccatum in cælo ruinas cauſauit? Luciferum cum aſſeclis apoſtatis angelis à ſumma felicitate ad infimam extremamque inferni miſeriam deiecit? Adam & Euam Paradiſo excuſsit? totum genus humanum perdidit? Diluuij aquas telluri, Sodomę & Gomorrhæ ignem cælitus induxit? Et quam aliam cauſam niſi peccatum eſſe putas, tot pluuiarum noſtratium miſeriarum? vnde rectè Dauid ait: *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum pars calicis eorum*, ſcilicet peccatorum, &c.

Verùm etſi Mars ſemper ſuâ naturâ malignus exiſtat & perpetuò ſuo influxu ſublunaribus rebus exitium & malum machinetur; ſæpè tamen à Planetis benignioribus, puta Ioue, Sole, & Ve-

nere impeditur, quo minùs noceat, &c. Ita in noſtro propoſito. Conceptus. Etſi enim *peccatum conſummatũ*, aut voluntate aut opere completum *generet mortem* in anima (eam certè haud aliter in corpore viuo occidendo, quàm fulmine, vaginâ integrâ & illæsâ manente, gladius in ea conſumi corrumpique ſolet, oſſaque animalis comminui cute intactâ) tamen ſæpiùs à Sole Iuſtitiæ Christo, Iouéque benigniſſimo Deo, & Lucifera ſtella BB. Virgine ſcilicet, quoad eius effectus impeditur, & quandoque totaliter tollitur. Hinc Iſaiæ 27. ita Sol iuſtitiæ, & Deus animam peccatricem alloquitur. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, &c.* Et iterùm: *Deleui vt nubem iniquitates tuas, &c.*

Idem probatur de BB. Virgine Maria, ſcilicet eam interuentione ſuâ peccata tollere. Sic enim videtur loqui, Eccli. 24.. *Qui operantur in me non peccabunt.* Vides ergo qualiter hi benigniſſimi myſtici Planetæ, maligni martis, ſcilicet peccati influxus impediant? Denique ſicut Mars omnium Planetarum, cæteris paribus, fit maximè excentricus, quandoque magis, aliquando verò minùs; ita homo peccato grauatus, Conceptus. recedit à centro ſuo Deo, modò quidem maximè, iam minùs, tunc magis pro grauitate & multitudine peccatorum. Hoc perpulchrè teſtatur Caſsianus ſup. Pſalm. 5. *Hoc dicimus*, inquit, *quòd tantùm vnuſquiſque à diuinitate repellitur, quantùm eius peccata cumulantur. Quantitas enim delicti menſura eſt repudij, quia tantùm à Deo reus longior redditur, quantùm numerato crimine dilatatur, &c.*

Denique ſicuti ſtella martis etſi optimo teleſcopio conſpecta ſemper tamen crinita, & quaſi cincinnata apparet: Ita peccatum ſemper ſequuntur pœnæ ſuæ. Nota aurea verba D. Auguſtini libr. 3. de libero arbitrio. Pœna peccati quæ ſit. *Illa eſt pœna peccati iuſtiſsima, vt amittat vnuſquiſque illud, quo bene vti noluit, cùm ſine vlla difficultate poſſet, ſi vellet, id eſt, vt qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire quid rectum ſit: & qui rectum facere, cùm poſſet, noluit, amittat poſſe, cùm velit, &c.* Et hanc ſanctiſsimam ſententiam pluſquàm veram eſſe, quotidiana prô dolor experientia teſtatur. Conceptus. Facilè namque eſt in foueam cadere, imò & ſpontè te in illam vrgere poteſ: at difficilè tibi, & non ſemper in tua poteſtate eſt, iterùm ab ea te liberare, &c. Sic facilè eſt quidem peccare, ſed difficilè reſurgere, &c. Vnde S. Ambroſius in quadam epiſtol. ait: *Velle currere, eſt meum, ſine Dei tamen auxilio non erit meum.* Rectè etiam ſanctus Gregorius in homil. *Viſitata culpa*, inquit, *obligat mentem, vt nequaquam ſurgere poſſit ad rectitudinem: conatur, & labitur: quia vbi ſponte*

te diu perſiſtit, ibi & cùm noluerit cadit, &c. Denique cum D. Bernardo de libr. arbit. concludamus. *Peccantis lapſus non dono adſcribendus eſt poteſtatis, ſed vitio voluntatis, & ſi datum fuit voluntati, poſſe ſtare ne caderet, non tamen reſurgere, ſi caderet. Non enim tam facilè quis valet exire de fouea, ſicut in eam labi, &c.* Caueamus igitur, obſecro, ne prioris peccati demerito, ſubſequentium peccatorum tegatur nobis fouea: vt qui malum ſcienter perpetramus, deinceps etiam iuſto Dei iudicio ſemper in alia atque alia peccata etiam neſcientes, incidamus: hoc quippè agitur (ait D. Gregor. in Moral.) *vt culpis culpa feriatur, quatenus ſupplicia peccantium ipſa fiant incrementa vitiorum, &c.*

MEMBRVM III.

De Ioue & Saturno myſtico.

VEram eſſe ſententiam illam S. Scripturæ Eccli. 43. videlicet: *Multa abſcondita ſunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius;* teſtatur ſyſtema admirandum Iouis, noſtro primùm tempore ope teleſcopij detectum. Enimuerò quatuor lucidiſsimæ ſtellæ perpetuò Iouem per ſuum orbē comitantur; ita vt ab eo nunquā vltra 14. minuta euagentur. Hi comites quidem ab aliis quaſi aliæ Lunæ Iouiales hactenus credebantur; vtpotè lucem à Ioue haud aliter, ac noſtra Luna à Sole mutuantes. Verùm in noſtra, & magis probabili ſententia, ſecundùm crebras ſedulaſque obſeruationes per teleſcopium excellentiſsimum, longitudinis 15. pedū Romanorum, frequenter iam per triennium à nobis habitas; dicti comites nullâ ratione lucem ſuam viuaciſsimam (quâ haud aliter ac fixę ſtellæ vndulant, micantque) à Ioue, neque etiam totum à Sole mutuant, ſed potiùs à propriâ & interna ſua forma habere, ac deriuare ſibi videntur. Cùm enim Iupiter Solem haud ſub maiori angulo videat, quàm ad ſummum 5. aut 6. minutorum (hoc eſt vix magnitudinis oui gallinacei) poſsibile non videtur, Iouem eiuſque comites totum ſuum lumē à Sole mutuare: ſolaris enim luminis efficacitas & intenſio eâ proportione creſcere & decreſcere intelligitur, quâ reſpectu oculi & diuerſæ diſtantiæ accreſcit aut minuitur eius diameter viſibilis: cùm igitur diameter Solis, Ioui quaſi ſexduplo minor quàm nobis in tellure ob nimiam ſui ab eo diſtantiam neceſſariò appareat; conſequens etiam omninò videtur tali etiam proportione, id eſt ſextuplâ, oculo in Ioue ſuppoſito, Solis lucem minui. Non ergo comites totam ſuam efficaciſsimam micantem

Comites Iouis lucem ſuam à propria videntur habere forma, & Iouem illuminare, non verò illuminari ab eo.

lucem à Sole participare, ſed potiùs, vt iam dictum eſt, à propria & interna ſuâ forma habere, eaſdemque Iouis globum, inſtar 4. Solium illuſtrare videntur, &c de quibus ſi plura deſideres, vide quæ in parte prima huius operis de Ioue diſſeruimus, &c.

Eccleſia Romana Ioui comparatur.

His ita præmiſsis. Dico Eccleſiam Romanam & militantẽ, optimè Ioui comparari poſſe. Sicuti enim Iupiter per ſuam orbitam delatus, ſuo motu perpetuò 4. comites ſecum vehit, qui circa illum gyrantur, eumque variè illuminant; iucundiſsimam in Iouiali globo varietatem continuò ſuâ variâ illuminatione & motu cauſantes: ita militantem Eccleſiam Romanam perpetuò in ſuo curſu & motu myſtico 4. comites, & lucidiſsimę ſtellæ, hoc eſt 4. illa animalia ſeu Euangeliſtæ, comitantur, eam ſcilicet radiis veræ doctrinæ Euangelicæ illuſtrando mireque illuminando. Quidni 4. Euangeliſtæ eſſent ſtellæ myſticæ, cùm verum fidei lumen eorum doctrinâ comprehẽdatur? Si enim *qui docti fuerint*, iuxta illud Dan. 12. *fulgebunt quaſi ſplendor in firmamento, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*: quidni efficaciſsimè ſplenderent illi, qui totum hactenus corpus Eccleſiæ ſuâ verâ doctrinâ, continuò erudire, inſtruere, & illuminare non ceſſant? Nam ſicuti comites Iouis lumen ſuum, quod Ioui communicant, ab interna forma accipere cenſentur: ita S. Euangeliſtæ, & 4. Eccleſiæ Doctores, lumen doctrinæ ſuæ ſalutaris, quo Eccleſia tota illuſtratur, ab interna forma, hoc eſt à Spiritu ſancto eos inhabitante, mutuant. Hoc ſatis Chriſtus Dominus innuit Ioan. 14. *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis, &c.* Et Apoſtolus Epheſ. 4. ait: *Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, &c.* ſcilicet myſtici, quod eſt Eccleſia. Vides ergo 4. Comites myſticos hos, Iouis myſtici ſiue Eccleſiæ, lumen ſuum primò ab interna ſuâ forma, ſcilicet Spiritu ſancto, mutuare, deinde verò in ædificationem & illuminationem Iouis, & corporis myſtici Chriſti diffundere? Alio etiam modo per 4. comites Iouis poſſunt intelligi 4. Eccleſiæ Doctores (vti iam ſupra inſinuauimus) 4 ſenſibus S. Scripturam exponentes: ſcilicet anagogicè, allegoricè, tropologicè ſeu moraliter, & literaliter: quorum primum videtur obſeruare S. Auguſtinus, ſecũdum S. Ambroſius, tertium S. Gregorius, quartum S. Hieronymus.

4. Euangeliſtæ ſimiles 4. Comitibus Iouialibus.

4. Senſus in ſacra Scriptura à 4. Eccleſiæ Doctoribus obſeruantur.

Poſſet etiam Eccleſia haud ineptè repræſentari, per totum vagum ſyſtema Planetarum 7. reſpectu telluris: quomodo per 7. Planetas

7. Planetæ myſtici in Eccleſia qui ſint.

netas poſſent intelligi, aut 7. Eccleſiæ Ordines; per 4. inferiores quidem quatuor Ordines minores; per tres ſuperiores autem, tres digniores. Seu certè alio modo 7. Eccleſiæ Sacramenta, ritè queunt per 7. Planetas, terram obeuntes, explicari: vbi per Saturnum & ſupremum, vtpotè tricorporeũ, haud ineptè poſſet intelligi aut adumbrari Venerabile Sacramentum Euchariſtiæ, quo totus Chriſtus ſcilicet diuinitate, anima, & humanitate realiter comprehenditur.

Saturnus perbellè Chriſto comparatur.

Hinc & Planeta Saturnus optimè Chriſtum exhibere videtur. Sicuti enim omnium Planetarum Saturnus altiſsimus eſt & tricorporeus, ſeu potiùs triglobeus cernitur, adeò vt medius ſit maximus, duo laterones verò multò minores & inter ſe æquales, vnum corpus triſphæricum cum medio conſtituentes. Ita Chriſtus, cùm ſit *Rex regum, & Dominus dominantium*, altiſsimus eſt, vtpotè *ſplendor & candor lucis æternæ*. Aſſumpſit autem duos globulos ſibi quaſi laterales, ſcilicet SS. corpus & animam ſuã; quæ ita à medio globo, infinito ſcilicet & maximo perſonæ diuinæ fuerunt aſſumptæ, eique adeò vnitæ, vt reuerâ haud aliter vnum quid cum eâ conſtituant, ac duo laterales cum medio & maximo globo Saturni. Igitur vides quàm inſigniter per viſibilia facta, ad inuiſibilia Dei nobis aſcendere liceat. Cùm enim hæc tota rerum creata moles nil aliud ſit quàm echo quædam & quaſi vmbra ipſius Creatoris Ter Opt. Max. quibus mediantibus aliqualiter à nobis, ceu per viſibilia facta, inuiſibilis Deus ipſe cognoſci & ſubodorari vult, fieri non poteſt quin creaturæ tam nobiles & ſublimes eum etiam ſuo modo referant, &c.

Creatura viſibiles, quaſi ſunt echo Dei inuiſibilis.

Poſſet etiam Saturnus tricorporeus comparari SS. Trinitati, idque ſuo modo, vtpotè Deo Trino in perſonis, & vni in ſubſtãtia, quâ ratione globus Saturni medij poſſet nobis typum gerere Patris æterni ingeniti, duo laterales verò, Filium genitum, & Spiritum ſanctum ab vtroque procedentem, &c.

Anima rationalis ſimilis Saturno & Ioui.

Denique & Iupiter & Saturnus ſuo modo poſſunt repræſentare animam rationalem; quorum hic quidem ſuis tribus globis in vna anima tres potentias denotare videtur; ille verò ſuis 4. comitibus 4. virtutes Cardinales, quibus anima Deo deuota perpetuò decorata per huius mortalis vitæ curriculum comitatur. Vel alio modo, animam Deo deditam, ſibique & mundo mortuam, altiſsimè cum Ioue in via contemplatiua motam 4. comitantur comites, id eſt conſideratione 4. nouiſsimorum perpetuò occupata eſt, quibus ita illuſtratur, inque deuotione & Dei amore fouetur, vt nil vmbroſi, hoc eſt nullæ vnquam peccatorum tenebræ eam obumbrare

brare queant. Vnde Spiritus ſanctus quamlibet Iouialem, & Deo deuotam animam monet apud Eccleſiaſticum 7. capite. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis, &c.*

O ſi ſedulò nos hiſce 4 comitibus in omni via, & vita noſtra muniremus, quàm feliciter etiam omnes viæ & res noſtræ nobis ſucceſſuræ eſſent! parum enim Deum offenſuri, minùs etiam ab eo caſtigaremur; ſed cùm contrarium agamus, etiam conrrarium prô dolor nobis euenit. O ſi mortales tantùm cogitarẽt de morte, quantùm continuò cogitant, ſibique promittunt vitam longiorem; quàm ſeriò & ſedulò vitã emendarent, quàm paucas ſibi diuitias tẽporales corraderent, quàm multos verò theſauros ſpirituales ſibi cumulaturi eſſent. Et admirandum ſanè deplorandũque eſt, nos tam ſegnes communiter, deſides & tardos eſſe in conſideratione nouiſsimorum noſtrorum, & maximè mortis, cuius tamen memoria, tot quotidie decedentium exemplo, meritò & indies deberet in nobis renouari, refricari, & conſeruari. Morientes quidem quotidie tam multos videmus, tamen de morte noſtra cogitare negligimus: ſi ergo vicinorum nobis & quotidie aliis accidentium, tam leuis recordatio in nobis viget, qualis obſecro nobis memoria eſſe poterit iudicij, inferni, & cæleſtis gloriæ magis & tam longè à ſenſibus noſtris remotorum?

Et verò ſicuti corpus Soli expoſitum, neceſſariò indiuiduũ ſemper ſibi comitem ſecum, ſcilicet vmbram coambulantem habet videtque: Sic anima de morte cogitans, illicò etiam de iudicio ſibi immediatè futuro & impendente cogitare debet, tunc ſcilicet quando per mortem Soli iuſtitiæ exponenda, de omnibus ſuis mox iudicanda erit; nam ſicuti inuenietur in iudicio particulari immediatè poſt mortem ſuam & parui mundi: ita & ſe habebit apparebitque in vniuerſali poſt mortem mundi magni. Vnde rectè S. Auguſtinus ad Dioſcor. ait: *In quo quemque inuenerit ſuus nouiſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouiſſimus dies: quoniam qualis in die iſto moritur, talis in die illo iudicabitur, &c.* Profectò timendum nobis eſt Platonem hominem Ethnicum & lumine fidei nunquam donatum, contra nos Chriſtianos in die iudicij inſurrecturum, tam rarò nouiſsimorum noſtrorum memores. Ipſe enim *omnem humanam vitam meditationem mortis eſſe debere aiebat.* Vnde S. Hieronymus in epiſt. ad Heliod. ita loquitur: *Platonis ſententia eſt*, omnem ſapientum vitam meditationem eſſe mortis; *debemus ergo & nos præmeditari quod aliquando futuri ſumus: & quod velimus nolimus, abeſſe longius non poſſit, &c.* Paucis cum D. Auguſtino in quadam epiſtola multa tibi innuens, hiſce verbis concludo: *Latet vltimus dies,*

Conceptus, de memoria mortis.

vt

vt obſeruentur omnes dies, ſerò parantur remedia, cùm mortis imminent pericula & hora, &c. Hæc de 7. Planetis myſticis dicta ſint: de Mercurio verò cùm omnia quę ſuprà de Venere myſticè expoſuimus, eidem etiam applicari queant, ſuperfluum duximus aliquid in particulari myſticare, &c.

ANAGOGE II.

MEMBRVM VNICVM.

De Teleſcopio myſtico.

INter multa inſignia & vſui humano commodiſsima inſtrumenta atque nouiter egregiè inuenta, certè principem ſibi locum vendicare videtur nobiliſsimum illud ſpecillum opticum, quod communiter *Teleſcopium* vocant: vtpotè cuius beneficio ea quæ maximè alioquin ob oculo remota ſunt, viciniſsima conſpiciuntur, obiecta & ſidera immani à tellure ſpatio diſsita, ceu propinqua cernuntur: ita vt ſicuti ſenſus viſiuus cæteris ſenſibus præſtatior habetur, ſic hoc inſtrumentum cuncta reliqua mechanica, nobilitate & præſtantiâ quàm maximè excedere videatur.

Encomia Teleſcopij optici.

Conſtat verò hoc inſtrumentum communiter duabus lentibus cryſtallinis & pellucidis in oblõgum canalem accõmodatis; quarum vna & oculo applicanda, globo ſolet excauari & concaua vocari; altera cõuexa & obiectiua in patina ſphærica conſueuit præparari; quibus ritè oculo applicatis cuncta remota, valde propinqua, & ea quæ aliàs nudo oculo nullatenus videri queunt, optimè & valde vicina diſcernuntur.

Verùm vti inuentis facilè eſt addere, & ſcientiæ cunctæ temporis profectu plerumque perfici ſolent; ſic hoc ſpecillum à paucis menſibus, mirum in modum auctum, perfectum, & nobilitatum eſt: ita vt quæ Teleſcopio Galilæano, vel Batauico, vix diſtinctis centum obtutibus videbãtur, modò noſtro ſpecillo vnico conſpectu ſimul & ſemel diſtinctiſsimè cerni queant. Sed vt hoc commodiùs fieret, nos aliis ſectionibus, & quandoque pluribus lentibus aptâ ſibi inuicem proportione in canali diſpoſitis vtimur; quibus oculus ritè armatus, obiecta (& maximè diſtantiſsima aſtra) millecuplò maiora cernit, quàm libero obtutu cerni ſolent: ſimili noſtris manibus parato ſpecillo, ſcripturam (cuius literæ erant quaſi digitalis longitudinis) ad diſtãtiam quaſi trium horarum perfectiſsimè legimus; prout ij teſtari queũt, qui cum ſtupore propriis oculis etiam viderunt & legerunt. Sed ad propoſitum noſtrum iam placeat venire.

Duo

Duo ſpecilla myſtica Deus mundo conceſſit.

Duo ſpecilla myſtica Ter Opt. Max. rerum Patrator Deus mundò conceſsit: quorum primũ fuit lex naturæ, conſtans quaſi duabus lentibus, ſcilicet *facere quæ iuſta ſunt, & ſibi quis fieri vellet*: & *non facere quæ iniuſta videntur, neque ſibi fieri optaret, &c.* Vnde & lex dicitur rectè *ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt; & prohibet ea quæ contraria naturæ, & facienda non ſunt.* Hinc optimè Cicero lib. 3. de Repub. ait: *Eſt quidem vera lex recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium iubendo* (en vnam lentem huius myſtici ſpecilli) *vetando à fraude & malo deterreat* (ecce alteram) *quæ tamen neque probos fruſtra iubet, aut vetat, neque improbos iubendo, aut vetando mouet. Huic legi nec propagari fas eſt, neque derogari aliquid licet, nec tota abrogari poteſt, nec verò aut per ſenatum, aut per populum ſolui hâc lege poſſumus: nec eſt quærendus explanator, aut interpres alius; nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthâc, ſed & omnes gentes, & omni tempore vna lex, & ſempiterna, & immutabilis continebit; vnuſque erit communis quaſi magiſter, & imperator omnium, Deus: ille legis huius inuentor, diſceptator, lator, cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernetur: hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia, quæ putantur, aufugerit.* Hæc Cicero veriùs, rectiùs, an ſanctiùs, neſcio ſanè. Hoc itaque ſpecillo piiſsimus rerum Conditor Deus omnium gentium armauit oculos mentis, vt non eſſet, quin, ſi vellet, huius myſtici Teleſcopij beneficio, Deum ſibi propè & præſentem, bonorumque remuneratorem, & malorum vindicem optimè cernere, agnoſcereque; agnitum verò amare, amatum denique reuereri & colere poſset.

Cicero bellè explanat legem naturæ.

Sententia Apoſtoli de lege gentium.

Hoc ſatis innuit etiam Apoſtolus Rom. 2. *Cùm enim*, inquit, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum, ſecundùm Euangelium meum per Ieſum Chriſtum, &c.*

Conceptus.

Sed nota, quòd quemadmodum inuerſo ſpecillo, quæ anteà viciniſsima videbantur, tunc remotiſsima cernuntur; ita etiam diaboli aſtutiâ factum eſſe vt homines nobiliſsimo illo myſtico ſpecillo, legis naturæ ſcilicet, armati, illud inuertentes (*omnis quippè caro corruperat viam ſuam*) etiam ob hanc inuerſionem legis cum toto terrarum orbe aquarum effluuiis miſerè ſubuerſi & ſubmerſi fuerint, &c.

Heu quàm miſerè diabolus mox primâ rerum facie hoc ſpecillum in Paradiſo inuertit! Præceperat enim Deus Adæ, Gen. 2. *Ex omni ligno paradiſi comede*: (en vnâ lentem ſpecilli myſtici Adæ.) *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne*

comedas

Quomodo ſpecillum Adæ ſubuerſum & inuerſum fuerit.

comedas (en alteram) *in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: quod diabolus ita inuertit: *Nequaquam morte moriemini, &c.* ſcilicet ſi ex vetito ligno manducaueritis, &c. quo & ſubitò ita factum eſt, vt Adam & Eua è Paradiſo eiecti Deum antè ſibi viciniſsimũ, tunc non niſi à longè & diſtãtiſsimum, ſcilicet in futuro Meſsia & Redemptore ſibi propitium futurum videre potuerint. Heu quantùm Adam ſe ſubitò à Deo elongatum ſẽſit, viditque; dum diabolicâ operâ ei teleſcopiũ optimum à Ter Opt. Creatore datum ita inuerſum eſt! Nam *emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt. Eiecitque Adam* (ô tremendam remotionem!) *& collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.*

Verùmenimverò etſi legis naturæ teleſcopium diabolicâ fraude ita inuerſum fuerit, vt totum inde genus humanum ſe longiſsimè à ſtatu gratiæ, innocentiæ, & Deo ipſo remotum & viderit & ſenſerit: adueniente tamen diuiniſsimo illo Artifice, ſcilicet Filio Dei, & ſapientia Patris; dictũ ſpecillum, & legis naturæ, & legis ſcriptæ denuò nõ ſolùm erectum reſtitutumque, verùm omnibus inſuper numeris adimpletum, adque ſummam perfectionem redactum eſt. Hoc optimè ipſe teſtatur, Matth. 5. *Nolite*, inquit, *putare quoniam veni ſoluere legem, &c. ſed adimplere, &c.* Suppoſuit verò duas lentes pro doctis, quibus mediantibus, vſque ad cæli verticem pertingere poſſent: ſed quales? ſcilicet, *docere*, & *facere*. Vnde benè eodem capite ait Dominus: *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Dico enim vobis, quia niſi abũdauerit iuſtitia veſtra pluſquàm Scribarum, & Phariſæorum* (qui vna lente, ſcilicet iuſtitiæ abiectâ, ſolam alteram, videlicet nudam iuſtitiæ doctrinam ſeruarunt) *non intrabitis in regnum cælorum, &c.* O quot hodie & Doctores, & verbi Dei præcones, & Principes, & Magiſtratus, &c. Phariſæos imitantur, dum turpiter, vna lente teleſcopij myſtici, ſcilicet iuſtitiâ abiectâ, ſolummodò conſeruant alteram, populum ſcilicet miſellum docentes, præceptis & mandatis onerantes, & interim à ſe mandata, ſuaſa & dicta, nec digito attingentes; vt benè Chriſtus de eiuſmodi Phariſæis loquitur, Matth. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite, ſecundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolũt ea mouere, &c.* Hinc optimè apud Pierium Valen. libr. 26. præcipiẽtes legem & non ſeruantes, muſcis magnis, telam aranearum facillimè penetrantibus & confringentibus: adimplens ve-

Teleſcopiũ myſticum doctorum *hominum & prædicatorum.* *Conceptus egregius.*

Ii rò

rò eam & ſeruãs vulgus, paruis in ea facile hærentibus hieroglyphicè comparantur. Nam apto admodùm hieroglyphico legũ notat inæqualitatẽ, propterea quòd veluti muſcæ & volatilia alia minuta, ſi in eas inciderint capiũtur: fortiores verò muſcæ & maiores perrupto texto telę, facilè quoquò lubuerit euadunt, penetrant, & elabuntur: ita reuera leges, imbecillem ac tenuẽ plebeculam cohibent atque caſtigant, potentes verò haud attingunt, vtpotè quas pro arbitrio frangunt, illæſi & impuniti ſcindunt, abrogant, atque refugiunt, &c. Sed væ talibus muſcis rete ſeu telam aranearum hoc myſticum legis tam facilè ſcindentibus, idem enim continget illis ac muſcis maioribus, textum araneæ telæ perfringentibus; dum enim ita dictam telam penetrant, ſeque quaſi ex charybdi euoluiſſe putant, in ſcyllam incidentes, & hirundinibus aliiſque volatilibus in prædam cedenes miſerè intereunt, quin & quandoque ſpontè etiam in lumen candelæ aut ignem ſeſe perurgentes flammâ aduruntur.

Inſigne hieroglyphicũ.

Conceptus inſignis.

Sic impij, omnem æquitatem, iuſtitiam & legem peruersè hîc quidem ſcindentes, & liberè in omni vitiorum cœno ſeſe voluтantes, infernalibus auibus, dæmonibus ſcilicet, in perpetuam prædam cedunt: ſeſeque ſpontè in ignem æternum vrgent ac præcipitant. Nam *malos malè perdet, &c.* & à talibus *auferetur regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius,* Matthæi 23. ſcilicet muſcis paruulis, pauperibus, ſimplicibus & facilè in ſalutari reti legis Dei hærenti & inhærenti, &c.

Denique pijſsimus artifex Chriſtus myſticum legis ſpecillum ad ſummã redegit perfectionem; iam non ampliùs duobus, ſed tribus lentibus conſtans: quarum prima eſt *Charitas Dei*: ſecunda *dilectio proximi*; tertia *odium ſui*. Hiſce tribus lentibus ritè in canali cordis vel animæ collocatis, admirandâ iucunditate, oculis mentis cuncta viciniſsima & ampliſsima videbis. Primò ſcilicet Deum tibi ſemper præſentiſsimum: mortem, & iudicium viciniſsimũ; infernum, & æternitatem horrendã, & ampliſsimã cæli amœnitatem iucundiſsimamq; cernet. Et quidẽ Dominus haud obſcurè pręcipere videtur, Exod. 13. qualiter hoc myſticum Teleſcopium (legis gratiæ) continuò oculis, & manibus verſaremus. *Et erit*, inquit, *quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monumentum ante oculos tuos, &c.* Quàm verò inſigniter hoc ſpecillũ myſticum oculos animæ, mentis & intellectus armet, teſtatur Dauid Pſalm. 18. *Lex Domini*, ait, *immaculata, conuertens animas* (ſcilicet à creaturis ad Creatorem, à malo ad bonum, à terrenis ad cæleſtia, à temporalibus denique ad æterna) *teſtimonium Domini fidele*, *ſapientiam* (veram ſcilicet & in Dei ſeruitio neceſſariam)

Trilens Teleſcopium myſticum, quale ſit.

Digitized by Google

riam) *præſtans paruulis*, *&c.*

Inuerſum Teleſcopium diaboli.

At verò vti diabolus præſumpſit ſemel iam inuertere primum ſpecillum Adæ & Euæ in Paradiſo, ita & hoc ſecundum Chriſti ſummi noſtri magiſtri & artificis teleſcopium etiam inuertere & corrumpere omninò & continuò conatur; è contra ſuum infernale ſpecillum inducere ſummis viribus ſtudet & laborat, ſcilicet in canalem cordis multorum pro *amore Dei, & dilectione proximi; odium Dei & proximi* introducendo: & pro *odio ſui*, *amorem ſui* nequiter in anima plantando: quibus mortales adeò obcœcantur, vt ſolùm præſentis vitæ, ſuique corporis commoda aut incommoda videant; æterna commoda verò, pericula vel incommoda in diſtans; velut ſibi futura olim omninò non cernant. Abiecto igitur hoc diabolico teleſcopio, Chriſti ſalutare ſpecillum eligamus, nam vt cum quodam Poëta concludam:

Verus amor Chriſti vera eſt cuſtodia legis,
Et mandata Dei complet amans homines.
Quorum ignoſcentes culpis, ſua crimina ſoluunt,
Quodque aliis tribuunt, hoc ſibi proſpiciunt.
Det peccatori veniam peccator, & æquâ
Conciliet Dominum conditione ſibi:
Cuius iudicium de noſtro examine pendet,
Quod ferimus, metimus: quod damus accipimus.

Pars II.

PARADOXA SIVE

Expoſitio hactenus inaudita & inopinata viſionis Ezechielis Prophetæ capite I. & X. adumbrata, & 7. Planetis accommodata.

PRÆMISSIO.

Non me nouatorem, rogo, æſtimes beneuole Lector, quod præter opinionem, nouo modo, & fortè haud iniucundo, hanc Ezechielis difficillimam viſionem expedere hiſce aggredior. Neque enim mea mens eſt Sanctorum & tot doctorum virorum expoſitiones ſuper dicta hæc capita Ezechielis factas, hac mea expenſione tollere, obſcurare, aut minimum quid eis derogare; abſit hoc à me qui nil benè poſitum cogito aut intendo tollere; ſed potiùs pro tenuitate mea, magis commendare, & elucidare id quod quidem in ſe obſcuriſsimum eſt, &c. Enimuerò haud te latebit, Hebræorum ſententiâ inter loca difficillima intellectu Scripturæ hunc Ezechielis eſſe præcipuum, vtpote totum hieroglyphicum quaſi, arcanum, & maximis nodis ligatum: proinde etiam factum, cautumque ab eis habebatur, ne vllus dictam viſionem legeret, niſi benè & ritè doctus & quadrageſimũ inſu-

per ad minùs annum ætatis attigiſſet.

Scio à D. Hieronymo & aliis per 4. Animalia illa Ezechielana 4. intelligi Euangeliſtas; idemque ab Eccleſia piè recipi: Non ignoro etiam hanc viſionem ab aliis viris eruditis excidio Hieroſolymitano accommodari, &c. Haud denique me fugit, ab aliis aliter, à variis variè etiam exponi. Sed hoc etiam te ſcire volo; ferè omnes alium ſenſum ſpectare: vtpotè aut anagogicum, aut allegoricum, aut moralem; paucos verò conatos eſſe aliquid inde fortè literæ accōmodatum, vel haud ineptè ei accomodandum eruere. Itaque operæpretium duxi, ad Dei maiorem gloriam, & commendationem ſtupẽdorum operum digitorum eius: ſtantibus aliorum expoſitionibus etiam noſtram expenſionem, & nudam ſpeculationẽ potiùs quàm expoſitionem ſuprà dictam & admirãdam viſionem difficillimam afferre: quam non tam S. Romanæ Eccleſiæ humillimè ſubiicio, quàm tibi pro paradoctica ſolemniſſimè vendo, &c. Videtur autem mihi, Deum ſtatim in principio electionis Ezechielis in Prophetam voluiſſe apud eum & eos ad quos mittendus erat haud aliter manifeſtare, authorizare, ſolemnizareque ſuam Maieſtatem, verba & mandata; quàm in apparitione ſua Moyſi Exodi 4. in rubo ignis facta, auctorizauit, &c. Vt enim Moyſi reuerentiam ſimul cum timore inderet erga ſe, authoritatemque ſuam & potentiam aliqualiter ei inſinuaret Altiſsimus Dominus, terribilis ex flamma ignis; ruboque ardente ei loquutus eſt, prohibens, ne vlla ratione calceatus ob pręſentiam, ſanctitatem & reuerentiam loquẽtis Dei, ad locum illum ardentem accederet: quibus viſis, & Moyſes in reuerentia, cultu, & timore pio erga Deum foueretur: & ſuæ diuinæ Maieſtatis authoritas inde magis iis innoteſceret & pateſieret, ad quos Moyſes, ceu Legatus Dei, mittendus erat.

Quomodo Deus ſua mandata & Legationes per Prophetas fieri ſolitas authorizet.

Idem cæteris paribus pientiſſimus Dominus in viſione, & miſſione Ezechielis ſpectaſſe, & fieri voluiſſe videtur: ſcilicet vt per reuelationem mirabilium creaturarum, operumque ſtupendorum Dei exhibitionem; non tam Ezechieli quàm aliis, ad quos mittendus erat, Creatoris, loquentiſq; ac mandantis Dei auctoritas, potentia & magnificentia teſtata videretur, indeque & Ezechiel mittendus; & populus ab eo erudiendus, dehortandusque maiorem fidem Deo loquenti adhiberent, eumque magis reuererentur, offendere verò eique contradicere deinceps metuerent.

Et certè haud forte à veriſimili adeo alienũ videtur, Deum nempè Ter Optimum Maximum primo capite per monſtratam illam creaturarum viſionem earum ſtatum, excellentiam & pulchritudinem

nem,ſuamque creatricem bonitatem & potentiam inſinuaſſe: Capite decimo verò per ſignificatum Ezechieli Hieroſolymitanum excidiũ, vniuerſale olim totius mundi excidium & extinctionem ante diem iudicij Planetarumque diſſolutionem tunc futuram ſuique diuini furoris vehementiam contra mundum inſenſatum inſinuare voluiſſe. Sed ad rem placeat nunc venire.

MEMBRVM I.

Quo anno Ezechiel illam viſionem viderit. Et de coniecturis diei iudicij futuri.

PVto ego per *trigeſimum annum*, nõ annum communem, ſed Iubileum intelligendũ eſſe. Enimuero *Seder Holam* doctiſsimus Hebræorum quidam Rabinus aſſerit, Iechoniam in medio Iubileo, hoc eſt anno 25. captum fuiſſe; quibus annis ſi & alios adhuc 5. tranſmigrationis addas, triginta conflabis. Quid autem ſit annus Iubileus, & vnde deriuetur, paucis notandum duximus.

Quid ſit annus Iubileus. Numerus quinarius qui cũ ſenario & denario ſolus eſt ſphæricus (eſt verò numerus ſphæricus, qui in ſe ductus & multiplicatus idẽ reddit; vt quinquies quinque ſunt 25. & quinquies viginti quinque reddunt 125. ita etiam decies decẽ faciunt 100. & cẽties decem 1000. idem de ſenario intelligẽdum eſt.) Numerus itaq; quinarius & ſphæricus, in alium & maximum ſphæricum multiplicatus, hoc eſt in 10. ductus, procreat 50. id eſt annum Iubileum: qui erat deſtructor peccati, debitorum & inimicæ poteſtatis ſublator. Denominari verò annus Iubileus videtur à iubilo, ſolemnitate & gaudio, quod celebrabatur à populo vniuerſo, ob remiſsionem omniũ peccatorum per totum præcedentem annum 49. populo datam. Nam remiſsio peccatorum non fiebat in anno 50. ſed quadrageſimo nono, qui eſt numerus quadratus ſeptenarij, ſepties enim 7. reddunt 49. ſeptenarius itaque habebatur pro numero remiſsionis; quare & ſeptimus quoque dies obſeruandus à Deo inſtitutus videtur; ſcilicet vt homo tali die, quærens à Deo ſuorum malè actorum remiſsionem, ſe ſpecialiter ad Deum erigeret, ſeque internè colligeret. In anno igitur quadrato ſeptenarij, hoc eſt quadrageſimo nono, fiebat peccatorum remiſsio; in ſequenti verò & immediato, ſcilicet 50. & ſolemniſsimo erat gaudium & iubilus cunctis, atque gratiarum actio fiebat Deo, de ſuperiori anno: in cuius gratitudinem quilibet ſeruum libertate donabat; poſſeſsioneſque primò reddebantur Domino, & alia eiuſmodi fiebant, &c. Sed ad propoſitum noſtrum redeamus.

Nota igitur ſecundùm ſenten-

Quando Ieruſalem fuerit capta.

tiam ſupradicti *Seder Holam*, & alios, Ieruſalem iuxta hebraicam ſupputationem captam fuiſſe, anno ab orbe condito 3336. à quibus ſi illos 6. annos detraxeris qui à quinto tranſmigrationis anno Iechoniæ, adusque vndecimum Sedeciæ (quo tempore vrbs capiebatur) fluxerunt, remanebunt anni 3330. hoc eſt anni Iubilei ſexageſimi ſeptimi ab orbe condito Iubileus trigeſimus. Fluxerunt autem ab orbe condito, vſque ad diluuium ſecundùm veriorem computum doctiſsimorum hebræorum anni Iubilei 33. vſque ad 34. inchoatiuè: qui ſunt anni communes 1650. aut 1700. ad ſummum. Iterùm à diluùio vſque ad banc viſionem Ezechielis lapſi ſunt 33. Iubilei cum 30. ferè communibus annis; quos omnes ſi addideris ſuperioribus conflabis 3330.

Itaque triginta tres anni Iubilei, triginta tribus annis quibus Chriſtus Seruator noſter nobiſcum in terris conuerſatus eſt, myſticè haud forſan incongruè innuuntur; & triplicati, fortè totius mundi tempus: ſemel verò ſumpti, & 33. communibus annis aucti, Eccleſiæ, quæ eſt myſticum corpus Chriſti, totam durationem haud improbabiliter adumbrare videntur. Natus verò Chriſtus creditur à multis in fine ſexageſimi ſexti anni Iubilei proximè: bis ergo numerus 33. annorum Iubileorum fluxit vſq; ad Chriſtum. Iam à Chriſto Domino, vſque ad proximum futurum annum Iubileum, hoc eſt 1650. alij 33. anni Iubilei computabuntur; ergo tunc trinâ vice anni 33. quibus in terris vixit myſticè in annis Iubileis complebuntur: eritque adimpletus tunc ab orbe condito, ſecundùm hunc computum, annus Iubileus 99. ſeu communes anni noſtri 4950. Quibus ſi adhuc vnus annus Iubileus accedat, hoc eſt vſque ad annũ 1700. (pro illis menſibus & tempore quibus Chriſtus vltra 33. annos vixiſſe creditur) conflabis 100. Iubileos annos; communes verò 5000. Et quis ſcit quomodo illud Habac. 3. intelligendum ſit: ſcilicet, *Domine opus tuum*, (an incarnationis fortè intelligit?) *in medio annorum: in medio annorum notum facies*, ſcilicet opus ſeu verbum tuum incarnandum. Certè Cardinalis Cuſanus vir inſigniter doctus, ſimili calculo vſus, Anno 1700. id eſt Iubileo trigeſimo quarto, poſt Chriſtum natum, finem mundi futurum, fortè haud ineptè côniectat: agimus verò nũc trigeſimum ſecundum, & reſtant tantùm 5. ad trigeſimum tertium: ergo ſecundùm hunc calculum vſque ad trigeſimum quartum Iubileum incluſiuè, tantummodò reſtarent 55. anni: ſed hæc paradoxa, cùm nil certi omninò de illa die poſsit dici, quæ & ipſos Angelos Dei latet. Sed quis ſcit, an fortè Deus non etiam ſit abbreuiaturus tẽpus, & dies adhuc reliquos vſque ad finem mundi? ſicuti ſecundùm

Quot anni Iubilei ab orbe condito fluxerint vſque ad Chriſtum: & quot probabiliter reſtent vſque ad finem mundi.

cundùm multorum opinionem eum & præueniſſe creditur dies aduentus ſui primi, quaſi ducentis annis (ſolet enim piiſsimus Dominus in conferendo bono, ſæpè præuenire tempus) propter quam præuentionem quidam putant Chriſtum à dæmonibus querulis ideo ita fuiſſe acclamatum: *Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei? venisti huc ante tempus* (quaſi dicerent ante tempus completum & præfinitum veniſti) *torquere nos*. Matth. 8.

Huic verò ſententiæ obſtare videtur illud Apoſtoli: *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuũ*, &c. Sed hoc poſſemus interpretari de tempore clementiæ Dei, quæ in bonis concedendis ſæpiùs præuenit aliàs definitum tempus: nam quod per naturam fieri nequit, Dominus per gratiam frequenter complet. Quis itaque ſcit, num Deus ad retributionem remunerationemque bonorum; & ad præcauenda maiora peccata malorum, non etiam tempus adhuc reliquum vſque ad diem Iudicij abbreuiaturus ſit? Quidquid ſit, certè Chriſtus Dominus ſaltem multis ſignis diem illam tremendam præceſſuris, magnam occaſionem dedit, credendo eam haud ampliùs longè abeſſe: ſepté enim principalia ſigna nobis diei illius prænuntia infallibilia tradidit.

7. Signa diem iudicij præceſſura Chriſtus tradit. Primum quidem sũt *prælia & conſpirationes gentis aduerſus gentem: fratris aduerſus fratrem*, &c. (quid verò obſecro Principes Chriſtiani ſe inuicem hodie adeo inſectantes & oppugnantes aliud ſunt quàm fratres? idem de Acatholicis hodie inuicem inter ſe bellis implicatis cenſendum eſt.) Secundum *bonorum piorumque perſecutio* (melius tutiuſque hîc ſilendum, quàm loquẽdum, quid hodie fiat, reor; cùm ipſa facta loquantur prô dolor, imò vſque ad aures Domini Sabaoth aſcendant.) Tertium eſt *ſcandalum multorum*. Perpende, mi Lector, ſtatum mundi & ſæculi noſtri, omniumque ſtatuum & vide quid fiat. Quartum eſt *odium in proximum*; cui & annexum quintum, ſcilicet *refrigefactio charitatis* omnium bonorum radix. Accende autem adhuc alterum Solem loco lãpadis & lucernæ Diogenis, & quęre cum eo, ſi potes, homines ſcilicet verâ charitate præditos, & experieris, quàm hæc duo ſigna, prô dolor, inſigniter adimpleta videantur inque dies adhuc magis adimpleantur. Sextum ſignum eſt *Hæreſes & multa ſeductio per Pſeudoprophetas*. Percurre totam Aſiam, Africam & Europam, & compara loca veræ doctrinæ Catholicæ cum variis hæreſum pſeudodoctrinis; & videbis hoc ſignum probabiliſsimè aut iam eſſe impletum, aut ſaltem paulatim & magis iam ab hæreticis & pſeudodoctoribus adimpleri. Quid ergo aliud reſtat, niſi proximè iam imminẽs *deſolatio illa abominationis*, &c. à Chriſto pro vltimo ſigno prædicta? Quid vltra: an fortè ſicut factum

ctum eſt diebus Noë & Loth, ſic forſan breui etiam continget dies in qua reuelabitur Filius hominis? Simus *ergo parati*, *quia quâ horâ non putamus*, *Filius hominis venturus eſt*: *Latet enim*, ait S. Auguſtinus, *vnus dies*, *vt obſeruentur omnes dies*, &c.

Vidit ergo Ezechiel viſionē illā anno ſexageſimo ſeptimo Iubilei ab orbe condito, in qua multa veriſimiliter ad diem iudicij ſpectantia, necnon gloria, Maieſtas, & potentia Chriſti Iudicis venturi, innui videntur. Cùm enim hæc omnia infra firmamentum contigerint, & animalia inſtar prunarum, & lampadum ardentium de medio, id eſt circa medium ignis apparuerint: & denique in ſecundo cap. expreſsè hæc formalia habeātur: *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini*, &c. ſcilicet venturi: hinc veriſimile videtur, primò hâc viſione fortè haud incongruè admirabile & totum vagum ſyſtema Planetarum operā manuum Dei creatum, & ſub firmamento contentum, denotari. Secundò excidium Ieroſolymitanum; & per hoc tertiò excidium totius mundi & ſyſtematis vagi renouationem adumbrari: quæ diligenter textum capitis primi & decimi expendenti facilè patebunt. Statio namque Planetarum 4. principalium, ſcilicet Saturni, Iouis, Martis & Veneris, & thronus iudicaturi iudicis venturi, haud obſcurè adumbrari videntur capite 1. circa finem numer. 26. *Nam cùm fieret vox ſuper firmamentum* (an forſan illa, *Surgite mortui*, *venite ad iudicium?*) *quod erat ſuper caput eorum* (ſcilicet 4. animalium ſeu Planetarum) *ſtabant*, *&* *ſubmittebant alas ſuas*: id eſt ceſſabāt moueri ampliùs, id quod communiter etiam ſentiūt non tam Scholaſtici, quàm Philoſophi, ſcilicet in die Iudicij cælos & aſtra motum ſuum cohibitura. *Et ſuper firmamentum*, *quod erat imminens capiti eorum*, *quaſi aſpectus lapidis ſapphiri ſimilitudo throni*: *&* *ſuper ſimilitudinem throni*, *ſimilitudo*, id eſt repræſentatio & ſpecies, *quaſi aſpectus hominis deſuper*. *Et vidi quaſi ſpeciem electri*, *velut aſpectum ignis*, *intrinſecus eius per circuitum à lumbis eius & deſuper*, *& à lumbis eius vſque deorſum*, *vidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu*. *Velut aſpectum arcus*, *cùm fuerit in nube in die pluuiæ*. *hic erat aſpectus ſplendoris in circuitu*.

Ex his haud obſcurè gloria & Maieſtas Domini in die iudicij venturi poſſet elici, maximè cùm Deus ipſe *ignis conſumens* dicatur, inque die iudicij in igne venturus credatur: vnde Dauid Pſal. 49. *Deus manifeſtè veniet*. *Deus noſter*, *& non ſilebit* (id eſt, *cuncta quæ fiunt adducet in iudicium pro omni errato*, *ſiue bonum*, *ſiue malum illud ſit*, Eccl. 12.) *Ignis in conſpectu eius exardeſcet*, *& in circuitu eius tempeſtas valida*. Et iterùm Pſal. 96. *Ignis ante ipſū præcedet*, *& inflammabit in circuitu inimicos eius*. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ* (hoc idem vidit Ezechiel cap. 1. illā tempeſtate, turbine, & igni inuoluente, &c.) *vidit & commota eſt terra*, *&c*. *Montes*

ſicut

ſicut cera fluxerunt à facie Domini; à facie Domini mota eſt terra, annunciauerunt cæli iuſtitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius, &c. Quod idem dicit Ezechiel cap. 2. ſuæ viſionis. *Hæc*, inquit, *viſio ſimilitudinis gloriæ Domini*, &c. Et certè haud aliter piiſsimus Deus cum ſuis electis, & Prophetis agere videtur, ac ſolet potentiſsimus rex inſignem aliquã comœdiam vel tragœdiam populo paraturus: nam ſicuti antequam ſpectaculum comœdię vel tragœdię publicè exhibeatur populo, priùs in occultò ſuis charioribus ſeruis, & familiaribus, dum probatur, exhibere ſolet & videre permittit. Sic Deus plerumque quæ futura ſunt, antequam fiant, ſuis amicis familiaribus & Prophetis piiſsimè exhibet. Ita Iſaias electus Dei Propheta capite 53. inſigniter, occúltè & antè vidit longè poſt futuram mœſtiſſimam tragœdiam paſsionis, & mortis Domini. *Quis credidit*, inquit, *auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti: non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum. Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vnde & reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus*, &c. *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum, ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum*, &c. *Generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium*, &c. Scilicet imago Patris & figura ſubſtantiæ eius. Neſcio profectò num potuiſſet totam hanc SS. Paſsionis Domini peractam tragœdiam hic S. Propheta meliùs deſcripſiſſe, ſi ipſemet etiam præſens fuiſſet. His præmiſsis ponamus iam textum capitis 1. Ezechielis.

Simile, & qua ratione Deus Prophetas de futuris inſtruat.

Textus capitis primi Ezechielis Prophetæ.

ET factum eſt in trigeſimo anno, in quarto, in quinta menſis, cùm eſſem in medio captiuorum iuxta fluuiũ Chobar, aperti ſunt cæli, & vidi viſiones Dei. In quinta menſis, ipſe eſt annus quintus tranſmigrationis regis Ioachim; factum eſt verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem in terra Chaldæorum, ſecus flumen Chobar: & facta eſt ſuper eum ibi manus Domini.

Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone; &

nubes magna & ignis inuoluens, & ſplendor in circuitu eius:& de medio eius quaſi ſpecies electri, id eſt de medio ignis:& in medio eius ſimilitudo quatuor animalium: & hic aſpectus illorum, ſimilitudo hominis in eis. Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quaſi plāta pedis vituli, & ſcintillæ quaſi aſpectus æris candētis. Et manus hominis ſub pennis eorum in quatuor partibus: & facies & pennas per 4. partes habebant. Iunctæque erant pēnæ eorum alterius ad alterum. Nō reuertebantur cùm incederent: ſed vnumquodque ante faciem ſuam gradiebatur. Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor; facies autem bouis, à ſiniſtris ipſorum quatuor. Facies eorum & pennæ eorum extēſæ deſuper: duæ pennæ ſingulorum iungebanbantur, & duæ tegebant corpora eorum: & vnumquodque eorum coram facie ſua ambulabat: vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebātur, nec reuertebantur cùm ambularent. Et ſimilitudo animalium aſpectus eorum quaſi carbonum ignis ardenium, & quaſi aſpectus lampadarum. Hæc erat viſio diſcurrens in medio animalium, ſplendor ignis, & de igni fulgur egrediēs. Et animalia ibant & reuertebantur, in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Cumque aſpicerem animalia, apparuit rota vna ſuper terram iuxta animalia, habens quatuor facies: & aſpectus rotarum, & opus earum, quaſi viſio maris, & vna ſimilitudo ipſarum quatuor: & aſpectus earum & opera, quaſi ſit rota in medio rotæ. Per quatuor partes earum euntes ibāt, & non reuertebantur cùm ambularent. Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aſpectus: & totū corpus oculis plenum in circuitu ipſarum quatuor. Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea: & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur ſimul & rotæ. Quocumque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu; & rotæ pariter eleuabantur ſequētes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis. Cum euntibus ibant, & cum ſtantibus ſtabant: & cum eleuatis à terra, pariter eleuabantur & rotæ, ſequentes ea: quia ſpiritus vitæ erat in rotis. Et ſimilitudo

ſuper

ſuper capita animalium firmamenti, quaſi aſpectus cryſtalli horribilis & extenti ſuper capita eorum deſuper. Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterũ: vnumquodque duabus alis velabat corpus ſuum, & alterum ſimiliter velabatur. Et audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei: cùm ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis vt ſonus caſtrorum, cumq́ue ſtarent demittebantur pennæ eorum. Nam cùm fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas. Et ſuper firmamentum quod erat imminẽs capiti eorum quaſi aſpectus lapidis ſaphiri ſimilitudo throni: & ſuper ſimilitudinem throni, ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper. Et vidi quaſi ſpeciem electri, velut aſpectum ignis, intrinſecus per circuitum: à lumbis eius & deſuper, & à lumbis eius vſq; deorſum, vidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu. Velut aſpectum arcus cùm fuerit in nube in die pluuiæ, hic erat aſpectus ſplendoris per gyrum.

Expoſitio paradoctica & admirabilis in Caput primum Ezechielis Prophetæ.

POſtquam iam vtcunque deductum habemus, quo anno ſcilicet Ezechiel ſcripſerit, reſtat vt & reliqua expendamus. Et quidem primò mirùm videtur Ezechielem in exilio, inq́ue medio captiuorum exiſtentem, hæc tanta arcana vidiſſe ſcripſiſſeq;. Verùm cùm pientiſsimo Domino noſtro familiariſsimum ſit, ſcilicet iniuſtè captis, oppreſsis, afflictis & eiectis ſpecialiter ſubuenire, curam gerere eiſq́ue ſua arcana pandere; vti etiam patet exemplo Diui Ioannis in exilio & Inſula Pathmos Apocalypſim ſcribentis; hinc mirum non videatur Deum Ezechieli in exilio & captiuitate tot anguſtiis & calamitatibus propter Deum oppreſſo tot etiã ſua arcana monſtraſſe, reuelaſſeq;. Nam fuiſſe Hebræos in illa captiuitate maximè afflictatos & anguſtiatos, regius Pſaltes innuere videtur Pſal. 136. his verbis: *Super flumina Babylonis* (quibus intelligitur fluuius Chobar, ſiue Euphrates) *illic ſedimus & fleuimus dum recordaremur tui Syon, &c.*

Adumbratum igitur illâ captiuitate Babylonica primò videtur eſſe exilium, oppreſsio, & tribulationes iuſtorum in hac vita: Deinde verò, *recordatione Syon*, liberatio

beratio, & cæleſtis Patriæ perpetua inhabitatio. Verùm cùm hanc vniuerſalem liberationem neceſſariò præcedere debeat mundi Planetarumque diſſolutio, & renouatio vniuerſalis: hinc pientiſsimus Dominus hoc primo capite, totius quaſi vniuerſi, vel ſaltem vagi ſyſtematis Planetarum admirandum à ſe conditum ædificium ænigmaticè adumbrare; decimo verò deinde, eiuſdem diſſolutionem præſignificare Ezechieli voluiſſe videtur. Scilicet, vt ſuæ omnipotẽtis manûs operibus penitiùs deſcribendis, reuelandis, & denique vno quaſi impetu diſſoluẽdis, tantò maiorẽ ſibi tam apud Ezechielem mittendum, quàm apud populum ad quem mittendus erat, auctoritatem & reuerentiam ſui SS. Nominis & Maieſtatis compararet. Sed ad textum veniamus.

Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & ſplendor in circuitu eius & de medio eius quaſi ſpecies electri, id eſt de medio ignis.

Hiſce verbis ſacer vates, ſtatim ab initio viſionis admirandũ terrorem, horrorem & ſigna iudicis venturi aduentum in die iudicij præceſſura deſcribere cenſetur: quod capite decimo deinde videtur confirmare, vbi ait: *Et vidi & ecce in firmamento, quod erat ſuper caput Cherubim* (id eſt ſupra Planetarum globos & oculos expanſum) *quaſi lapis ſaphirus, quaſi ſpecies ſimilitudinis ſolij* (iudicaturi forſan, & venturi Chriſti) *apparuit ſuper ea. Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis: ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubim*, (vbi cenſetur eſſe nobis ſolaris flamma) *& imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubim & effunde ſuper ciuitatem.* An telluris fortè ciuitatem eiuſque cõflagrationem in die iudicij forſan à Solis igni futuram per conflagrationem Hieroſolymitanam adumbratam hîc intelligit? Certè per ſequentia verba videlicet *quòd atrium & domus*, ſcilicet mundi, *impleta ſit nube, & ſplendore gloriæ Domini*, haud obſcurè Maieſtas Iudicis venturi innui cenſetur.

Hoc idem Dauid confirmare videtur, Pſ. 49. dum ait: *Deus Deorum Dominus locutus eſt & vocauit terram*, ſcilicet in iudicium. *A ſolis ortu vſque ad occaſum: ex Syon ſpecies decoris eius. Deus manifeſtè veniet: Deus noſter*, ſcilicet Chriſtus, *& non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet: & in circuitu eius tempeſtas valida*, &c. Hoc idem innuere videtur igitur Ezechiel, illo vento turbinis aquilonari, ignique inuoluente, &c. Eſt autem Deo valde familiare vt in igni appareat, ita teſtatur Moſes Deut. 4. *Erat autẽ ſpecies gloriæ Domini quaſi ignis ardens.* Et iterùm: *Eò quòd deſcenderit Dominus ſuper eum in igne.* Sic & Deus *apparebat per noctem filiis Iſraël in columna ignis*, &c. Ipſe denique Moyſi tabulas legis

legis traditurus in rubo ignis ſeſe monſtrauit. Quid igitur mirum, ſi ad ignem condemnaturus iudicaturusque peccatores æternum, in die iudicij quoque in igni apparaturus ſit?

Et in medio eius ſimilitudo 4. animaliũ (Chaldæus habet quatuor creaturarum) *& hic aſpectus in eis, ſimilitudo hominis in eis.*

Quid ignis inuoluens & electri ſpecies denotent. Igitur per *ignem*, ſolaris flamma, per *ſpecies verò quaſi electri*, ſtellæ ſolares, & Mercurij Soli viciniſsimi & ſplendidiſsimi: *per* 4. *animalia ſeu creaturas* 4. Planetæ circa ignem ſolarem mobiles; id eſt Saturnus, Iupiter, Mars & Venus, forſan intelligi poſſent; per *rotam verò quæ apparuit ſuper terram habentem quatuor facies*, ſeu plagas aut ſimilitudines 4. communes cum reliquis, Luna terræ vicinior cæteris fortè denotatur.

Quid ſimilitudo hominis. *Similitudo hominis in eis.* Hoc variè quidem de Planetis poſſet exponi: primò enim ex nominũ ſuorum impoſitione, reuerà ſimilitudinem hominis quaſi gerere videtur: cùm omnes ab hominibus denominentur. Nam Saturnus homo fuit, etſi à Poëtis antiquiſsimus eſſe Deorum, & ex Ope Iouem genuiſſe fingatur. Iupiter, vti iam diximus, filius Saturni, homo quoque erat: ſimiliter & Mars homo fuit licet à Poëtis etiã Deus belli, quaſi mares iuuans, & filius Iouis fingatur. Venerem denique quàm Poëtæ Deam & ex ſpuma maris natam mentiuntur, hominẽ etiam fuiſſe dubium non eſt. Igitur ſimilitudo hominis in planetis eſſe cenſetur, quòd omnes ab hominibus denominentur.

Deinde alio modo ſimilitudinem hominis eis ineſſe intelligi poſſet, ſcilicet aut quòd ſpeciem quaſi humani capitis, tum ſua rotunditate, cùm montoſis ſcabroſitatibus & cauitatibus referãt (quid enim caput humanum naſo, auribus, barba, pilis, ore & prominentiis aliud, quàm montes, colles, ſiluas, cãpos, colles, & cauernas repræſentãt? qualia in Planetis forſan non deſũt) aut quòd ex 4. elementis compacta illa animalia Planetica intelligãtur; quemadmodum & homo, ex iiſdem & 4. humoribus conſtare cenſetur. Aut denique, ſuppoſito Planetas eſſe terreſtris naturæ, quòd quaſi rubra terra (vocabulum hebræum Adam enim & hominem & terram rubram dicit) ſint, vel appareant.

Et quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni, &c.

Quid 4. faciebus in animalibus denotetur. Quatuor faciebus, aut 4. in eis partes mundi, ſcilicet Oriens, Occidẽs, Meridies & Septẽtrio, (quæ, cùm circa proprios axes rotentur Planetæ, in eis neceſſariò eſſe videntur) aut certè quatriuaria illa facies, ſcilicet hominis, leonis, bouis, & aquilæ intelligi poſſent. Facies quidem hominis eo quo iam diximus modo. Facies Leonis, quòd Planetæ cenſeantur ſuis influentiis fortes inſtar Leonũ; velo-

Digitized by Google

citate verò motûs, inſtar aquilæ altiſsimæ volantis: trahendo denique baiulandoq; ſecum continuò ſuos comites, inſtar bouis quadrigam, aut bigam trahentis: de quibus pleniùs infra, &c.

Et certè per quatuor pennas haud incongruè aut 4. qualitates primæ; aut 4. eleméta quibus probabiliter ſuo modo conſtare cenſentur Planetæ, intelligi poſſent: ita vt duæ eorum pennæ, ſcilicet caliditas & ſiccitas, humiditas & frigiditas, ſemper quaſi vnitæ, aut certè aër aut ignis in eis ad motum efficiendum aptiſsimi, quaſi pennæ contiguę: terrea verò & aqueà elementa, quaſi corpora eorum tegere, vti aqua noſtram tellurem, intelligantur.

Quid per pedes vituli in 4. animalibus intelligi queat.

Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quaſi planta pedis vituli.

Chaldæus & Aquila, teſte D. Hieronymo, habent, *quaſi planta pedis rotundi*: cùm enim planetæ & rotundi, & montoſi, furcatique ratione montium ſuorum cenſeantur eſſe, rectè diuinus Vates eorum ſuperficiem extimam pedi vituli furcato comparat. Nam vocabulum hebræũ עגל *heghel* quod cum duobus Segol quidem vitulũ denotat; mutatis punctis autem in *haghol*, mox *rotundum* ſignificat. Igitur pedes eorum rotundi vt globi, furcati, duri & ſcabroſi vt pedes vituli intelliguntur: quemadmodum enim vngulæ pedis vituli ſunt durę, diuiſæ & acuminoſæ, ſic & montes in planetis eminentes petroſi & acuminoſi, &c.

Quid ſcintillæ æris candentis in 4. animalibus denotare videantur.

Et ſcintillæ quaſi aſpectus æris candentis.

Profectò haud melius ſplendorem ſcintillantium planetarum, reſpectu oculi noſtri, quàm per æs candens explicare potuiſſet Propheta. Sicut enim æs candens ſcintillat, lucet & ardet: ita Planetæ eminùs nobis conſpecti, ſcintillare, lucere, & ardere exactè videntur.

Et manus hominis ſub pennis eorum in quatuor partibus: & facies & pennas per 4. partes habebant.

Quid per manum hominis ſignificetur.

Id eſt in 4. partibus cardinalibus, ſeu per totum corpus, illæ 4. qualitates, & 4. elementa eis inerãt. Per manum autem hominis, commodiſsimè 5. zonæ Planetarum, ſuperficierumque earum intelligi poſſent: nam ſi vtraque manu globum extentis digitis complectaris, profectò 5. zonas digitis haud ineptè in eo diſtingues. Cùm enim Planetæ habeãt ſuos polos, circa quos vertuntur, neceſſariò ſequi videtur eos quoque obtinere 5. ſuas zonas, videlicet duas frigidas, duas temperatas, & mediam quaſi torridam. Poſſent etiam per manum hominis intelligi: 5. circuli: hoc eſt ęquinoctialis, duo tropici, arcticus, & antarcticus: qui globis Planetarum æquè, ac noſtræ telluri, aut reſpectu ſuorum comi-

comitum, aut reſpectu Solis, ineſſe cenſentur.

Addit *in quatuor partibus manum hominis ſub pennis eorum eſſe*: ad denotandum forſan illas 5. zonas, tam in parte Orientali & Occidentali, quam Septentrionali & Auſtrali, Planetis circumfundi. Neque hæc expenſio tam aliena à re & exotica videatur; Scriptura namque ſacra veritatem rei ſæpius miris ænigmatibus hieroglyphicisq́; viſionibus innuere tacitè ita cõſueuit, vt ſenſus Domini & interpretatio non cuilibet ſint obuia, ſed iis ſolùm quibus à Deo ita conceſſum eſt. Vnde & Apoſtolus inter multiformem Spiritûs ſancti gratiam, etiam interpretationem ſermonum enumerat, &c. Hâc autem ſingulariſsimâ prærogatiuâ præditus erat Ioſeph ille magnus Patriarcha, dum Pharaoni Gen. 41. admirandum ſomnium de 7. bobus pinguibus, & 7. macie confectis ex flumine emergentibus genuino ſenſu interpretatus eſt. Quis enim per hos boues, 7. annos annonæ & cariſtiæ, aliis 7. verò pinguibus 7. annos fertilitatis denotari credidiſſet, dixiſſetuè niſi diuinus ille vates Ioſeph à Deo inſpiratus ſic interpretatus fuiſſet? Pari igitur modo per manus hominis (5. enim digitos manus comprehendit inſtar 5. zonarum) quinque illæ zonæ ſub pennis illorum animalium; id eſt ſub aëreis, igneis & aquaticis eorum elementis haud incõgruè interpretari queunt.

Et facies & pennas per quatuor partes habebãnt.

Quibus verbis intelligi poſſent aërea, ignea, & aquatica eorum elementa, globos Planetarum per 4. plagas cardinales, hoc eſt vndique complectentes: quemadmodum & tellurem aqua & aër vndique circumplectuntur: nam Chaldæa paraphraſis habet *in 4. lateribus eorum per circuitum*, ſcilicet in Ortu, Occaſu, Septentrione & Meridie, &c.

Iunctæq́ue erant pennæ eorum alterius ad alterum; hebræus habet, *Soror ad ſororem*, &c.

Itaque cùm ſyſtemata Planetarum ſibi inuicem ita à Ter Opt. Max. rerum Patratore, ſint ſuperextructa, vt inter vnum & alterum nil vacui intercedat; & inſuper Planetas ſuis aëreis & æthereis regionibus quoque præditos eſſe omninò videatur certum; hinc Propheta inſigniter per vnius, ad alterius pennas habitudinem & ſocietatem; eorũ inter ſe mutuam influentiam, virtutem, & extimas eorum aërearum ſeu æt herearum regionum mutuam contingentiam inſinuare videtur. Sic enim pennæ aëreæ Saturni (qui quidem per ſuum orbẽ, aëre & æthere ſuo circumdatus, velut auis pennata volitare videtur) contingere cenſentur aëream regionem Iouis, & huius Martis, &c. ita vt nil vacui inter eas relinqui cenſeatur &c.

Non

Digitized by Google

Non reuertebantur cùm incederent, ſed vnumquodque ante faciem ſuam gradiebatur.

Quomodo animalia non reuertebantur dum incederent.

Id eſt, etſi Planetæ retrogredi ad viſum nobis videantur, reuera tamen & à parte rei, prout veriſsimum, nequaquam reuertũtur aut retrocedũt: ſed vnumquodq; Planeticum animal, ante faciẽ ſuam, id eſt aut directè & perfectè, aut ante faciem ſpiritus impellentis ſuæ intelligentiæ ambulabat.

Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor, facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.

Facies hominis & leonis à dextris animalium quid innuant.

Facies hominis & leonis à dextris ipſorum quatuor: fortè ideò dicit: quia prima ſtatim frõte (ita vt à dextris ſit quaſi apertè & primariè, à ſiniſtris occultè & ſecundariò) illa animalia ab hominum nominibus denominata cognoſcuntur: rotundaque vt caput humanum; flaua autem colore aut fortia vt leo, oculis ignem quaſi ſpirans, apparent. Deinde ſicuti leo cincinnatus & iubatus incedit: ita Planetæ radiis ſuis quoque criniti videntur.

Facies bouis à ſiniſtris quid notet.

Facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor. Quaſi diceret, ſimilitudo bouis quadrigam aut bigam trahentis, non apertè ſed quaſi à ſiniſtris, id eſt difficulter & non niſi ſuo tẽpore, teleſcopio notabitur. Ita & hodie certè Saturni bigam ſuorum lateronum, & Iouis quadrigam ſuorum comitum trahentium facies, non niſi quaſi *à ſiniſtris*, id eſt oculo armato conſpicuæ redduntur, cùm à dextris, id eſt immediatè, apertè & liberis oculis nunquam cernantur.

Facies aquilæ volantis.

Aquilæ autem volantis deſuper facie, fortè & motus altiſsimè aquilarum inſtar volantium & velocitas erronum denotatur; dum vtroque modo, apertè moueri aquilarum inſtar cernuntur Planetæ.

Quatuor igitur facies, ſeu quatuor ſimilitudines vnumquodque animalium habebat; hominis quidem, & leonis eo modo quo ſuprà diximus. Aquilæ verò ratione velocitatis motus. Et denique bouis quadrigam trahentis, ratione comitum planetarum, eorumque aërearum regionum, &c.

Quid propriè ſit Cherub.

Et notandum diligenter eſt: Prophetam capite decimo hæc animalia nominare *Cherubim*, quod proculdubio haud myſterio caret: Nam כרוב *Cherub* deducitur à radice verbi כרב *Charab*, quod ſecundùm Rabinos, Aben Hezra & Abraham, eſt genus & nomen vniuerſale ad omnẽ figuram accommodabile, niſi quòd ea quæ erant ſub lege habebãt effigiem humanam, quo pacto & modo *Cherubim* depinguntur: Quę verò, inquit Pagninus, ſunt in Ezech. 4. animaliũ ibi deſcriptorum habebant figuram. Et ſpecialiter videtur in Ezechiele cap. 10. facies *Cherub* eſſe facies

Cherub à volando & trahendo denominari videtur.

cies bouis. Habet autem & hoc nomen Cherub magnam affinitatem cum verbo *Rachab*, quod ſignificat *vehi*, & *vehere*. Videtur igitur hoc nomine ſignificari res vel ſpiritualis, vel corporalis, imagoq́ue artificis manu fabrefacta quæ tanquam volucris, alis quaſi expanſis vehatur, velociterq́ue moueatur, adeo vt ob motus velocitatem vehi quaſi videatur. Vnde & Pſal. 18. etiam nubes appellantur *Cherub*, quòd ſint velut alæ, &c.

Cherub cur 4. animalia vocentur cap. 10. Ezechielis.

Denique Ezechielis capite 10. liquet, ſcilicet per nomen *Marebachab*, hoc eſt *quadrigas*, Prophetam *Cherubim*, ſeu 4. animalia, quæ quaſi alata volare, vehi, & vehere apparebant, intelligere voluiſſe. Videtur itaque Cherub propriè ſignificare bouem quadrigam, aut bigam trahentem, velociſsimeq́ue volantem.

Item ſecũdùm Rabinum Dauid Cherub etiam ideo regem ſignificare videtur, quod rex velut Cherub volando, potentiæ ſuæ alas longè lateq́ue extendat. Vnde Ezechielis 28. dicitur, *Tu Cherub*, id eſt, tu rex Magnus, vnctus fortis, &c.

Hiſce ex hebraicis infallibilibus quaſi fundamentis deductis, facilè vides, cur 4. illa animalia in decimo capite à Propheta Cherub nominentur.

Facies eorum & pennæ eorum extentæ deſuper: duæ pennæ ſingulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum; & vnumquodque coram facie ſua ambulabat. Vbi erat impetus ſpiritus illuc gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularent.

Totum hoc iam ſuperiùs expendimus, niſi quòd vbi erat impetus ſpiritus illa animalia impellentis, ambulabant mouebanturq́ue, ex quibus etiam Ariſtotelis, de intelligentiis motricibus ſententia confirmari poſſe videtur.

Et ſimilitudo animalium, aſpectus eorum quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum.

Quid obſecro magis Planetis ſimile arbitraris, quàm carbonum ardentium, & lampadarum aſpectum? ſunt enim reuerà nocti atræ, Planetæ inſtar lampadarum clariſsimè lucentium cùm ſuâ luce tam gloriosè in cælo ſplendeant micentq́ue.

Hæc erat viſio diſcurrens in medio animaliũ ſplẽdor ignis, & de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant, & reuertebantur, in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.

Per viſionem diſcurrentem & ſplendorem ignis in medio animalium, non ineptè ſolaris ingentis globi flãmam, ex eâq́ue in dies iudicij fulgura forſan egreſſura intelligi poſſe videntur. Deinde planetas reuerà in ſimilitudinem fulgu-

Planetæ omni fulgure velociores.

fulguris corruſcantis moueri, tam quoad velocitatem motus quàm quoad ſplédorem ſuorum corporum, ad oculum quaſi patet: velocius enim omni ſagittâ, fulminis inſtar mouentur vti ex inferiori tabella apparet: cuiuſlibet orbis peripheriæ graduum, dierum, horarum & minutorum quantitatem in leucis exhibente: vbi vides Saturnum etſi tardiſsimum, vno tamen minuto primohorę, hoc eſt vnico quaſi momento, motu ſuo diurno 8. leucas peragere; qui motus profectò omni etiam fulgure velocior videtur: multò autem adhuc velocior exiſtit motus Iouis, Martis, & Veneris; vt conſideranti ex tabula patebit.

Cùm igitur Planetæ ignis, lampadum ſeu fulminis inſtar coruſcent, ſplendeantque, & inſuper tanta rapiditate moueantur: cui rei, obſecro, Propheta melius comparare eos potuiſſet quàm fulguri coruſcanti?

Tabula continens orbium Planetarum radios ſeu ſemidiametros, vel ſtaturas & altitudines, in leucis belgicis. Item vnius gradus cuiuſlibet Orbis, motuſque diurni horarij & vnius minuti Planetarum quantitatem in iiſdem leucis exhibens.

	Semidiameter orbis eſt leucarum.	Periphæria eſt leucarum	Vnus gradus continet.	motus vnius diei nat.	motus horæ vnius.	Motus in vno minuto.	
♄	20000000	125714285	549206	11640	485	8	leucarum.
♃	10799000	67879428	188553	15700	654	11	
♂	3047000	19141142	53170	27460	1144	19	
☉	2000000	12571428	34920	34220	1425	23	
♀	1438000	9038857	25107	40650	1693	28	
☿	764000	4488000	12466	50899	2120	35	
☽	59000	370857	1030	12377	515	8½	

Cumque aſpicerem animalia, apparuit rota vna ſuper terram iuxta animalia habens 4. facies; *Chaldea verò paraphraſis ſic habet.*

Ignis inflammatus erat inter creaturas, (*hoc eſt animalia*) & ſplendor erat igni. Et creaturæ cùm mitterentur ad exequendum voluntatem Domini ſui, qui collocauit Maieſtatē ſuam in excelſo ſupra ipſas, conuertebantur & circuibant orbem, reuertebanturque ſimul creaturæ & veloces erant quaſi aſpectus fulguris. Et vidi creaturas, & ecce rota vna poſita erat quaſi ſub altitudine cæli in latere creaturarum.

Hâc rota meritò Lunare ſidus eiuſque Orbis intelligi poſſet: quia reuerà in ſyſtemate noſtro Tychonico-reformato, Lunæ rota eiuſque orbis, reſpectu Planetarum, ad latera eorum eſſe cenſetur: cùm

Lunam per rotam ſuper terram apparentem denotari poſſe eiuſque orbem.

ipſa tellurem immobilem, illi autem Solem econtrà mobilem pro centro habeant. Habet autem vtique & Luna 4. facies, nẽpè Orientalem, Occidentalem, Septentrionalem & Meridianam. Aut etiam eo ſenſu quo ſuprà facies expoſuimus facies 4. habere cẽſetur. Dicit autem Chaldæus textus, *ignem inflãmatum fuiſſe ſplendidumq́ inter creaturas*. Cùm igitur Sol ſit ignis ſplẽdidiſsimus in medio quaſi omniũ maiorum Planetarum diſcurrens, hinc reuerà Sol illo igni ſplendido & inflãmato intelligi videtur. Dicit inſuper *conuertebantur, & circuibant orbem creaturæ*: ad denotandum duplicẽ Planetarum motum, ſcilicet conuerſionis circa proprium axẽ, & periodicæ reuolutionis, &c.

Veloces erant quaſi aſpectus fulguris. Vide obſecro ex ſuperiori tabella Planetarum incredibilem velocitatem dũ in vno minuto Saturnus 8. Iupiter 11. Mars 19. Venus 28. leucas conficere deprehenduntur. Adeo vt oculus ad 1000. aut 100. leucas eis propius admouendus, conſiderando illorũ quaſi igneum ſplẽdorem & colorem, motuſq́ue celeritatem, haud aliud quàm ingentis molis fulgura fortè eos iuraturus eſſet: quæ enim obſecro ſagitta, quis globus, etſi maxima vi eiaculatus & emiſſus è tormento, vno momẽto 8. 11. 19. aut 28. leucas cõfecturus eſſet? neceſſe eſt igitur Planetarum motum inſtar eſſe motus fulguris, neque etiam alteri rei cuiuſcumq; velocitatis meliùs quàm fulguri comparari poſſe videntur.

Planetæ optimè comparantur fulguri.

Et aſpectus rotarum & opus earum quaſi viſio maris: & vna ſimilitudo ipſarum quatuor: & aſpectus earum & opera, quaſi ſit rota in medio rotæ.

Priùs dixerat vnam tantũmodo rotam ſeu orbẽ apparuiſſe ea nq́ue propè terrã *ſub altitudine tamen cæli*: modò illam vnicam viſam in 4. rotas diſtinguere videtur: & ita reuerà eſſe cenſendũ eſt; etſi enim nobis tãtummodò primus orbis, ſcilicet Lunæ in tellure exiſtentibus appareat, illa tamen vnica rota non eſt, ſed plures etſi non videantur poſt illam latent. Optimè autem dicit colorem illarum rotarum, ſeu orbium fuiſſe cæruleum inſtar coloris marini; nam colorem cælorum viſibilem & apparentem nullus colorum meliùs repræſentat quàm maris: & ideò etiã textus hebræus aſſerit, dictum rotarum colorem fuiſſe quaſi ſimilem lapidi Tarſis, ſeu ſapphiro, qui aëreum colorem refert. Vide ergo quàm egregiè Propheta admirandum opus Dei ſyſtematis vagi deſcribat. Neque fruſtra dicit, *Dominum Deum collocaſſe Maieſtatem ſuam ſuper illa animalia*, habet enim & regium Pſaltem idem aſſerentem ſecum Pſal. 18. vbi *cælos enarrare gloriam Dei*, apertè docet, &c.

Viſio maris Planetarum orbibus valde accommodata.

Erat autem vna ſimilitudo ipſarum quatuor rotarum, ſeu orbium quoad colorem aëreum & marinũ; nam quo-

Digitized by Google

quocumq; loco cælum intuearis, nil aliud quàm oceanus quidam immenſus, ceruleus & aëreus quaſi tibi apparet: non enim aliter orbē Lunæ ab orbe Veneris & Martis, aut horum ab orbibus duorum ſuperiorum diſtingues: idem enim color, eadem ſimilitudo omnibus ineſſe deprehenditur, &c.

Quomodo cenſeatur eſſe rota in medio rotæ. *Et aſpectus earum* (ſcilicet rotarũ, ſeu orbium Planetarũ) *quaſi ſit rota in medio rotæ.* Quid obſecro magis propriè de Planetarum ſibi inuicem inſertis orbibus dici poſſet, quàm eorum fabricam eſſe opus *quaſi rota foret in medio rotæ?* Conſule figuram 1. laminæ H. in fine huius libri cum aliis inſertam, & illicò videbis ex ſyſtemate Planetarum geometricè deſcripto, quàm benè & propriè Propheta loquatur: ſupponuntur enim 4. animalia P. Saturnus. K Iupiter. G. Mars. F Venus A locus obſeruationis & viſionis D circulus ſuper terram, e. Mercurius, ſpecies electri, B. Sol ignis in medio: denique rotæ in rotis plenæ oculis ſtellarum.

Per quatuor partes earũ euntes ibant (*Chaldaicè* ſuper 4. latera earum, ſcilicet rotarum euntes animalia ibant) & non reuertebantur cũ ambularent.

Hîc aut intelligi poteſt, orbes Planetarum quoque fuiſſe motos ſecundùm 4. angulos mũdi; prout reuerà mouentur, adeò vt cētrum excentrici Saturni ſuo motu, tam amplũ circulũ deſcribat, quàm eſt ipſa ferè ecliptica & via Solis: conſule figuræ 1. laminæ D. in quâ cētrum C excentrici excentricorum Planetarum intra orbem D M N delatum deſcribere circulũ C E B A C. *Non reuertebantur*, id eſt non retrocedebāt, ſed prorsùm mouebantur. Aut etiam intelligi poteſt ſcilicet quatuor illa animalia ſeu Planetas in ſuis orbibus & rotis ſecundùm 4. angulos mundi, citra retroceſsionem realem, quamuis non ſine apparenti retrogradatione, proceſsiſſe.

Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aſpectus, & totum corpus oculis plenum in circuitu ipſarũ quatuor. *Chaldæus*. Et dorſa earum æqualia & rotunda erant versùs firmamentum, id eſt, *periphariæ orbium planetarum erant æqualiter rotundæ, non ouatæ aut alterius figuræ.*

Statura animalium quæ. Conſidera obſecro tabulā præcedentem omniũ Planetarum ſemidiametrorum altitudines, & dimenſiones exhibentem, & videbis Saturni altitudinē ad 20. milliones leucarũ aſcendere: an nō hæc inſignis altitudo, & ſtatura? proindeq; horribilis, & aſpectu & cogitatu: quidni terribilis altitudo eſſet rotę verbi gratiâ Saturni? vtpote è cuius ſummitate lapis molaris demittēdus indies 1000. leucas deorſum confecturus, ſpatio tamen 54. annorum, haud ad telluris noſtræ globum peruenturus eſſet.

Et

Quomodo animalium 4. rotæ cenſeātur oculis plenæ.

Et totum corpus, ſcilicet rotarum, *oculis plenum in circuitu ipſarum 4. rotarum.* Quid ſtellæ cæli in viis Planetarum nobis vndique apparentes (Propheta namque vti ex tellure vidit, viſionem deſcripſit) aliud ſunt, quàm quaſi quidam oculi: ſic Sol & Luna oculi mundi vocantur. Etſi enim communiori ſententia præter Planetas, in eorum orbibus ſtellæ nullæ eſſe cenſeantur: nobis tamen ex tellure viæ & orbitæ eorum reuerà plenæ oculis lucidiſsimarum ſtellarum per circuitum totum apparēt; neque diſtinguimus quoad viſū inter fixas, & errones ſtellas; quāuis immane ab inuicem ſpatium eas diſcriminet. Paraphraſis Chaldæa habet, *& dorſa earum plena erant oculis per circuitū*: vbi nomine dorſi fortè haud incongruè etiam firmamentum, vel ſpatium illud æthereum ab orbe Saturni ad vſque concauitatem firmamenti, ſimiliter intercapedo à cuiuſlibet orbis conuexitate, vſque ad alterius cauitatē comprehēſa intelligi poſſent. Et certè, neque auctores, neq; rationes deſunt, ſtellas fixas inter planetarum vias à Luna ad firmamentū vſque ſparſas perſuadentes: cùm toties nouæ ſtellæ nobis & tot cometæ ſubitò quādoque etiam intra Planetas appareant, tum protinus denuo euaneſcant. Vt vt ſit ſeu hâc ſententiâ tamquam probabili admiſſa, ſeu non: tamen Propheta ſtellarum multitudinē intra Planetarum orbium dorſa & ſpatia ſiue verè & realiter, ſiue apparenter tātùm, & reſpectu viſus noſtri ſparſas, haud iucundius & magis propriè quàm per oculos adūbrare & ſignificare potuiſſet; cùm nil aliud ſint ſtellæ, quàm oculi mundi & cæli; quarum ſimilitudinem, etiam tam quoad continuam vndulationem ſiue micationem (micant enim vndulantq; oculorum inſtar) quàm quoad præſtantiam, lucem & figuram inſigniter exprimunt. Vide igitur quàm artificioſè diuinus ille Vates ſuam ænigmaticam viſionē deſcribat; quamque inſigniter & ſine coactione cælis & Planetarum globis orbibuſque conueniat conſentiatque.

Stellæ ſunt oculi cæli.

Cùm ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea: & cùm eleuarentur animalia de terra (Chaldæus addit: *quaſi ſubaltitudine cæli*) eleuabantur & rotæ. Quocumque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu & rotæ pariter eleuabantur ſequentes eum, ſpiritus enim vitæ (Chaldæus habet, *ſpiritus creaturarum*) erat in rotis. Cum euntibus ibant, & cum ſtantibus ſtabant: & cum eleuatis à terra, pariter eleuabantur & rotæ ſequentes ea, quia ſpiritus vitæ erat in rotis, &c.

Ambulatio & motus rotarum cum animalibus, ſeu Planetis duobus modis valdè genuinè expendi poſſet: ſcilicet vel quoad motum periodicum tam Planetarū quàm eorum orbiū: dum enim errones

Quid nomine pennarum animalium intelligi poſſit.

Quid nomine pennarum intelligi queat, iam ſupra diximus: hoc autem loco Propheta repetere videtur contingĕtiam, & communicationem aërearum æthe-rearumq; Planetarum regionum; dum dicit *Vnaquæq; ad ſororem ſuam:* vel certè reciprocam influentiam vnius in alterum, aut qualitatum denique ſympathicarum inter ſe elementariumuè materiarum in illis contentarum vnionē innuere intendit. Vt ſcilicet raritate & leuitate, caliditate & ſiccitate, ſeu igni & aëre præditi quaſi volare, (nil enim magis ad motus velocitatem aptum videtur quàm hæ iam dictæ qualitates & elementa: econtra nil minùs quàm terrea & aquea materia) aqueâ verò terreaque elementari quacumque ſubſtantiâ, quaſi circumdari, ambiri, tegi & conſtare intelligantur.

Et audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonū ſublimis Dei: cùm ambularent quaſi ſonus erat multitudinis, vt ſonus caſtrorum. *Chaldæa paraphraſis verò ita habet.* Et vox ſermonum earum, cùm confiterentur & benedicerent Dominum ſuum viuentem regem ſæculi, quaſi vox erat copiarum Angelorum ſupernorum.

Iſtum ſonum quaſi aquarum multarum, caſtrorum & quaſi copiarum Angelorum, forſan Cuſanus Cardinalis iterùm expoſiturus eſſet de creaturis rationalibus ipſius ſententiâ in ſtellis & Planetis habitantibus, Deumque ibi benedicentibus. Nos verò partim pro ſono à motus eorum velocitate orto, partim myſticè ab eorum intelligentiis motricibus in laudem Dei profectò, etiam intelligi poſſe arbitramur. Quidquid ſit, prout in Planetis globis nobiliſsimis & ampliſsimis eorumque circumfuſis regionibus, creaturas aliquas eſſe nobis neque conſtat, neque aſſerere licet: ſic etiam omninò creditu difficilè arbitramur nihil ibi, præter vacua quædam loca eſſe. Cùm enim *cæli & terra pleni dicantur gloriâ Dei*; quid impediat ad maiorem cognitionem & commēdationem Maieſtatis, Potentiæ, & bonitatis gloriæ Altiſsimi, quandoque (ſine tamen errore) inter erronum illorum oculos, ſeu ſpirituales, ſeu animales pia cōtemplatione oberrare? Certè S. Ioannes in Apocalypſeos capite 5. & 19. &c. etiam 4. animalium ante thronum Dei, diuinæ Maieſtati cōtinuò illud *ſanctus ſanctus ſanctus* acclamantium mentionem facit: an fortè & hæc Ezechielina animalia indigitat poſt diem Iudicij forſan in cælum quoad ſuos inhabitatores, à Cuſano creditos, transferenda? continens ſcilicet pro contento adducendo, an alia animalia putat?

Haud credibile videri merum nihil eſſe in Planetis.

Cumque ſtarēt demittebantur pennæ eorum. Nam cùm

fieret

fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas.

Orbium cæleſtium Planetarumque motum ante diem iudicij fore cohibendum.

Hoc loco videtur Propheta fortè adumbrare ſtationem & cohibitionem motus Planetarum ante diem iudicij,ad illam vocem: *Surgite mortui venite ad iudicium* futuram. Communis enim fert ſententia ſcilicet ante vniuerſalem mundi conflagrationem, orbium cæleſtium motum fore omninò cohibendum. Per verba autem *demittebant alas ſuas*, forſan Planetarum etiam corruptio, eorundemvè elementarium materiarum innouatio innuitur. Et quidem paraphraſis Chaldaica ita habet, pro *demittebant alas ſuas*, &c. *Cùm ſtabant* (animalia) *quieſcebant pennæ eorum à facie ſermonis*. Hoc eſt auditâ illâ voce quæ inter Cherubim, ſiue animalia à firmamento inſonuit, non ampliùs mouebãtur: ſed quaſi mandata Dei & iudicium futurum percepturi ſtabant immota; id quod in die Iudicij futurum eſſe omninò probabile eſt, &c.

Dies iudicij viſione Ezechielis adumbrari videtur.

Velle autem Prophetam ſecundum aduentum Domini, eiuſque Maieſtatem & admirandę machinæ Deique magnalia opera hâc viſione adumbrare; ſatis patere videtur, tum ex primis verbis capitis 2. dum ait: *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini*, ſcilicet ad iudicium venturi: cùm etiam ex mox ſequentiũ verborum ſignificatione, vbi dicit:

Et ſuper firmamẽtum, quod erat iminẽs capiti eorum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri ſimilitudo throni: & ſuper ſimilitudinem throni, ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper, &c.

Ad quid enim thronus infra firmamentum; niſi iudicanti iudici præparatus intelligatur? Rectè verò D. Vates tantùm ſimilitudinem throni, & deſuper ſedentis ſpeciem, & non ipſum thronum & Iudicẽ ſe vidiſſe aſſerit; quia quod futurum erat, in ſimilitudine & ſpecie tantùm conſpexit: Animalia autem iam pręſentia à parte rei per Ezechielem viſa fuiſſe indubitatum eſt. Vt autem magis iudicis Maieſtatem & gloriam adumbraret venturi addit:

Et vidi quaſi ſpeciem electri, velut aſpectum ignis, intrinſecùs eius per circuitum, à lumbis eius & deſuper, & à lumbis eius vſque deorſum, vidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu. Velut aſpectum arcus, cùm fuerit in die pluuiæ: hic erat aſpectus ſplendoris per gyrum. *Chaldæus habet hoc modo*: Vidi ſupernè aſpectum gloriæ, quam oculus non poſſet videre aut contemplari: & inferiùs vidi quaſi viſionem ignis, & ſplendor ei in circuitu.

Certè S. Ioannes in Apocalypſi etiam

etiam capite 20. multa ſimilia de throno, & Iudice venturo loqui, Ezechieliſq; viſionem quaſi confirmare complereuè, ſeu magis explicare videtur.

Hanc autem viſionem Propheta in capite 10 proſequitur; in quo quid à viro illo ſuper thronum ſapphiricum apparente poſtea actum fuerit hoc vt ſequitur modò enarrat.

Textus capitis X. Ezechielis.

ET vidi, & ecce in firmamento, quod erat ſuper caput Cherubim (*id eſt ſuper caput illorum 4. animaliũ: Cherubim enim idem eſt ac quaſi bos volans onuſq; vel quadrigam ſecum trahẽs; de quo ſupra; item cherub etiam principem ſignificat*) quaſi lapis ſapphirus, quaſi ſpecies ſimilitudinis ſolij apparuit ſuper ea. Et dixit ad virum qui indutus erat lineis, & ait: Ingredere in medio rotarum quæ ſunt ſubtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper ciuitatem. Ingreſſuſq; eſt in conſpectu meo: Cherubim autem ſtabant à dextris domus cùm ingrederetur vir, & nubes impleuit atrium interius. Et eleuata eſt gloria Domini deſuper Cherubim ad limen domûs, & repleta eſt domus nube, & atrium repletum eſt gloriâ Domini. Et ſonitus alarum Cherubim audiebatur vſque ad atrium exterius, quaſi vox Dei omnipotentis loquẽtis. Cumque præcepiſſet viro, qui indutus erat lineis dicens: Sume ignem de medio rotarum, quæ ſũt inter Cherubim. Ingreſſus ille ſtetit iuxta rotam. Et extendit Cherub manum de medio Cherubim, ad ignem qui erat inter Cherubim; & ſumpſit, & dedit in manus eius, qui indutus erat lineis: qui accipiens egreſſus eſt, &c.

Cetera ferè ſe habent vt ſunt in primo capite: excepto quòd hîc quatuor rotas, hoc eſt vnicuique Cherub vnã tribuẽdo ponat: quarum totum corpus, colla, manus, pennas, & circulos plenas per circuitum oculis fuiſſe aſſerit: Quod ita exponi poſſet, ſcilicet planetarum orbium colla, hoc eſt partes vtrinque polares; manus ſcilicet plagas Orientales & Occidentales; & circulos, id eſt tam æquinoctiales, quã tropicos & arcticos, quinimo totum corpus, ſeu orbes, cælos Planetarum vndique plenos apparuiſſe oculis, ſcilicet ſtellis, quod quidem veriſsimum eſſe quotidiana cęli facies demonſtrat.

Per oculos rotarum, ſtellas viſibiles nobis per Planetarum orbes apparentes intelligi poſſe.

Textum verò iam ſupra poſitum probabiliter per conflagra-

tionem & excidium Ieruſalem, etiam conflagrationem finemq́ue & iudicium mundi adũbrare fortè velle; (ita vt quaſi ab igne in medio Cherubim latẽte, hoc eſt flamma ſolaris globi, conflagratio iam dicta futura videatur) haud obſcurè Dauid ſuo carmine, quod 2.Reg.22. Domino poſt deuictum Saulem decantauit, inſinuat. Sic enim cantat:

Deſcribit Dauid quid in die Iudicij futurum ſit.

Commota eſt & cõtremuit terra, fundamenta montium concuſſa ſunt, & conquaſſata, quoniam iratus eſt eis: Aſcendit fumus de naribus eius, & fumus de ore eius vorabit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Inclinauit cælos & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius. Et aſcendit ſuper Cherubim, & volauit ſuper pennas ventorum. Poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum: cribrãs aquas de nubibus cælorum. Præ fulgore in conſpectu eius, ſuccenſi ſunt carbones ignis. Tonabit de cælo Dominus: & excelſus dabit vocem ſuam. Miſit ſagittas & diſſipauit eas; fulgura & conſumpſit eos. Et apparuerunt effuſiones maris, & reuelata ſunt fundamenta orbis ab increpatione Domini, ab inſpiratione ſpiritus furoris eius, &c.

Hiſce ſatis adumbrata habes ea quæ in die iudicij ventura & futura ſint mundo. Et verò mirum etiam videtur ſcilicet ſuper arcam fœderis Cherubim, Domini ſimilitudinẽ apparuiſſe, expreſſamq́ue fuiſſe, vti habetur 1. Reg. 4. *Miſit ergo populus in Silo, & tulerunt in die arcam fœderis Domini exercituum ſedentis ſuper Cherubim.* Et iterùm 2. Reg. 6. *Surrexitq́ Dauid & abiit, & vniuerſus populus qui erat cum eo de viris Iuda, vt adducerent arcam Domini, ſuper quam inuocatum eſt nomen Domini exercituum, ſedentis in Cherubim ſuper eam.* An fortè per arcam fæderis, vniuerſalis Eccleſia, & ſuper eam inſidẽtis Domini exercituum poteſtas collocata gubernatio, directio, moderatio & gratia Spiritus ſancti, adumbrabatur? An forſan Vniuerſi totius ædificium? An empyrei cæli palatium Dominiq́ue exercituum in eo regnantis immenſa gloria? An denique ſyſtema vagum etiam Planetarum, per vagam & nunquam ſtabilem arcam (cuius Cherubim Dominus exercituum, haud aliter inſidebat, ac Ezechiel à ſe viſis Cherubinis eum inſediſſe teſtatur) præfiguratum fuit? Quidquid ſit, multis ſaltem ſacræ Scripturæ locis *ſedentis Domini ſuper Cherubim*, mentio habetur; vt meritò quis ſenſum verum eiusq́ue interpretationem piè ſcire, deſiderareq́ue poſſe videatur; videlicet quid, vel qua ratione intelligendum ſit, quod toties Dominus exercituum ſuper Cherubim ſedere dicatur, cuiuſmodi etiam loca præcipua hîc adducere placuit.

Quid per arcam fæderis poſſit intelligi.

Quid per illud S. Scriptura, qui ſedes ſuper Cherubim *intelligi queat.*

Et

Et quidem Dauid Pſalm. 79. & 98. ita Deum alloquitur: *Qui ſedes ſuper Cherubim*, &c. Iterùm Ezechias Iſaiæ 37. ita orat: *Domine exercituum Deus Iſraël qui ſedes ſuper Cherubim*, &c. Denique rres Pueri in camino ignis cantant: *Benedictus es qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubim*. quaſi diceret: benedictus es Domine qui vti in profundo abyſsi infernalis non es abſens; ita in ſũmitate altiſsimorum ſiderũ errantium, velut rector, moderator inſeſſorque es intimè & continuò præſens. Similem locum quaſi habet Iſaias cap. 40. *Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ*. Quibus omnibus admiranda Dei magnitudo, potentia, ſapientia, & gloria haud exiguè commendari videntur. Quod ſi Copernici ſyſtema aliquid veritatis haberet, & non potiùs fictum eſſet, forſan & ipſe ſuam tellurem mobilem Ezechielanis illis animalibus, & Cherubim, econtra Veneris ſydus ſpeciebus, quæ apparuêre inſtar electri, annumeraturus eſſet; ſuppoſitâ tamen hâc viſione ſyſtema mundi vagũ eiuſque in die iudicij, per excidium Hieroſolymitanũ, ſubuerſionem conflagrationemque adumbrari: quæ tamen omnia tibi pro meris paradoxis vendo, &c. Reſtat iam verò vt pro maiori adhuc intelligentia illorum animalium, eorundemque facierum quaternarum, aliqua corollariorum inſtar hîc ſubiungamus, vt Lector videat hanc Ezechielis viſionem, haud adeò ineptè Planetarum vago ſyſtemati, eiuſque in die iudicij ſubuerſioni, ſeu potiùs renouationi per ignem futuræ accommodari poſſe.

COROLLARIA
ad ſupradicta.

COROLLARIVM I.
Quid per ignem inuoluentem poſsit intelligi.

IGnis inuoluens haud aliud à globo igneo eſſe cenſetur, proindeque ſolarem flammeum globum dicere fortè ac denotare haud obſcurè videtur. Ratio eſt, quia ab illo igne *erat ſplendor per circuitum*, ſiue per rotũditatem ſeu ſphæram ignis, vti ex Chaldaica interpretatione colligitur, id quòd neque à fulgure, neque à fulmine fieri potuiſſet: cùm illa ſolùm pars fulgere videatur, vnde fulgur ignisque erumpunt: at hîc dicitur de medio ignis fulgura exiuiſſe; ergo ignis ille non tranſitorius ſed conſtans inter animalia fuiſſe cenſetur. *Ignis inuoluens ſolem innuere videtur.*

Deinde ignis inuoluens aut reciprocans, haud aptè poteſt conuenire fulguri, ſed potiùs globo & integræ alicui maſſæ permanenti ignis, ſeſe continuò gyrantis, conuertentis & reciprocantis, qualem ſolarem globum quidem eſſe probabiliſsimum, imò ſtantibus modernis phœnomenis, quaſi neceſſarium videtur. Fulgura enim cùm

ſe neque reciprocent, neque inuoluant, ſed deorsùm potiùs tendant, & teſte ipſo Chriſto, Matth. 24. ſubitò *ab Oriente exeuntia in Occidente pareant*, illo igni inuoluente intelligi haud commodè queunt.

COROLLARIVM II.

Quid per electrum poſsit intelligi.

Duplex electrum.

ELectrum hebraicè dicitur חשמל *Chaſinal*, & tantùm apud Ezechielem reperitur. Sumitur verò electrum duobus modis. Primo enim etiam ſuccinum electrum appellatur; eſtque arborum quarundam ſuccus cum temporé in lapidis duritiem concreſcens, de quo vide Plinium lib. 37. cap. 3. refert autem colorem quaſi aureum.

Per ſpeciem electri adumbrari ſtellas ſolares, ♀ & ♃.

Secundo modo electrum nobile quoddam, ſplendidiſsimum & auro haud multò inferius eſt metallum, ex variis materiis & metallis conflatum. Quare Venus, Mercurius & ſtellæ ſolares circa Solem continuò delati, ob ſuam cum eo vicinitatem, & viuaciſsimum ſplendorem aureumque colorem, meritò ſpeciebus electri de medio ſolaris ignis prodeuntibus comparari poſſe videntur.

COROLLARIVM III.

De quatriformibus faciebus animalium.

QVatuor facies illorum animalium aliud profectò hieroglyphicè & ænigmaticè ſignificare atque denotare, quàm à parte rei & in ſe eſſe cenſentur. Quia interpretatio hebræa habet *ſimilitudo hominis in eis*, non dicit illa animalia fuiſſe homines, leones, boues aut aquilas reales; ſed tantùm quandam expreſsionem ſimilitudinis eorũdem in eis apparuiſſe. Et quoad ſimilitudinem quidem hominis ita Scriptura hebræa loquitur: רמות ארם להנה *Demuth adam* (quæ vox hominem & terram rubram ſignificat) *Labnah* quod idem eſt ac dicere: *ſimilitudo Adam ſeu rubræ terræ eis.* Vnde & Dominus dixit Adamo, *terra es & in terram reuerteris.* Multimodè autem Planetæ hominis ſimilitudinē gerere poſſe videntur, ſuppoſito, vti probabiliſſimum eſſe videtur, eos ex 4. elementis componi. Nam quemadmodum homo dicitur ideo à Philoſophis *Microcoſmus*, ſeu *paruus mundus*, quòd corpore ex 4. elementis mundanis, animo autem & ſpiritu cæleſti conſtet: ita & Planetæ cæleſti ſpiritu, ratione ſui motus & gubernationis imprægnati ac 4. elementis compacti reuera ſimilitudinem hominis exprimere cēſentur. Cæteras autem æquiparationes & analogias quas cum humana ſimilitudine obtinent, partim ex ſupradictis, partim etiam propria conſideratione prudens conclude.

Planetarum varia cum ſimilitudine hominis analogia.

Cur homo dicatur microcoſmus.

Facies bouis & leonis cur animalibus attribuantur.

Facies autem bouis fortè à ſimilitudine fortiſsimi eius mugitus, & leonis ab eius rugitu horri-

bili

bili Planetis per Prophetam ideò attribuitur, quòd vox illarum dicatur fuiſſe *inſtar aquarum multarum & caſtrorum*, &c. Aut certè potius à trahendo bigam vel quadrigam, prout iam ſupra dictum eſt: vel quòd, ſicuti bos oneratur iugo; ita fortè & Planetæ ſuis ſibi inequitantibus rebus & creaturis, idque ſecundùm opinionem Card. Cuſani: deinde etiam Iupiter & Saturnus ſuos comites baiulantes, optimè boui onus rotaſque trahenti comparari poſſe videntur. Inſuper vti bos animal fortiſſimum, & continuò ruminans eſt, ita planetæ quoque potentes ſunt in hæc inferiora, vtpotè quòd continuò ſuas influentias, è penetralibus ſuarum naturarum eructantes in ſublunaria, & proculdubio quoque in ſe inuicem immittant, &c.

Analogia aquilæ cum Planetis. Denique Planetæ altiſsimè volitãtes cum aquila inſignes & plures obtinent analogias. Primò ratione celeritatis volatus, ſeu ſuorum motuum. Secundò ratione comitum. Vti enim aquila duabus alis extenſis volitat, pulloſque ſuos altiſsimè ſupra dorſum ſuum collocatos de loco ad locum transfert, prout naturæ indagatores teſtantur: ita Planetæ hinc inde ſuis comitibus veluti alis extentis ſtipati, volare, pulloſque ſuos vel comites vel orbes, aut qualeſcunque in ſe contentas res & creaturas, ſecundùm Cuſani opinionem, in dorſo ſuarum ſuperficierum geſtantes & inequitantes perpetuò de loco in locum forſan tranſmutant.

Deinde ſicuti pedes & roſtrum flaui, oculi verò aquilæ acutiſsimi, ſplendidiſsimi & lucidiſsimi ſunt, cæterum corpus autem griſeum, ſubnigrum & varij coloris: ita Planetæ etſi flaui & lucidiſsimi inſtar aquilarum oculorum appareant, in ſe tamen opaci, obſcuri, & variè colorati eſſe cenſentur, vt apertè phœnomena Lunæ & Veneris euincunt, &c. Denique vti aquila plumata vndique per aërem altiſſimè defertur; ita & Planetæ ſuis quoque plumis, hoc eſt vapidis atmoſphæris, aëreis & æthereis regionibus, & forſan etiam, vt multi arbitrantur, ſiluis ſuis circumdati quaſi plumati, altiſsimè infrà firmamenti cauitatem mouentur volitantque.

Hanc mi Lector expenſionem, ſimplici mente conceptam, pura intentione de erronum animalibus illis, vt ſpero ſine errore, tibi hîc loco coronidis potius & iucunditatis quàm veritatis aut aſſertionis gratiâ appoſitam, inter innumeras aliorum auctorum expoſitiones euſque ſaltem benignè tolerare non dedigneris, donec aut à te, aut ab aliis viſioni dictæ Ezechielis magis conſentanea expenſio producatur; & verus quidam Oedipus tandem nobis naſcatur hoc difficillimum diuinumque ænigma ſoluturus. Equidem cùm Scripturæ ſacræ ſenſus tam varius,

varius,hæcque viſio adeò difficilis & tantopere innodata ſit, minimùm quid aliorum auctorum doctiſsimis commentariis in hoc Ezechielis ænigma editis derogare præſumo, intendouè. Non nego quidem hac viſione Hieroſolymitanum excidiū illud fuiſſe adumbratum. Sed quis non etiam credat Spiritum ſanctum fortè adhuc aliam ſignificationem, ſcilicet excidium vniuerſale mundi & totius ſyſtematis vagi admirandæ fabricæ adumbrationem eiuſque ante iudicij diem vniuerſalem conflagrationem, & innouationem quodammodo nobis innuere velle?

Candelabrum ſepticeps Moſaicum cuius typum geſſerit.

Certè candelabrum illud ſepticeps Moſaicum & aureum olim ſeptem lāpadibus tabernaculum atque ſanctuarium templi Domini illuminans, ſyſtema vagū Planetarumque ſeptem lucidiſsimas mundum illuſtrantes lampades adumbrare ſignificareque, Abulenſis eruditiſsimus vir auctor eſt.

Veſtis ſummi Sacerdotis quid olim innuerit.

Deinde ſacerdotalis illius ſummi Aaron veſtimēti humerales duos ſmaragdos, etiam duorum polorum mundi;rationale verò Planetarum & reliquū veſtis ornatum, cæli ornati typum geſsiſſe idem Toſtatus teſtatur: quidni ergo nobis ſimiliter ratiocinari liceat de illa miranda viſione Ezechielis?

Cùm igitur præpotens Deus ſuæ diuinæ infinitæque potentiæ, ſapientiæ & bonitatis argumenta, potiſsimùm nobis viatoribus per creaturas, quaſi in ænigmate in hâc vita præbere monſtrareque ſoleat,& per viſibilia hæc facta,inuiſibilia Dei meliùs conſpiciantur, conſequens eſt pientiſsimo Domino lōgè gratiſsimum acceptiſsimūq;eſſe ſi creatura rationalis in operibus ſtupēdis manuum ſuarum ipſius gratiâ & amore cōtēplandis rimādisq;piè occupetur, in quibus creandis ipſe Ter Opt. Max.Creator noſtri quōdam gratiâ piētiſsimè etiam occupabatur.

Multa arcana adhuc latere in viſione Ezechielis cap.40. & ſequentibus, Danielis, & S. Ioannis Apocal.

Multa profectò adhuc tam Ezechiel cap. 40. & ſequentibus, quàm S.Ioannes in Apocalypſi,& Daniel in ſuis viſionibus admiranda arcana innuunt: quibus cognitis, forſan in Empyrei illius Palatij Dei interni, & mundi atrij externi magnitudinis, amplitudinis & proportionis, admirandæque harmoniæ creatæ machinæ cognitionem haud leuiter induceremur. At hæc nobis hîc ænigmaticè à ſphinge illo proprij peccati ita innodata olim à diuino œdipo ſoluenda ſperemus, & tandem finem loquendi pariter omnes audiamus, faciamuſque. *Memento* ô homo & mi Lector, *Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ*, *antequam veniat tempus afflictionis*, *& appropinquent anni*, (æternitatis) *de quibus dicas: non mihi placent*: *antequam tenebreſcat Sol, & lumen & Luna, & ſtellæ, &c. quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ*, *&c.* ſeu beatitudinis intermi-nabilis, ſeu damnationis infinibilis)

lis) *antequam rumpatur funiculus argenteus* (ſcilicet vita & tempus benè agendi) *& recurrat vita aurea* (ſcilicet coronatio ac remuneratio beatorum) *& conteratur hydria* (corporis tui) *ſupra fontem, & confringatur rota* (vitæ tuæ) *ſuper ciſternam, & reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat; & ſpiritus ad Deum qui dedit illum.* Nam *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Itaque *Deum time & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo:* Nam *& cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum ſiue malum illud ſit.* Et hæc ad Dei Ter Opt Conditoris ſiderum maiorem gloriam & laudem, eiuſque Beatiſsimæ Matris cælorum Reginæ ſemperque Virginis Mariæ honorem, de cælis, ſtellis, & aſtris myſticis dicta ſufficiant, quæ & cuncta S. Matris Eccleſiæ iudicio humiliter ſubiecta eſſe & volo, & declaro.

Auctor cuncta ſua ſcripta S. Matri Eccleſiæ ſubiicit.

F I N I S.

FACVLTAS I. ADM. R. P. GENERALIS.

NOs Frater IOANNES A MONTE-CALERIO totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Generalis Mñr. Tenore præſētium facultatem concedimus, vt Liber cui titulus eſt *Enoch, & Eliæ Oculus*; ſeu Radius Sidereus, à P. F. ANTONIO MARIA de Rheita Concionat. noſtro Compoſitus, & à duobus Theologis dicti noſtri Ordinis de mandato noſtro reuiſus, & approbatus; ſeruatis ſeruandis Typis mandari valeat. In quorum fidem has manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo officij noſtri munitas, damus Neapoli in loco noſtro Immaculatæ Conceptionis. Die 9. Ianuarij. M. DC. XLIII.

FR. IOANNES *Miniſt. Gen.*

FACVLTAS II. ADM. R. P. GENERALIS.

Nos FR. INNOCENTIVS à Calatagerone totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis.

